GREGORII
CORTESII MVTINENSIS,
S. R. ECCLESIÆ
Preſb. Cardinalis.

EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER.

Eiuſdem Tractatus aduerſus negantem B. Petrum Apoſtolum fuiſſe Romæ, ad Adrianum VI. Pont. Max.

DVPLICI ANNEXO INDICE:
Quorum alter, nomina eorum ad quos Epiſtolæ miſſæ ſunt; reliquus verò, ſcitu digniora complectitur.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VENETIIS, *Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.* 1573.

S. D. N. GREGORIO XIII.

PONT. OPT. MAX.

Herſilia Corteſia de Monte. S. P. D.

CVM Epiſtolarum Volumen & Opuſculum hoc de cathedra Diui Petri à bo. me. Cardinali Corteſio patruo meo, dum inhumanis eſſet conſcripta, quæ aliquot poſt eius obitum annos latuerant, & paulò ante non ſine labore, atq; induſtria mea inuenta fuerunt, nunc eruditorum, præſtantiumq; virorum hortatu impulſa, edere in lucem decreuerim, cogitans cui potiſsimum illa dicarem, nemi in magis id muneris conuenire viſum eſt, quàm Veſtræ Beatitud. Nam cum diuina faciente bonitate, Sanctitas V. & ſumma ſua cum laude, & maximo Eccleſiæ, populorumq; ſuorum beneficio, in ipſamet cathedra hoc tempore ſedeat, atque eundem Cardin. animo beneuolo, grataq; memoria proſecuta omni

tempore fuerit, in me autem humillimam ipſius famulam, ea paternæ benignitatis indicia dederit, quæ nec parua, nec obſcura fuerunt; iure optimo hic libellus Veſtræ Beatitudinis tutelæ, & auctoritati eſt commendandus. Eum igitur, vt qua conſueuit benignitate ſuſcipere dignetur, humillimè rogo, Deum orans, vt eandem S.V. nobis, Sanctæq́ Eccleſiæ quàm diutiſſimè ſeruet incolumem.

Gregorij Corteſij Cardin. Vita.

GREGORIVS CORTESIVS MVTINENSIS, Monachus Caſinas, ex nobiliſſima Corteſiorum familia originem duxit: quæ quidem, teſte Planuſio Campano, in libro de Familiis Italicis, à tempore Caroli Magni, Mutinam nouam ab eodem ex ruinis antiquę Mutinæ, à Gothis Longobardisq; dextructæ, reædificatam, habitare cæpit. Hæc enim Corteſiorum familia, à quodam Imperiali Vicario nomine Ludouicus Cortes inter Gallos nobiliſſimus, ortum ſuum habuit, qui cum eſſet à Conſiliis Pipini Regis Italiæ, Caroli filij, ciuitatem illam inhabitauit. Ex ea igitur Gregorius hic noſter natus eſt; qui Græcis, Latinisq; literis mirum in modum eruditus, ab ineunte ætate, Ciuili, Canonicoq; iuri operam dedit; & apud Ioannem Medicem Cardinalem, poſtea Leonem Decimum Pont. Max. audiendarum cauſarum munus exercuit; vt ipſemet fatetur in quadam ad eum Epiſtola. Demum, cum huiuſcemodi laboris onere præmeretur; & ad diuinarum litterarum ſtudium, quietamq; tranſigendam vitam, diuino quodam inſtinctu pertraheretur, ad Cœnobium Diui Benedicti apud Mantuam conuolauit; ac Monaci indutus habitum; in eo viuendi genere ita profecit; vt omnibus muneribus, quibus apud cœnobitas illos potiri conſuetum eſt, mira fuerit prudentia functus. Tandem eius virtutis, probitatis, Religionis, ac ſcientiæ fama inductus Paulus Tertius Pont. Max. in Collegium Cardinalium illum aſciuit, Anno ſui Pont. VIII. Domini vero M. D. XLII. Die II. Iunij. Factus ergo S. Rom. Eccle. Presb. Cardin. TT. S. Ciriaci in Thermis; nihil ob eam dignitatem candoris, nihil probitatis

probitatis, nihilq; antiquę comitatis amiſit, ſed omnibus gratus, in ſacrarum literarum ſtudiis, innocenter ac pie, noctes, dieſq; tranſibat. Anno verò eiuſdem Pauli Tertij XIIII, acri morbo correptus, XI Kalend. Octobris, Romæ è viuis exceſſit; & in Baſilica XII. SS. Apoſtolorum honorifice ante altare S. Eugeniæ, omnium, & maxime ſuorum luctu, ſepultus eſt. Plurima huius clariſſimi viri monumenta relicta ſunt, ingenium eius ac doctrinam teſtantia, præter hoc Epiſtolarum compendiolum, & aduerſus negantem B. Petrum Romæ fuiſſe Tractatum: quæ tamen à nobis hucuſque deſiderantur; ea autem ſunt

De Theologica inſtitutione Liber.

De poteſtate Eccleſiaſtica Tractatus.

Hymnorum, & Carminum Liber.

Tractatus D. Cypriani de Virginitate è Græco in Latinum verſus.

Epiſtolarum Familiarum etruſco ſermone Liber.

Quamplurima etiam opuſcula ab eodem edita; cum ad Theologicam, tum Philoſophicam facultatem ſpectantia, Græcè, Latinèq; conſcripta: quæ (faxit Deus) vt aliquando virorum proborum opera in lucem prodeant; ne huiuſcemodi lucernæ diutius ſub modio lateant, neve huius illuſtriſſimi viri gloriæ quis inuidere videatur.

INDEX EORVM, ad quos Epiſtolæ miſſæ ſunt.

ABbati cuidam. fol. 142
Amico cuidam. 260
Andreæ Naugerio Greg. 17
Antonio de Prato. 237
Auguſtinus Epiſc. Graſſ. Iacobo Sadol. 41
Auguſtino Grimoaldo Epiſc. Graſſ. Greg. 34. 37. 92. 98. 179. 251.

BAptiſtæ Fliſco. 93
Benedicto Theocreno Greg. 21. 25. 33. 49. 57. 185

CArd. S. Marcelli. 286. 287
Card. Rodulpho. 278. 279
Caſſiano Camillo Genuenſi. 64. 76. 96. 99
Celio Calcagnino Greg. 16
Chriſtophorus Long. Greg. Mon. 12
Chriſtophoro Longolio. 9. 59
Collegio Canon. Mutin. 288. 289

DIonyſio Monacho. 55. 142. 194. 195. 197. 198. 229. 244. 258

EVſebio Mutinenſi Monaco. 232

FEderico Fregoſio Epiſc. Salernit. 38. 80. 103. 106. 107. 111. 112. 114. 117. 119. 121. 122. 123. 124. 183. 211. 214. 217. 219. 223. 226
Franciſco Bellincino 265
Franciſco de Sancto Venerio 66. 200. 242

GEorgio Monaco. 162
Guido Aſcanio Card. 281. 282
Gulielmo Langieo Regis Franciæ à ſecretis. 147. 267

Heliſeo

H Eliſeo Monaco. 152. 161
Hieronymo Adurno. 44. 46. 47. 68
Hieronymo Ghinuccio 101
Hieronymo Grimaldo. 188
Hieronymo Moneliano. 86
Hieronymo Monſerr. Albati. 83. 153
Hieronymo Palmario Greg. 31

IAcobus Sadoletus Epiſc. Carpent. Greg. 7. 75
Iacobo Sadoleto Epiſcopo Carpent. 4. 73. 212
Iacobo Ferro Ninenſi. 1. 143
Ioan. Medices Card. 220. 234
Ioanni Morono. 246
Ioan. Saluiato Card. 284. 285
Iuliano Monacho. 56. 89

LAmberto Epiſcopo Venuſino. 40. 176
Leoni X. Pont. Max. 247
Luciano Monaco. 53. 78

MIchaeli Bentino Germano. 216
Michaeli Placentino Monaco. 239. 242

PAmphilus Saxus Greg. 189. 191
Paulo Sadoletto. 255
Paulo III. Pont. Max. 269. 270. 272
Petro Bembo Card. 275. 276
Perpetuo Henriotto. 225
Philippo Saulio Epiſc. Brugn. 63
RAphaeli Placentino Monaco. 174
Raſcaſio Iuriſconſulto. 185
Seuerus Monacus, Ciſtercienſis, Corteſio Monaco. 138. 139. 264

STephano Saulio Greg. 14. 18. 27. 29. 35. 88. 131. 132. 138

THeocreno Greg. 23. 109. 127. 129. 203. 205
VIncentio de Borlaſca Genuenſi. 170
Vitali Monaco. 208. 209. 228. 253. 256. 262

INDEX EORVM, QVÆ IN HOC OPERE *ſcitu digniora viſa ſunt.*

ACADEMIA M. Varronis in monte Caſinate fuit. fol. 233
Acciaioli commentaria in librum de moribus Ariſt. commendantur. 122
Aduerſa fortuna, verè amicos non tollit. 116
Amicitia quomodo excolenda. 8
Amicitiæ veræ ſignum. 200
Amicus verus, theſauro præcioſior. 31
Amor diuinæ ſapientiæ, omnẽ alium amorem abiicit. 91
Andreas Naugerius, virtutum, & literarum amator. 17
Antonius de Prato exoratur, ne contra Cenobium Lerinenſe, quid indignum meditari velit. 237
Aquariana aqua ſalubris. 191
Athanaſi⁹ regreſſ⁹ ab exilio, quo honore fuerit exceptus. 345
Auguſtini Grimaldi in Gregorium Corteſium amor. 181
Aurium tinnitus, ex amicorum diſtantium ſermonibus. 37
BAbylonia Aegyptia, à quibus fuerit condita. 355
Bellũ inter Columnenſes & Vrſinos, intra menia Romæ geſtum. 243
Benedictus Theocrenus, filij Regis Galliarũ præceptor. 187
Beſſarion Cardinalis, monachus Caſinas. 138
CHalydij commentarij in Tymæum vbi extant. 87
Camilli Caſſiani diligentia in illuſtranda Coſmographia. 117
Cardinales diuerſi gratulantur Corteſio, q̃ collegio Cardinalium fuerit aſcriptus. 275
Celij Calcagnini commendatio. 233
Cenationis, eiuſque architecturę deſcriptio. 142
Cenobij Caſinatis inſtauratio à quo meditata ſit. 234
Chriſtus, quando deceſſit ex hac vita. 310
Collegium Canonicorum Mutinenſium gratulatur Corteſio, q̃ Cardinalis creatus fuerit. 288

Commentariorum Chriſoſtomi in Geneſim commendatio. 41
Cornelius Tacitus aduerſus Chriſtum impius ſcriptor. 336
Corpora Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ iacent. 322

DIſtantia locorum amicitiam non ſoluit. 27
ECcleſia vexatur diuerſis hæreſum erroribus tẽpore Pauli Tertij 272
Epiſtolæ amicorum in aduerſis leuationẽ adferunt. 42
Excuſatio in amicitia ſuperuacua eſt. 25
FRanciſci Galliarum Regis apud Papiam infelix concertatio. 240
Frãciſci Regis Galliç amor, erga humaniores literas. 148
Franciſcus Rex captiuus ad Picighitonum ductus fuit. 242
Fulgoſæ familiæ laus. 22
GRecorum vocabulorum declaratio. 136
Gregorius Corteſius ex Monaco Cardinalis efficitur à Paulo tertio. 269
Gratias refert Pont. ſummo. 270
Gregorij Papæ, commendatio & laus. 301
Gimnaſia publica humaniores literas, rarò profitentur. 30
HEmorrois, ſerpens veneniſſimus. 164
Hercules Genſiagus, politioris linguæ amator. 264
Herodes duo fuerunt, Antipas & Agrippa. 312
Hiantes coruos deludere quid. 3
Hieronymus in ſcribendis hiſtoriis, diligens inquiſitor veritatis. 319
Hiſpani poſt victoriam partam ſuperbi. 241
Hymnus in Deiparam Virginem. 150
INdignatio honeſta erga amicum. 21
In Diuum Honoratum, carmen. 157
In Lerinam Inſulam, Carmen. 153
Ioannes Baptiſta, vbi iugulatus fuerit. 313
Ioannes Gallus Muſicus excellens. 218
Iudei omnes Roma expulſi. 315
Iuliani Grimaldi innocentia. 148
Iuuenibus danda eſt relaxatio animi, & quare. 92

Laus hominis monaſticam vitam ſuſcipientis. 3
Lerina inſula reliquiis ſanctorum Eucherij & Honorati decoratur. 86
Lerinenſis inſulæ laus. 10
Leoni Decimo Pont. Max. gratulatur quod ad Pont. aſſumptus fuerit. 250
Liber omnis, aliquam vtilitatem affert. 41
Libri; quibus chari ſint. 29
Libri ſtudioſo viro, quàm chari ſint. 46
Liberius Pontifex Romanus, cur in exilium miſſus à Conſtantio. 345
Librorum prohibitorum licentia retinendi ac legendi, à ſuperioribus petenda. 75
Lingua hebrea D. Hieronymum deterruit. 216
Longolij interitus ab Gregorio deploratur. 177
Longolius Cęlio Calcagnino commendatur. 16
Lupum auribus tenere prouerb. quid ſignificet. 184
Marſilius Patauinus, vir impius. 309
Menſura cumulatior reddenda eſt iuxta Heſiodũ. 9
Momus, cur reprehenderit facturam hominis. 47
Mores corrupti ciuitatis Genuenſis. 70
Mortui viri ex Saulia familia commendatio. 136
Muſica apud Pythagoreos, quanti eſſet. 218
Narciſſus quidam, tanquam vagus deſcribitur ab Ambroſio. 340
Octauiani Fregoſij conſtantia, dum Neapolim deduceretur. 123
Onus gubernandi viro literato moleſtum. 209
Orationis Feder. Fregoſij ad Genuenſes commendatio. 118
Pauli Sadoleti epigrammata commendatur. 256
Patres antiquiores, dum ſcriberent contra hęreticos, nõ eos maledictis inceſſebant. 307
Perſuaſor contradicit verbis Lucę Euangeliſtæ. 342
Petrus contra Simonem Samaritam Romam venit poſtremo Neronis anno. 317
Petrus poſt mortem Chriſti, quot annos vixerit. 310
Petrum Romæ fuiſſe, ibi crucifixum teſtimonia plurima. 322.323.324.325. & ſequ.

Petrus viginti quinque annis Romæ cathedram ſacerdotalem tenuit. 321
Philippus Saulius, Euthymium in Pſalmos interpretatus eſt. 245
Philoſophia omnis in arduo poſita eſt. 109
Pudor ſubruſticus quos terreat. 4
QVerelæ ex amicitia tollendæ. 176
REgio peſſima eſt, in qua eſt cum Orco luctandum. 78
Regis filius, quomodo ſit erudiendus. 187
Reprehenſio honeſta negligentis amici. 24
Rex eſt lex viua. 68
Romæ antiquitates admirandæ. 79
SAncti, venerandi ſunt. 191
Saulia familia Genuenſis, officij ac humanitatis amica. 133
Scriptorũ antiquorum noĩa, quorũ opera deſiderãtur. 84
Seneca duobus annis ante Neronẽ obiit. 348
Sermones quotidiani, morum indices. 68
Seuerus Monachus Ciſterc. M. Tullij Ciceronis orationes emendauit. 139
Silentium inter amicos ſoluendum eſt. 258
Socratis dictum in iuuenem petulantem. 69
Solitudo, etiam hoſpitalitatem admittit. 100
Stephani Saulij erga Gregorium dolus ciuilis. 206
Studia moleſtiis obruuntur. 44
Studium literarum commendatur. 56
TEmpus amiſſum, iterum aquiri minime poteſt. 28
Teocrenus præceptor filij Regis Franciæ. 67
Thomæ Aquinatis laus. 236
Tractatus aduerſus negantem Petrum fuiſſe Romæ 300. cur hunc tractatum ſcripſerit. 302
VEnetiarum commendatio. 18
Veſpaſianus gentem & nomẽ Iudeorum extinxit. 323
Volumina antiquorum patrũ, ex Græcia aducta. 63
Vita ſolitaria quàm delectabilis ſit. 223
Vita Sancti Geminiani, à quo fuerit deſcripta. 189

FINIS.

GREGORII CORTESII
CARDINALIS,
Epiſtolarum familiarium
LIBER.

Iacobo Ferro Ninenſi. Gregorius Sal.

ET ex literis tuis, & ex verbis eius, qui ſub fidei tuæ teſtimonio literas ad nos detulit, facile cognoui, quanto amore collegium hoc noſtrum proſequaris. Et ſi iſtud ipſum iamdiu & pollicitationes tuæ mihi teſtatiſſimum, & ſuſcepti pro nobis labores perſpectiſſimum fecerant, nuper tamen hoc officio per te ſponte ſuſcepto, vidi, vt ea quæ oculis cerni ſolent, tibi, cui nota ſit huius collegij integritas, curæ etiam eſſe, vt pro meritis bene audiat, quippe qui, vt nimium amantes ſolent, vulgi etiam rumuſculis commoueare. Ego vero, mi Iacobe, tantum abeſt vt hac vulgari fama in alterutram partem afficiar, vt mihi magis minusúe placeam, vt etiam tunc recte me quippiam feciſſe probatis viris probaturum credam, cum factum aliquod meũ, vulgi ſermonibus damnari

nari cognouero: quippe cui nunquam non ſint cordi mendacium & vanitas. Rectiſſimeq; inquit Tertullianus, eam famę eſſe conditionem, vt non niſi cum mentitur perſeueret: & ita demum vera nunciare, cum deſinit eſſe fama. Quod ſi antea aliquando, nunc tamen potiſſimum, vt opinor, verum id eſſe à te cognoſci potuit. Tam nempe diuerſa, tam inuoluta, tam etiam inter ſe pugnantia de Borbienſi regulo, vulgo erãt diſſeminata, vt quemlibet vel mediocri præditum prudentia ſuppudere poſſit, eo fremitu fuiſſe commotum. perinde quaſi non ſit ille vulgi mos, tam in laudabilibus quàm etiam in malefactis tranſuerſum ferri in erroris ſcopulos. quæ vero mihi nunciata ſunt, eiuſmodi extitere: vt niſi te teſte, nunquam fuerim fidem adhibiturus, eſſe iſtic tam leuem tãq; ocioſam plebeculam. Quid eſt enim quod tantopere admirentur, ſi vir vnus atq; adeo omnium teſtimonio recti exempli & probatę integritatis, cupiat ſacris initiari? nouum quippiam credo aut inauditum? an non quotidie, vt quęq; ciuitas maxime Chriſto ſeruatori, operatur, ita & libentiſſime aliquid audit eiuſmodi & maxima inſuper laude proſequitur? Sed, opinor, eos mirari, quod hic, inter principes ciuitatis erat, at iſtud ipſum admirationẽ debuerat imminuere: quis enim facilius caduca hęc & inconſtantia, quæ falſo nomine bona appellamus, contemnere poteſt, quam qui fuerit ſępius eorum blanditiis deceptus, vexatus moleſtiis, eluſus mutabilitate? Nam quod in nos vulgo culpa reiicitur, quos dicunt dudum,

hunc

hunc hominem ſolicitare: id vero eiuſmodi eſt, vt & verum eſſe negemus, nec tamen, ſi ſit, culpam deprecari velimus, quippe quod, neſcio quid cõmune habeat cum actis Apoſtolorum, quos conſtat vniuerſum pene orbem peragraſſe, vt eadem ratione animos ſolicitarent. Quod verò ad hominis patrimonium attinet, non ſatis video cur deteriorem eius conditionem eſſe velint, qui ſe remque ſuam, quàm qui nudius, ſemetipſum Chriſto offerat: curq; ſi hoc laudaturi fuerunt, illud tantopere damnent. An forte iccirco ſtomachantur; quod, vt inquit Flaccus, deluſerit hiantes coruos? nam & affines & propinquos habuit, quibus præ cæteris conſultum eſſe voluiſſent, quaſi verò illis omnibus qui pretium ad pedes Apoſtolorum proiiciebant, nulli fuerint affines aut propinqui. Quid ſi etiã cognatorum non mediocris illi cura futura eſt, num adeo indignum videri debet, ſi qui profanus integro vſurus erat patrimonio, nunc ſacris addictus parte frui velit, quaſi ipſe ſibi non ſit hæres legitimus, aut Chriſtus ipſi? Hactenus ad ea quæ vulgo iactantur: ſibi vero perſuaſiſſimum eſſe certo ſcio, nihil nos aut cupide, aut inconſulto facturos. Fit enim omnibus copia conueniendi hominẽ & quinquagenarium & ſuæ ſpontis, & qui ſermone patrio loqui nouit explicite. Nudius tertius etiam cùm eodem congreſſi ſunt cõplures affinium, quos puto, non mediocri rubore affectos abſceſſiſſe, ob ea quę de nobis paſſim falſóq; iactauerant, cũ præter opinionem repererint illum nec mutaſſe veſtem nec dominium rerum ſuarum à ſe alienaſſe.

Quid vero deinceps nouitius hic noſter acturus ſit, ſcio me tam ignorare, quàm etiam non curioſe inquirere, quod ex eius hæreditate nulla mihi ad commodius viuendum fieri poſſit acceſſio, nec etiã ſi futuram ſperẽ, maximopere id ſim curaturus. Credo equidẽ, patres meos, nec precibus ab eo quippiam, non modo non vi, expreſſuros, nec tamen munus aliquod ſi ab eo offeratur, repudiaturos eſſe. Quod reliquum eſt, me tibi & fuiſſe ſemper amiciſſimum exiſtimes velim, & futurum etiam confidas. Vale.

Iacobo Sadoleto, Epiſcopo Carpentoratenſi. Greg. S.

CVmprimum in hanc prouinciam veni, vehementer admiratus ſum, nominis tui apud omnes eam eſſe claritatem, vt nihil ſibi omnino ſcire videretur, qui memoriæ lucubrationes tuas non commendaſſet. Nec eo ſane admirabar, quòd neſcirem virtutes tuas facile opinionem omnium vincere, ſed quod nequaquam tantum humanitatis iudicij & literarum in prouincialium ingeniis reſidere cognoueram. Cum vero omnia illa prædicatione noſtra longe maiora comperiſſem, ſæpius ſtatui de ea re, datis ad te literis, fundamentum aliquod amicitiæ ponere. Veruntamen, neſcio quo pacto, ſimul atque id cogitaſſem, deterrebat me pudor quidam (vt Cicero inquit) penè ſubruſticus, quod verebar eum, præſertim occupatiſſimum interpellare, in quem nullum non modo

officium noſtrum extaret, ſed nec paulo firmius conſtituta intercederet amicitia. Mirifice tamen accidit vt dum hæc cogitarem, tu Pontifex Carpentoratenſis crearere. Id vero poſtquàm mihi renunciatum eſt, ſtatim in ſpem maximam veni, fore vt aliquando conſuetudine tua frui poſſem. Cum enim ego patriam hac prouincia commutarim, tibi etiam honeſtiſſima impoſita ſit neceſſitas ætatem in ea traducendi, videbam me non diutius id fruſtra deſyderaturum. Nuper autem cum Graſſenſis noſter ex Syria reuertiſſet, cuius beneficio, & ocium & facultas nobis ſuppeditatur in ſtudiis acquieſcendi, eumq; tibi intellexiſſem eſſe amiciſſimum, illico has ad te literas dare conſtitui. Accedebat patriæ vinculum, & ſanctiſſimum illud neceſſitudinis genus, quo haud ſcio, an aliud grauius excogitari poſſit, ſtudiorum videlicet ſimilitudo quędam, & ſi ea quidem valde diſſimilis: vix enim ſimilitudo dici poteſt, vbi, quamuis in eadem ſtudia incumbemus, incredibilis tamen eſt progreſſus diſtantia. Tibi vero tam facile docti etiam omnes concedunt, vt cum doctorum princeps citra controuerſiam iudicere, ſummopere omnes gaudeant te potiſſimum ea auctum & gratia & poteſtate, vt doctis omnibus, quantum ingenio & doctrina, tantum etiam dignitate præſtes & eis prodeſſe non minus poſſis ac velis. Ne tamen aliquid deeſſet ad excitandam voluntatem meam, opportune accidit acceſſus Archidiaconi Auenionenſis, ad vrbem, dicam an ad te? quando is tibi vni tantum tribuit, vt non grauate fuerit

ſi iſtinc

ſtro, & Lerinenſis inſulæ ſolitudine amœniſſima, in qua mira literarum & religionis contentio viget, vt tamen coniunctis animis cum ſquallida barbarorum colluuie continenter bellum gerant, ita græcis & latinis literis humanæ & diuinæ philoſophiæ iuxta dies noctesq́; illic incumbunt. Quod cum tibi gratiſſimum, tum etiam ſummo Pontifici, vt eſt virtutum omnium ſupra quàm dici poteſt, amantiſſimus, iucundiſſimum fore confido. Vale.

Iacobus Sadoletus, Epiſcopus Carpentoratenſis. Gregorio S.

ET ſi fidem mihi de te faciebant literæ tuæ: ſcriptæ enim amice ac pereleganter declarabant ſingulare ingenium tuum, coniunctum pari erga me beneuolentia, tamen, poſtquam etiam Archidiaconi Auenionen. teſtimonium acceſſit, ea de te prædicantis, quæ de optimo viro & homine doctiſſimo poterant commemorari, non dubitaui, quin tu eſſes nõ modo mea (id enim non tanti eſt) verum omnium bonorum beneuolentia digniſſimus. Ita enim intellexi te, cum ſumma religione & integritate vitæ, coniuncta habere omnium artium ſtudia optimarum. Nec id tantum quod ab ordine veſtro præſtari aut expectari ſolitum eſt, poſuiſſe te operam in dialecticis & phyſicis, aut his etiam quæ pertinent ad Theologiam literis, ſed hæc omnia latinitatis lumine, hoc eſt, eloquentiæ cultu ac diuitiis inſtituiſſe ornanda, quamquam huius quidem in-

ſtituti

ſtituti tui atq; iudicij, egregium teſtimonium literæ mihi tuæ attulerunt. Sed ego quo rariora hæc in te ornamenta eſſe conſpicor, hoc ſum magis ad te diligendũ, tum cõmuni meo in tales viros ſtudio, tum propria erga te voluntate incenſius. Nam & ſanctiſſimum vt tu rectiſſime perſcribis, accedit patriæ vinculum & ſtudiorum ſimilitudo, in quibus ego non modo non primas appeto partes, ſed & commode agi mecum arbitror, ſi in maximis occupationibus, quæ & animum meum & operam diſtrahunt, aliquod retineam veſtigium priſtinæ voluntatis. Omnino ocio nihil beatius optabiliusque, quod quidem in legendis aut etiam æmulandis doctiſſimorum virorum monumentis traducatur. Quo poſteaquam ego ſpoliatus ſum, tu qui id optimi & liberaliſſimi præſulis Graſſenſis noſtri beneficio, vt ſcribis, es aſſecutus, partem tibi beatæ vitæ maximam ab eo eſſe collatam debes exiſtimare. In quo ego & tuo & bonarum artium ac literarum nomine habeo illi optime merenti gratiam, libentiſſimeque profiteor, me quoque tali pro munere ei eſſe obſtrictum. Ac mihi vtinam aliqua aliquando tribuatur occaſio ad vos & in iſtã prouinciam proficiſcendi, vt cum conſuetudine veſtra, tum eo ipſo quod cæteris rebus omnibus antepono, ocio perfrui mihi liceat, in qua vna nunc ſpe & cogitatione acquieſco. Sed quando id niſi ſaluo officio faciendum non eſt, & vt quidem nunc eſt, non perſpicio quo pacto honeſte me explicare poſſim. Quod noſtræ interea eſt poteſtatis, inſtitutam amicitiam noſtram & fide & beniuolentia

lentia

lentia mutua excolamus. Quo ego in genere, arbitror ſi me de rebus tuis quid vel interſit tua, vel tu maximè optes admonendum duxeris, me tibi ſatis eſſe facturum. Vale & Graſſen. noſtrum ſaluere à me plurimum iube. Ex vrbe pridie kal. Maias. M. D. XVIII.

Chriſtophoro Longolio. Greg. S.

QVod fieri poſſe non arbitrabar, vt ad Venuſini noſtri in me innumerabilia merita cumulus aliquis accederet, hoc proximis diebus, dum Romæ eſſet, ſum conſecutus. Vt eſt enim in explendis omnibus amicitiæ numeris, non officioſus modo, ſed penè dixerim ambitioſus, non ſatis ei fuit (quod quidem erat maximum) te ſibi conciliaſſe, niſi me quoq; in amicitiã tuam inſinuaret, & quidẽ tam arcte, ut, ſi repentinus eius diſceſſus nõ obſtitiſſet, fueris literas ad me daturus. Quæ etſi mihi pergratę futuræ fuerunt, facile tamen patior, partem aliquam inſtituendæ inter nos amicitiæ mihi abs te fuiſſe relictam. Quando enim tot tuis meritis reſponderem, qui nec etiam nunc, qua ratione id perficiam ſcio? Quanti enim me putas facere, quod prior ad me amandum acceſſeris, non modo nullo beneficio aſtrictus, ſed nec de facie quidem cognitus? Si enim cumulatiore menſura iubet Heſiodus reddere αὐτῷ δόμεν *quid faciemus beneficio prouocati? Illud vero non iam amicitię fructum, ſed fęlicitatis partem non modicam nobis polliceri videtur, quòd te deſyderio*

huius noſtræ ſolitudinis non mediocriter affici intellexi. Nequeo enim id maximopere non probare, quo, & delector ipſe vehementiſſimè & tranquilliſſimè fruor. Caue vero credas, locum aliquem ſalubriorem amœnioremúe eſſe inſula Lerinenſi, cuius cœlum cum ad corporis firmitatem, tum etiam ad excitanda ingenia plurimum valere cognoui. Etſi enim non ſatis mihi probantur vis terræ occulta, aut locorum genij, quæ Platonicis video placuiſſe, referre tamen plurimum quo ſub cœlo quiſque degat, Thebanorum & Athenienſium argumento, grauiſſimos etiam philoſophos opinari nouimus. Cum vero omnium ferè inſularum hoc proprium ſit, vt liberrimo & ſereniſſimo cœlo gaudeant (quare comodiſſime in inſulis viſus eſt ſibi Homerus fingere ſedes beatorum) ea tamen potiſſimum Lerinenſis inſulæ natura eſt, atque adeo, vt nullus vnquam dies fuerit, quin aliqua eius hora ſolem viderimus, ne iam de vnis Syracuſis hoc dici poſſe videatur. Quàm autem faueat ingenijs, coniectura facile poſſumus aſſequi, ex vberrimo doctiſſimorum hominum prouentu, qui inde aliquando prodierunt. Taceo liberalium artium ſtudia, quæ hic tam nunc floride reuiuiſcunt, quàm olim ſitu & incuria exaruerant. Nec quidem arroganter dictum velim exiſtimes, cum per omnes diſciplinas, & merito laudatam ἐγκυκλοπαιδίαν in arcem doctrinarum certatim conentur qui hic degunt euadere. Solitudo vero ea eſt, vt profanum modo vulgus oderit & arceat, qua nihil puto amicius ingenijs, qui maximum neſcio

quid

quid ſpectantes, totos ſe liberalibus ſtudijs tradiderunt. Accedit Epiſcopi Graſſenſis mira quadam liberalitas & honeſtus amor in literatiſſimos quoſq; hoc eſt, tui ſimiles. Quæ omnia, cum & prædicationem noſtram & opinionē tuam ſuperare non dubitem, te ſummopere hortor, vt quam tibi mentem Deus Opt. Max. dedit, eam audias, illi obſequaris, nec te aſpectus ille vrbis & fallaces illecebræ, in quibus tanquàm in æſtu iactaris, tranſuerſum ferant. Magnum eſt quidem in vrbe totius orbis facile principe, inter doctiſſimos viros, vel primum vel in primis numerari, magnum, quis neſcit? At verò illud maximum, quòd te audio animo concepiſſe, tranquillo ſolitudinis literatoq; ocio triennium ad ſummumue quadriennium frui, quo poſſis totius antiquitatis monumenta excutere & æmulari, tibi immortale nomen, ætati noſtræ decus, poſteritati vtilitatem non mediocrem pariturus. Qua quidem in re, (ſi ſolitudinem hanc adamaris) & fidem & operam meam tibi polliceor. Nec iccirco credas velim, me, quid mea interſit, potiuſquàm quid tibi conducat proſpicere. Longiſſime id quidem & ab animo & ab inſtituto meo eſt, vt meis potius commodis quàm amicorum progreſſibus conſultum velim. Expecto equidem quid de hac re ſtatueris quamprimum fieri certior. Et ſi enim te magis quàm tuas literas deſyderamus, erit tamē quod tibi acceptum referam, ſi literis ſaltem inſtitutam amicitiam excolere non grauaberis. Vale.

Gregorio Corteſio monaco. Chriſtophorus Longolius. S.

ITa eſt, vt ſcribis: Venuſinus noſter in explendis omnibus amicitiæ numeris, non officioſus eſt modo, ſed penè dixerim ambitioſus. Parum ei ſcilicet viſum fuit, me, nihil tale neque merentem, neq; ſperantem, in amicorum ſuorum album retuliſſe, quod certe apud me maximi eſt beneficij inſtar, niſi & iſtic te quoque mihi conciliaret: & quidem tam arcte, vt etiã literas ad me confeſtim dederis, tui in me amoris indices locupletiſſimas. Ne quid hic de eximio illarum candore, & vere priſca illa elegantia commemorem, quibus ſanè dotibus à reſcribendo me tam facile deterres dum inuitas, quàm earum humanitate etiam atque etiam prouocas, vt haud ſatis compertũ habeam meritus ne ſit de me Venuſinus antiſtes optimè, quòd mihi tantum amicum comperarit; an peſſimè, quod me ad hanc reſcriptionis aleam, hoc eſt, infantiæ meæ profeſſionem, incautum perduxerit. Profectò niſi me aut coniectura, aut eius in me fallit amor, ea vobis de me pollicitus eſt, quæ nec vir modeſtus agnoſcat, nec homo Gallus præſtare queat. Alioqui, tibi in mentem qui veniſſet, homini longe doctiſſimo, vt me, quem ne nomine quidem noras, ad amicitiam vltro prouocares? ad contuberniũ tam humaniter inuitares? Verum quibus ille me laudibus onerauerit, quid tu illi de me oppido quàm amanter nuganti,

temere

temere credideris, vos ipſi videritis. Ego nanq; cum id etiam ſim ætatis, vt literas honeſte amplecti poſſim, ea inſcitia vt maxime debeam, eo animo vt ſummopere cupiã, fruar interea illius amore, tuo errore, amborum haud ſcio quàm vana, mi certe frugifera perſuaſione, videbor mihi hactenus operam in re literaria haud omnino luſiſſe, quod cum illi tam belle imponere, tum te virum tam anxie eruditum rebus meis adiicere potuerim. Licet ille fidem immodica mei prædicatione ſua apud te labefactarit, licet tu commendationẽ eius ſecutus, nunc te falſum doleas, meus tamen es, quãdo nullo meo dolo malo huc deductus es, vti ſyngrapham ad me dares, qua mihi & te amicum profiteris, & fidem operamq; tuam ingenue promittis. Hic tecum ſummo iure experiar vir doctiſſime, quatenus intelligas nihil tua referre, mea plurimum intereſſe, vt iſtuc quamprimum deuolem, illo veſtro amœniſſimo ſeceſſu per ociũ vſurus, conſuetudine tua fruiturus, commercio tot doctiſſimorum dicam an ſanctiſſimorum hominum? beatus futurus. Nam vt partim ab iis, qui iſtinc quotidie veniunt audio, partim ex Sapphico illo tuo carmine, quin etiã ex literis tuis intelligo ſi vſquã gentium terreſtris illius παραδείσου *ſimulacrum conſpici poteſt, iſtic poteſt, vt mihi haud dubie Lerina inſula cum ob cæli clementiam atque ſoli benignitatem, tum ob circumiacentis maris cõtinentiſque felicitatem, quibus veluti bonorum omnium cumulus accedit incolarum diuinitas, fortunata merito dici poſſit, niſi forte iuſtius eſt, eã à præclaris illis heroibus multiplex co-*

gnomen-

gnomentum trahere, ut eadem honorata, eadem amanda, eadem hylaris appelletur. Sed hæc huius non ſunt temporis. Mitto ad te exemplum illarum quibus te ad amicitiam prouocaui literarum, ne in hoc tibi imprudens blandiaris, quod inſtituendæ inter nos amicitiæ auctor fueris. Ego enim ſi neſcis, ut par erat, princeps ad te græce ſcripſi, dedique epiſtolam eodem quo hinc Venuſinus noſter profectus eſt die, ut mirum mihi ſit, eam tibi nondum fuiſſe redditam. Vale: Romæ, octauo kal. Februarij.

Stephano Saulio. Gregorius S.

PArum abfuit, quin amicitia tua, qua haud ſcio an aliud gratiùs mihi, non modo acciderit aliquãdo, ſed nec in poſterum poſſit accidere, Graſſenſem noſtrum mihi reddiderit ſubiratum. Cum enim quæ inter nos conſtitueramus cum eo agerem, multiplici illum moleſtia affectum intellexi; Primum quidem, quod incommode accidiſſet eo te potiſſimum tempore ad nos accedere, quo ſacrorum procurandorum gratia, illum neceſſe fuerit abeſſe; Deinde quod perſonam diſſimulaueris, ut nec abſens quidem declarare poſſet aduentum tuum, ſibi fuiſſe quàm gratiſſimum. Poſtremo, quod cum ſatis ſperaret omnibus eſſe teſtatiſſimum, nihil ſibi eſſe optatiùs, quàm ſua omnia expoſita eſſe virtutũ amatoribus, tu tamen præter animi ornamenta, ſplendore etiam nobiliſſimæ familiæ, ſibiq; adeo coniunctiſſimæ, inſtructus, veritus aliquando fueris, quin omnia quæ

illius

illius ſunt, tibi eſſent communia. Nec multum defuit, quin etiam conuitiis ab eo peſſime acciperer. Dolere enim ſe mirum in modum dixit, quòd cum meo quodam iure poſſem quicquid libuiſſet de eo polliceri (vtar enim teſtificatione ſui erga me amoris) non continuo te eiuſdem iuris ſocium participemque acceperim. Quare nihil eſt deinceps, quòd à Graſſenſi noſtro verearis, quem ſemper eo animo præditum erga cupidos literarum noui, vt beneficium dando ſibi videretur accipere. Nouit inſuper (quod M. Tullius ait) valde eſſe decorum, patere domos illuſtriũ hominum, illuſtribus hoſpitibus. Quæ igitur ad te ſcribo, non modo eius voluntate ſcito me ſcribere, ſed perinde ea accipito, quaſi ab eo obſignatam ſyngrapham acceperis. Quicquid poteſt opibus, autoritate, gratia, totum eius nomine tibi polliceor, nihil illi gratiùs facere poteris, quàm ſi eo vteris ad omnia quę in rem tuã fuerint. Vtaris vero ea animi magnitudine, qua tibi offerri vides. Quapropter, confeſtim ad nos venias cenſeo: venies enim & illi & nobis optatiſſimus, eoque amplius, ſi Longolium, communes omnium noſtrum delicias, tibi ſocium adiunxeris. Mitto præterea ad te caput, laborum dicam an ineptiarũ mearum? quando ita tibi libuit, nec petenti fas erat quicquam denegare. Tuum erit & fidei & officij meminiſſe, vt cum ea, quibus viſum fuerit oſtenderis vel ſupprimas, vel certe ſcindas. Opus eſt, vt ſcis, cuius non modo coronidem: ſed nec adhuc penè dicam fundamenta poſuimus. Et ſi aliquibus longior in hoc proœmio videbor

fuiſſe,

fuiſſe, debebunt illi ex hoc membro, laxitatis totius corporis coniecturam facere. Excreſcet enim, quod adhuc conijcere poſſumus, in ſex & triginta libros. qui deinceps in ſex tomos, vt faſtidio lectorum proſpiciamus, diuidentur. Fortaſſe etiam, vt ſunt mutabilia hominum ingenia, ex his quæ ad te dedimus, nihil perfecto opere remanebit. Vt quod antiqui pictores ambitioſius omnino fecerunt, quàm verius, potuerim fronti operis ἐποίει *inſcribere. Vale.*

Cælio Calcagnino. Gregorius S.

QVando poſt diuturnum ſilentium literas eram ad te daturus, gaudeo eam mihi potiſſimum oblatam eſſe occaſionem, qua neque gratior, neque honeſtior deſyderari potuerit. Quid enim mihi omnino aut iucundius, aut optatius accidere poteſt, quàm vt opera mea tibi homini longe doctiſſimo, virum admirabili doctrina conciliem? Veriſimile eſt, Chriſtophorum Longolium tibi fama eſſe notiſſimum, is Venetias profecturus, fuit apud nos dies aliquot; cum quo ſępe de te ſermonē habens, rogare nō deſtiti, vt te viſurus Ferrariam diuerteret. Sed plane precibus meis locum non reliquit: cum enim quæ in te eſſent ornamē ta morum & doctrinæ & à Graſſenſi Epiſcopo & à me acce piſſet, ita tui viſendi deſyderio exarſit, vt ſi nulla alia eſſet cauſa, grauiſſimam hanc iudicaturus fuerit, propter quam iam iterum in Italiam reuerteretur. Habes ergo virum non amicitia tua tantum, ſed conſuetudine, & vt ita di-

cam,

cam, contubernio digniſſimum, Cum quo mihi intercedũt omnia iura ſummæ neceſſitudinis, ſed illud præcipue, quod in eo multæ ſunt & elegantes cum græce, tum latinæ literæ, & admirabilis illa ut græci dicunt ἐγκυκλία παιδεία, Quare quod facilitate tua ſponte eras facturus, ut te doctiſſimo viro totum traderes, magnopere rogo ut commendatione mea cumulatius facias. Et ſi enim omnia virtuti per ſe debentur, æquum tamen eſt, ut amicorum commendatione præſertim non vulgari nec perfunctorie, etiam cumulatiſſime voluntati aliqua fiat acceſſio. Vale.

Andreæ Naugerio. Gregorius S.

NIſi mihi eſſet perſpectiſſimum, q̃ facile in amicorũ numerũ reciperes, non modo doctiſſimos quoſq;, ſed vel mediocriter cupidos literarum, pluribus fortaſſe verbis eſſem uſus, ut tibi Chriſtophorum Longolium cõciliarem. Veruntamen, cum illum tibi fama eſſe notiſſimũ certiſſime credam, etiam nihil ſcribente me, iam te illi ob innumeras eius virtutes eſſe amiciſſimum certo ſcio. Amico tamen Venetias proficiſcenti & poſtulanti à me ſæpius ad te literas, deeſſe non potui. Id vero eo feci libentius, quòd duplici officio mihi defungi videbar. Primũ quidem quod tandiu abſens, tibi quem mirabiliter & diligo & obſeruo literas à me ſciebam deberi. Deinde quòd quas dediſſem Longolio velut quoddam vinculum interpoſitum, ita nos viciſſim deuinctũrum conſiderem, ut ſicuti primum me-

dio, ſic iſtud ipſum poſtremò connecteretur. Quod fortiſſimũ vinculi genus in deuincienda rerum omnium natura, commentus eſt Plato. Eſt omnino Longolius noſter cum bonorum omnium, tum præcipue tua amicitia digniſſimus, ob animi virtutes complures, & abſolutam quandam omnium diſciplinarum cognitionem. Quæ vt nihilominus diligentius excolat, & quod vix fieri poſſe intelligo perfectius aſſequatur, Venetias eſt profecturus. Ita patriam tuam ex omnibus potiſsimum locis ſibi delegit, quòd in ea bonarum artium propemodum alibi extincta ſtudia non modo id quod apud omnes conſtat, reuixere: ſed etiam dijs hominibuſque fauentibus, feliciſsime adoleſcũt. Quare ſi quid commendatione mea ad id quod ſpõte facturus eras accedere poteſt, te ſummopere rogo & obteſtor, vt hunc talem virum omnibus officijs demereri velis. Si.n. illi gratia opibus & ſtudio cõmodaueris, nihil erit (crede) quod aliquãdo eius amicitię te pœniteat. Vale.

Stephano Saulio. Gregorius S.

F*Vit apud nos Longolius noſter dies aliquot, benignè admodum exceptus à Graſſenſi noſtro. In quo iuuene, quæ virtus cui præſtet, non facile dixerim, ita omnes principem ſibi locum in eo vendicare videntur. Admiratus ſum tamen in ea ætate, cum diſciplinarum ferè omnium cognitionem, tum præcipue quod id potiſsimum profiteri videretur, de quo verba facere libuiſſet. Nam morum*

rum facilitatem, ſuauitatem congreſſus, facile mihi perſuadeo illum ex diutina tui conſuetudine fuiſſe adeptum. Cum igitur tot in eo admirabilia inuenerim, vnum tamē fuit, quod potiſſimum admirarer, ea tamen ratione, ut non modo non probarē, ſed etiā ſummopere deteſtarer. Quod ſcilicet, nec precibus meis, nec obteſtationib' adduci potuit, vt nobiſcum eſſe vellet. Agebam ego cum illo ex ſyngrapha, quod mihi id per literas fuiſſet pollicitus, producebam teſtem Venuſinum Antiſtitem, at que adeo rationibus oſtendere nitebar ita in rem ſuam eſſe, quid quæris? Vnica exceptione tam difficile iudicium euaſit. Imperatū ſibi eſſe dixit à Pont. Maximo, vt ſimulatque rebus domeſticis conſuluiſſet, denuo reuerteretur in Italiam, ibiq; eſſet quo iuſſus eſſet accedere. Quoque minus illum temere immutaſſe voluntatem conijcere poſſemus, maximis ſe affectum beneficijs oſtendit, & in rebus aduerſis gratia ſubleuatum, vti integrum ſibi non eſſet quæ Pont. iuſſiſſet, facturum non recipere. Iam quæ huic amici morbo Graſſenſis adhibuerit medicamenta, ſuperuacuum eſt ſcribere: cum nec aliquid profecerint, & vix credibile videatur, virum tantæ autoritatis, ſuadentem ea quæ amico tantopere conducerent, quæ peteret non impetraſſe. Id vero mi Stephane, & ſi moleſtiſſimum tibi fore certo ſcio, tuæ tamen prudentiæ erit, non ex vnius voluntate pendere. Maximum & ſummopere laudabile eſt, quod animo concepiſti, et ſi perfeceris, animi tui magnitudine digniſſimum. Nec vero locum inuenies, qui

tam facile huic deſyderio tuo quietum ocium, & commodum ſeceſſum præſtet, ſicut Lerinam noſtram. At non erit nobiſcum Longolius, moleſtum id ſane, doctiſſimi ſcilicet amici abſentia, longe tamen futurum moleſtius, ſi nō vel maioribus vel certe paribus commodis damnum hoc compenſari poſſet. Primum quidem quòd erunt nobiſcum alij forte tam græcis quàm latinis literis (quod pace amici dicere liceat) Longolio non inferiores, qui à te honorificè habiti, libentiſſime te ſequentur, & eo præſertim vbi non minus ſibi ipſis quàm tibi prodeſſe poterunt. Nam quid in hac inſula ſis inuenturus, malo te tacitum & reminiſci & cogitare, quàm id à me tibi ſcribi, quippe quod de eo periculum feceris. Melius tamen omnino negocium hoc tractatum eſſet, ſi coram nos mutuo alloqui potuiſſemus, quod niſi & longinquitas viæ & maris inconſtantia obſiſteret, adhortatus te eſſem vt omnino hac æſtate ad nos proficiſceretur, de cõmunibus rebus collocuturus. nam quominus ego ad te proficiſci poſſim, ſcis me & ritu & cerimonijs religionis impediri. Si tamen quæ mea ſit de hac re ſententia penitus exquiris, ſcribam apertè ſicut & mea natura & noſtra amicitia poſtulat. Si hominem habes apud te, qualem habiturum ſperabas, nihi plane opinor tibi eſſe conducibilius, quàm vt quamprimum ad nos aduoles, non modo de his rebus collocuturus, (id enim vix tanti eſſet) ſed domicilium habiturus in ea inſula, cuius dominium dudum adeptus es, non ex noſtra tantum, ſed & ex Graſſenſis noſtri liberalitate. Nec vt ita tibi ſuade-

ſuaderem, amor tantum mihi ſuaſit, longe id quidem à me ut in re tanti ponderis antequàm ad dicendam ſententiā accederē, non omnia colluſtrarim, qui plane ſcio, ſi te aliquando huius profectionis pœnitere cœperit, futurum eſſe ut me quoque conſilij pœniteat. Jam mihi videre videor qui congreſſus noſtri futuri ſint, quàm ex longiſſimis dies in anguſtiſſimum ſpacium ſint contrahendi, quàm denique quotidie apud nos magni aliquid & literarum cupidis perquàm utile ſit naſciturum, quod deniq; tecum muſas gratiaſq; omnes ad nos ſis aduecturus: quod ut quāprimum facias etiam atque etiam rogo. Vale.

Benedicto Theocreno. Greg. S.

Niſi me humanitas officiumq; coegiſſent, melius omnino modeſtiæ rationem habere potuiſſem, ſi nullas ad te dediſſem literas. Tuæ nanque & ſi amiciſſime ſcriptæ, ingenium facundiamque tuam ſummopere declarabant, me tamen tam multiplici laude onerabant, ut ferè etiam tui ſimiles & iure laudatiſſimi, magis vim amoris in eo, qui ſcripſerit, excuſare, quàm eiuſmodi prçconium recognoſcere potuerint. Quare non aliter cauſam hanc explicari poſſe exiſtimaui, quàm ut vel tacitus locum hunc præterirem, uel quamlibet elaborata epiſtola, quantum de me deciperere locupletiſſimū afferrē teſtimonium. Tu igitur videris quid de me ſentias, viderit Saulius noſter, quantum in hac ſententia peccet, viderit denique Longolius & ſi eſt om-

eſt omnium πάνυ διδασκαλικωτέρων quàm inconſultò in hoc iudicium venerit. Ego certe ſatis habebo, ſi vel hac ratione in amicitiam tuã irrepſero, quem οὐκ ἀνθρωπίσκον οὐτ' ἄμουσον, vt inquis, ἀλλὰ τὸν περιφανῆ ἄνδρα καὶ πολυμαθέστατον. Non ergo tantum, ſed doctiſſimi quique & diligunt & obſeruant. Quod niſi fidem de te mihi feciſſent elegantiſſimæ illæ tuę literę, verè ex diuino fonte manantes, ſatis declarare poterat, quali eſſes ingenio quantaque doctrina, quòd vnus electus ſis à Fulgoſiis principibus, qui illis aſſidue hæreas, quorum id eſt iudicium, ea prudentia, ut cũ omnibus abſq; controuerſia ſplendore, & animi magnitudine præſtent, magis tamen in eo ſunt admirabiles, quod hi prudentiſſimi iudicantur, qui illorum prudentiam, non dico aſſequi, ſed quanta ſit intelligere poſſunt. Quod cum ita ſit, nemo eſt qui ambigat, nihil illis probari poſſe, quod non idem in ſuo genere ſit omnium probatiſſimum. Tantum igitur abeſt, vt vel abſens vel præſens aliquid à me diſcere poßis, vt præclare etiam mecum agi putem, quod me in amicorum tuorum numerum aſcribere non grauaris: niſi forte iuxta ſenſum græci Prouerbij mihi volueris eſſe diſcipulus πολλοὶ γὰρ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Poſthac certe ita tibi perſuadeas velim, multos eſſe qui virtutes tuas & ſi cupient æmulari, aſſequi tamen poſſe diffidant innumeros qui tantum admirentur. Me ſane vnum eſſe, qui cum illarum luce perſtringar, amorem erga me tuum omni humanæ fęlicitati anteponam. Illud modo ſupereſt, vt mutuis & officijs, & literis inſtitutam amicitiam excolamus. Si quid

igitur

igitur in re tua deinceps accidet, vt quippiã à me tibi gratum proficiſci poſſit, id de me tibi licet polliceare, quod de homine à teneris (vt græci dicunt) vnguiculis, tibi coniunctiſsimo. Vale.

Benedictus Theocrenus. Gregorio Monacho S.

REdditas tibi fuiſſe literas meas, illud fidem facit certiſsimam, quod, quas ad te Saulius eidem homini dederat, accepiſſe te ad Saulium ſcribis. neque fieri potuit, vt alteris incolumibus, alteræ perirent: præſertim vno in faſce (vt ait Saulius) colligatæ. Nihil tamen, quod ego quidem ſciam, aut certe ſuſpicari poſſim, adhuc reſpondiſti: nam, ſi quid ſcripſiſſes, fuiſſet id non minus ad nos perlatum, quàm, quod ad Stephanum aliosq́; item, quos eos genere officij non indignos duxiſti. Vnus itaque preteritus eſt Theocrenus, idque à Corteſio, qui ſcribendi diligentia, quos non vincit, facile æquat. An ego ſic tibi indiſertus, & facultatis oratoriæ omnino expers viſus ſum, vt meas nugas initio repellere malueris, quàm eas bis, quod tamen non effugies, perpeti? at humanitatem tuam nemo non prædicat, eſt que ea iam pridem conſtans de te opinio, vt literarum ſtudioſos, quotquot nactus fueris, vltro inuites & aptis ſuaſionibus ad propoſitum tuendum horteris, tantum abeſt, ut ex eo numero aliquem faſtidioſe abijcias. An vero potius occupationes effecerunt, vt mei obliuiſce-

obliuiſcereris? minime inquies: durum eſt enim etiam homini pluribus negocijs diſtricto, confiteri, memoriam ſibi alterius excidiſſe, qui prior amicitiam ſecum inſtituere ambiuerit. Quid igitur cauſaberis Gregori? quo ſaltem prętextu negligentiam tuam minus culpabilem oſtendes? In eas.n. te anguſtias compuli, vt vel tergiuerſans elabi non poſſis, quãquam aiunt diſputatorem eſſe vehemẽtiſſimum. Verum nõ protinus adeo inexorabiles aduſus te fuerimus, vt iuſto dolori plus demus, quàm vnis literis tuis, modo aliquando ſcribas. Quod ſi abs te impetrare nequiuero, non committam poſthac, vt vllius nos impotunitatis redarguas. Video hic, quod nimis acerbe feram, ingenuo te rubore confundi, vt ſtylum arripias & ex temporali apologia non ſolum obiecta purges, ſed eo amplius me recrimineris, quod potuerim in animum inducere, negligentia te peccaſſe. Sed quid faciam, cùm nihil mihi occurrat, quod te ea ſuſpicione liberet? Verum de his plura fortaſſe, quàm tenera adhuc noſtrę amicitię incunabula patiantur. Chriſtophorus Longolius, vt ex eius literis ad Saulium ſcriptis cognouimus, Lugdunũ ſoſpes peruenerat, inde digreſſurus cum primum ſe equoſque de via feſſos curaſſet. Dij boni, quàm praeclare vir ille de vobis ſentit? quę de iſto ſeceſſu commemorat, tum de liberalitate & animi magnitudine Graſſenſis veſtri, cuius ſi decem principes ſimiles haberemus, optimè cum literis ageretur, breuique tantus ingeniorum prouentus appareret, vt nunquam antiquitas fortius prouocata ſit. Ei tu me Gregori,

ſi mutuo

ſi mutuo amabis, totum trades, non enim puto hominis deditiſſimi patrocinium ab eo Antiſtite repudiatum iri, qui nihil aliud dies noctesque agitet, quàm, ut literarum ſtudioſos omnino aliquo inſigni beneficio ſibi demereat, quanquam ego ipſe intra paucos menſes omnino te, illumque inuiſam, cum minime uerear, quin in octo aut ad ſummum decem dies, commeatum à principibus meis impetrem, præſertim ad tam præclarum negocium, tamque neceſſarium. Vale.

Gregorius. Benedicto Theocreno S.

SErius tibi redditas eſſe literas noſtras, non admodum moleſte tuli. Fuit enim hæc tarditas cauſa, ut & amor in me tuus, & ingenij tui libertas, aliquanto quidem quamprius, apud me expreſſiora fierent & illuſtriora. Et ſi enim non alium te eſſe quàm Saulius noſter mire deſcripſerat mihi erat perſuaſum, fecerunt tamen poſteriores tuę literæ, ut quæ in te ſunt ornamenta morum & doctrinę, perinde atque ea quę oculis cerni ſolent, mihi eſſent perſpectiſſima. Gratanter igitur amiciſſimam increpationem tuã accepi, amaui libertatem, amorem recognoui, admiratus ſum eloquentiam. Eo tamen magis gaudens, quòd in quo accuſabar, culpa uacabam. Licet namque in amicitia excuſatio omnis ſuperuacua uideatur, nequaquã tamen ingenui animi indicium eſſe duco, ibi culpã recognoſcere, ubi non eſt. Dedi uero ad te literas, ſi non eodem die quo tuas

acceperam, certe altero aut tertio. Vt autem citius ſeriuſ-ue redderentur, qui præſtare poteram? Tu vel tarditatem vel negligentiã meam vt libet accuſato, dum tamen ab omni ingratitudinis (vt nunc loquimur) nota me liberes: A qua tam animus meus abhorret, quàm etiam cognomen gentilitiũ. Quod vero ſcribis vereri te vt acrius me increpueris, quam teneræ adhuc amicitiæ noſtræ incunabula patiantur, longe mi Theocrene, quantum fert opinio mea, deciperis: vt enim incunabula hæc eſſe non negauerim, quippe nedum anniculæ amicitiæ, ſic non contrario teneræ & imbecilla confitebor, quando vt aliquid de Poetis afferam, etiam in crepũdijs legimus eliſos angues. Ego vero quo primum die tuas accepi literas, ita me totum tibi tradidi, vt ante Saulio condonaram, nihil ſuſpicans minus illius fieri quod tibi eſſet traditum. Quare iam adeo fixas radices amicitię noſtræ non dubito, vt nec temporis diuturnitate, nec ſilentij incuriæ poſſint aliquando labefactari. Accedet vero aliquid, quod etiam eius fibras corroboret, ſi iam ex condicto ad hanc amœniſſimam inſulam, ruſticatum an feriatum dicam? diuerteris. Quod niſi à principibus tuis, qua ſunt humanitate, facillime cõmeatum (vt ipſe ais) impetraturum eſſe conſiderem, poſthabita omnino temeritatis macula, quæ fortaſſe mihi merito poſſet inuri, idipſum etiam ab eis per literas expetiſſem. Suppeditaret mihi, crede, amor in te meus, etiam Demoſthenis fulmina, vt quicquid liberet, vel ab inuitiſſimis poſſem extorquere. Te igitur propediem expectamus, neq;

C cgo

ego tantũ, ſed & Graſſenſis noſter, vnicus hac tẽpeſtate, aut certe cum principibus tuis tantum, literarum patronus. Is, ex quo die tuas ad me literas legit, quæ aduentũ tuum vltro pollicebantur, non facile abſentis deſyderiũ ferre poteſt. Quare recte feceris, ſi nos hac expectationẽ, qua nihil (vt ſcis) moleſtius eſt amantibus, quàm ocyſſime liberaueris. Vale.

Gregorius. Stephano Saulio S.

ETſi propter locorum diſtantiam nihil hactenus amorẽ noſtrum imminutum eſſe, ex me ipſe certiſſime intelligo, hoc certe incommodi longinquitas hæc in amicitiam inuexit, quod vterque noſtrum rarius ab altero literas accipit. Nam quod abs te, ex quo Genua diſceſſiſti, nullæ mihi redditę fuerint, malo id quidem fidei tabellariorum, quàm vel obliuioni vel negligentiæ tuę aſcribere, qui adeo diligenter & ſanctæ amicitię iura omnia cuſtodire ſolitus es, vt nullus in te ſit obliuioni in eo genere, aut tarditati locus, præcipue cum ad te iam binas dederim. In eam igitur opinionem veni, vt ſuſpicer, vel quas ſcripſiſti ad nos non eſſe delatas, vel rurſus noſtras ad te minime perueniſſe. Quorum vtrum minus vellem, non facile dixerim. Quod ſi forte grauior quæpiam honeſtiorque cauſa tibi reſcribendi facultatem ademit, feram id quidem æquo animo, patiarque me interim incredibili illa voluptate, qua in legendis literis tuis affici ſoleo, ad tempus pri-

uari. Hęc vero nulla alia eſſe poteſt quàm ſtudiorũ aſſiduitas, à qua omne tibi tempus ſurripi, tantopere lætor, vt non magis acceptis literis tuis ſim gauiſurus. Si vero ſatis & ſtudijs tuis & deſyderio meo diligẽtia tua fieri poſſet, nemo me beatior. Ardeo enim cupiditate incredibili, intelligendi abs te potiſſimum, an iſtic bonarum literarũ ſtudia regerminent. Cui præcipue diſciplinæ te totum tradideris, an quod magis opinor circa orbem illum laudatiſſimum verſeris aſſidue. Si quos tibi viros hactenus conciliaſti ingenio, doctrinaq; excellentes, & complura eiuſmodi, quæ ſi ſimul eſſemus, inter nos colloqueremur. Ego vero in proximis Reipub. Caſinarum Comitijs, vacationem à publicis muneribus impetraturum me eſſe confido, id enim petij & enixiſſimis pręcibus & compluribus ab honeſto vtilique ductis argumentis. Quod ſi extorquere potuero, ita me deinceps ſtudijs bonarum literarum dedam, vt quod hactenus temporis aliud agẽti elabi potuit, & ſi non reuocare, certe diligentia, & ſedulitate compenſare poſſim. Jamque idoneum ſeceſſum ipſa etiam Lerina amœniorem ſalubrioremq; maxima cura Graſſenſis meus mihi præparat. Cui cum ob innumera alia beneficia in me, tum præcipue hoc nomine tantum debeo, quantũ vix animus meus capere poteſt. Veruntamen, vt deinceps res ſe ſe habebunt, fies à me in dies certior. Longolium noſtrum ſi iam tecum eſt, à me ſaluere iube, ad quem etiam literas dediſſem, ſi mihi eſſet exploratum ipſum eſſe Patauij. Illud præterea te nolo ignorare, quod apud nos per triduum

fuit

ſuit Theocrenus noſter cuius, & eruditione, et comitate ita delectatus ſum, vt vix nũc abſentis deſyderiũ ferre poſſim. Longus mihi de te cum illo ſermo fuit, & de Lazaro Vercetino viro doctiſſimo, de quo tu iam antea ad me ſcripſeras. Cui ſi me totum tradideris, tam mihi erit gratum, quàm à me ſcis doctorum virorum non modo deſyderari, ſed ambiri etiam amicitiam. Vale.

Stephano Saulio. Gregorius S.

CVm te propediem ſperarem ad nos eſſe venturum, accepi literas tuas, datas kal. Iulij, tardius tñ redditas, quàm vterque noſtrum deſideraſſet: accepi enim ad XVII. kal. Septembris. Cauſa fuit, quod is cui dederas, ſarcinulas quaſdam in quibus literæ erant repoſitæ, Genua abiens, ſecum deferre oblitus eſt. Detulit tamen gręcorum librorum faſcem, pro quibus ad nos tranſmittẽdis, amorem an diligẽtiam magis in te prędicem, nõ ſatis ſcio, vtrumque certe ſummopere admiror: qua de re, ſi iam ad amicitiam noſtram, ſi ad tua erga me merita cumulus aliquis addi poſſet, hoc officio omnia eſſent cumulatiſſima. Quid enim gratius, quid optatius ei accidere poteſt, qui in ſtudiis eſt aſſiduus, quàm vt librorum illi adſit copia? quod magna ex parte, amore & diligentia tua ſum conſecutus. Illud tamen vehementer admiratus ſum, quod pretium non indicaueris, præſentem enim pecuniam tibi ſolui imperaſſem. Id vero vt quamprimum facias te etiam

atque

atque etiam rogo. Ex eiſdem præterea literis intellexi q̃ ſuſpenſo animo & ſolicito ſcire cuperes, quid de Longolio noſtro actum eſſet, ſcripſi id ad te longiore epiſtola quam non dubito, quin acceperis. Quòd vero conſilium exquiris meum, & ſi nemo melius quàm tu tibi dare conſilium poteſt, dicam tamen, quod ſentio. Vix adduci poſſum vt credam, te in patria id aſſecuturum quod in animum induxiſti, vt aſſequerere, ſcriberem quare ita ſentiam, niſi te quoque idem ſentire confiderem. Enimuero ſi conſiliũ eſſet, ad celebre aliquod Gymnaſium te conferre, cuiuſmodi ſunt in Italia plura, nec id plane ſatis probarem: qui enim publicas ſcholas habent, genus illud literarum quod tu tantopere cupis, nec profiteri volunt, ſi poſſint, nec forſan etiam poſſunt ſi velint. Quod ſi in ipſis vtrunq; adeſſet, adhuc tamen hanc ſolitudinem, anxiis illorũ magis quàm vtilibus, ex hedris prætuliſſem. viuendũ illic ex multorum ſententia, habenda ratio & nobilitatis & dignitatis, quin temporis interdum non leuis iactura facienda eſt, ne aut moroſus, aut intempeſtiue ſeuerus indicere. Si igitur iam virum tecum habes, qualem habiturum confidebas, quid erit cur in hac amœna ſolitudine cõſtitutus, tumultuoſos Gymnaſiorum cœtus deſyderes? Totus hic tuus eris, niſi forte cũ ipſemet ſponte volueris noſter eſſe. Nihil ambitioni, nihil gratiæ dandum erit. Denique plura in hoc ſcribenda occurrunt, quàm vt epiſtola comprehendi poſſint, & coram magis quàm per literas declaranda. Quare ſi ſapis mi Stephane (vt certe ſapis) ad

nos te confer cum locupletiſſima illa tua librorum ſupel-lectili, iam enim (quod ad ſtudia attinet) pars anni lõge commodiſſima inſtat. In qua ſi me audieris, non unius modo diſciplinæ inſtituemus ſcholas, ſed orbem illum laudatiſſimum, maximo animo, aggrediemur. Poſtremo, quod me hortaris, ut boni ratiocinatoris more, ſummam faciam accepti expenſi que, feci, & quidem diligenter, rationibuſque ſubductis, & ſi alias omnia tibi debeo, nihil me tamen eo nomine debere comperi. Dedi unas ad te, Melchiori Lanterio, Graſſenſi binas. Quartæ iſtę ſunt: à te vero ternas tantum accepi. Nam quas tu ad me dediſti τῇ πατρῴᾳ διαλέκτῳ *rurſuſque quas ego nautis tuis dedi, omnino eximi volo e numero literarum noſtrarum. Videris igitur: & ſi quod ad elegantiam attinet,* χάλκεα χρυσείων, *an quod ad cætera pares fecerimus rationes. Vale.*

Hieronymo Palmario. Gregorius S.

CUm una eſſemus ego & Graſſenſis Epiſcopus, redditę mihi ſunt abs te literæ, grauiſſimæ illę quidem, & elegantes, ſed ea potiſſimum de cauſa ſupra quàm dici poteſt gratæ, quod inexpectatum mihi lucrum attulerunt, amicitiæ tuę conciliationem. Quam tanti facio, quanti ſanctiſſimi, doctiſſimique viri neceſſitudo fieri debet. Si enim repente inuento theſauro, fama eſt homines tantopere lætari, eò abſque controuerſia magis inuento amico lætari debemus, quo multo rarior prætioſiorque eſt amicus verus,

rus, quàm rariſſima illa prætioſi theſauri inuentio. Verun tamen in hac amicitia cōcilianda, neſcio quid præ te tuliſti ſenilis prudentiæ, præoccupaſti enim partes quæ honeſtiores erāt, difficiliores vero nobis reliquiſti. Si enim auctiore cumulo acceptum beneficium reddi debet, me quamlibet deinceps enitar, longe tamen intra officij debitum relictum iri non dubito. Hoc tamen, in his anguſtiis, vtor ſolatio, quod non referendo tantum, ſed habendo etiam gratiam, pares rationes in amicitia, grauiſſimorum autorum ſententia merito fieri poſſe, dicuntur. Sentio vero mi Hieronyme, ſentio quā graui onere præmar, quòd tu prior ad me literas dederis, ea præcipue morum & ætatis grauitate, vt vix futurum fuerit vt auderem, niſi prouocatus, me in amicitiam tuam inſinuare. Miſiſti præterea multiplex elegantiſſimumq; munus, quod mihi iccirco gratius fuit, quòd in hanc ſolitudinem, vt rectiſſime ſuſpicaris, rariſſime talia perferuntur. Idemque vt deinceps facias ſæpius, etiam atque etiam rogo. Non enim vereor vt tibi moleſtus ſim, ſi id à te repetam, quod ſponte debere voluiſti. Quod ad cætera attinet, auderem dicere te ſacietate quadam & langore ſtomachi, poſt Hermolaos Hieronymoſque donatos, maximi quidem illos nominis, ſed doctrinæ longe maioris viros, amicitiam noſtram expetiſſe, niſi mihi perſuaſum eſſet, te id ætatis virum, non doctrinam quæ in me nulla eſt, ſed religionis opinionem quandam ſecutum fuiſſe, quam tamen ita profiteor, vt magis hactenus à longe proſpicere, quàm conſequi poſſe

videri

videri poſſim. Quale vero id ſit quod ſpōte appetiſti, tuū erit iudicium. Ego quæ meæ partes ſunt, deinceps enitar, & niſi fallor præſtabo, vt quoniam in proferendis amicitiæ fructibus, longe te ipſo inferior ſum, in amore tamen nihil tibi concedam. Ac ne in fructu quidem: ſi quidē, quod & perurbane dicit Cicero, finis amicitię nobis propoſita eſt ipſa amicitia. Hæc ipſa tamen, neſcio an amicitia magis quàm pietas, recte dici debeat: fecerunt enim & ætas & vno omnium ore laudatiſſima virtus tua, vt te mihi in parentis locum, cōfeſtim, acceptis literis tuis, aſciuerim. Quare ea tibi de me pollicearis velim, quæ ab optime inſtitutis filiis, parentes expectare debent. Sciaſque nihil, etiam apud te tibi eſſe tam promptum, aut tam paratum, quàm in omnibus quæ ad te pertinent officium voluntatemque meam: Vale & viros doctiſſimos Benedictum Theocrenum, & Hieronymum Monelianū nomine meo ſaluere iube. Et quoniam aliena magis q̃ tua ad me mittere voluiſti, mitto & ego ad te Phaleutiū Dioniſii Monachi, qui nuper mihi diſcipulus, nunc etiam ſcriptorum meorum Ariſtarchus effectus eſt.

Benedicto Theocreno. Gregorius S.

NOn potui expreſſius, in his quæ profectionem meam ad vos attinent, animum meum declarare, quam vt iſtuc vnum ex collegio noſtro mitterem, & eum præcipue, cuius fidem & prudētiam iam diu cognitas habeo:

quique omnium cõſiliorum meorum, non modo particeps, ſed etiam arbiter, & moderator fuit. Ex eo mi Theocrene intelliges, quid optem & quid ſtatuerim. Te vehemẽtiſſime pro amicitia noſtra, rogo, vt totus in hoc negocium incumbas, quod ſi ex ſententia confectum erit, omni ope conabor, vt te nunquam ſuſcepti huius laboris pœniteat. Et ſi enim iure meo quodam, poteram tecum ex formula agere, quod vltro mihi tanta pollicitus fueris, quanta nec optare quidem auſus eſſem; tantum tamen abeſt, vt aliquid à te exigere velim, vt etiam commodiſſime mecum agi putem, ſi rogatus in hoc negocio, operam tuam impendere non grauaberis. Cæterum diu hæſitaui, an ad principes noſtros literas darẽ, & vicit tandem pudor officium, quod veritus ſum ſępius moleſtus eſſe principibus in maximis rebus occupatiſſimis. Tu certe ſi quid tibi, ſubruſtico hoc pudore peccaſſe videbor, culpam omnem eloquentia tua diluere poteris. Vale.

Auguſtino Grimaldo Epiſcopo Graſſen. Gregorius S.

IAm condixeram, vt hodie præſens medicamentum ſumerem, pro ea qua detineor infirmitate, cum mihi retulit Benedictus gratum me tibi facturum, ſi Canoas proficiſcerer. Dolui ſane curationem non poſſe in alium diem differri: nec minime aduerſa valetudo torquebat, quam iuſſis tuis nõ obtemperare; Viſum eſt igitur, vt has ad te

darem

dare quo fierem certior, quanti in præſens aduētum noſtrū ad te faceres. Si n. valde id cupis faciet pietas in te mea, vt neque ægritudo ipſa mihi moleſta ſit, eatenus ſaltem quoad tecum fuero. At vero ſi id minus putaueris neceſſarium, die Veneris tecum ero, & ſi te ab hoſpitibus liberum inuenero, vacuumque aliquantiſper ab his moleſtiis à quibus aliquando omnino liberari deſyderas, manebo apud te, donec Lerinam ſimul proficiſcamur, ad diui Honorati natalitia celebranda. Vale.

Stephano Saulio. Gregorius S.

SEmper quidem mihi gratiſſimæ fuerunt literę tuæ, doctiſſimi ſcilicet hominis, & mei amantiſſimi. Veruntamen, quas poſtremo ſub diſceſſum tuum dederas, dicere nō poſſum, quàm iucundę, quàm etiam dulces mihi viſę fuerint. Et ſi perſpectus mihi erat amor in me tuus, exprimebat tamen elegātiſſima illa Epiſtola affectus quoſdam ſuauiſſimi amoris, vt in ea legenda, vim lachrymarum profuderim. Teſtis eſt qui ſimul aderat Dioniſius noſter, me non ὑπερβολικῶς, *ſed* ἀληθῶς *dicere ſingultibus impeditus fui, quominus clara voce quæ ſcribebas poſſem enunciare, Ne tu homo es penè dixerim intemperata humaitate, qui cum ego omnia tibi debeam, ita mihi gratias agis, quaſi iccirco mihi debeas, quòd ego tibi tantum debeo? Quid, quòd & beneuolentiæ & amicitiæ gratiſſima quidem nomina, leuiora tibi videntur, quàm vt amori in me tuo poſſint ſa-*

tiſfacere, Sanctiſſimo illo pietatis vteris, quod tamen mibi rurſus non ſatisfacit. Etenim, vt ex me ipſe facio coniecturam, eiuſmodi inter nos vinculo cõnectimur, vt facilius à nobis ſolis intelligi q̃ uerbi alicuius notione exprimi poſſit. Quapropter minus mirandum eſt, ſi non magnopere id tentem declarare, quod verbis declarari non poſſe certiſſime ſcio. Tantum habe, vt eum tibi & ingenio & doctrina omnino conceſſerim, quod ad cætera attinet, Corteſium alterum eſſe Saulium, mihi eſſe perſuaſiſſimum. Quare pergamus hoc quicquid eſt amicitiæ, magis non deſcriptum quàm non intellectum, mutuis & officiis & literis excolere. Quo quidem in genere, qualem me præſtare oportet, magnifice oſtendiſti. De libris enim in literis tuis miꝛum ſilentium, quare coniecturam facio, te id quod eo nomine tibi debebã, expenſum donationibus tuliſſe. Quoniã igitur cumulata menſura iubemur reddere, video ſupellectili etiam oppignerata, non acceſſione modò cumuli, ſed nec pari menſura tibi à me poſſe perſolui. Veruntamen bene habet, quod eo pacto iubet Heſiodus, ſi tamen reddi poſſit. Quare, quoniam nullo pacto referre, certe habere gratias potero. Non enim videor mihi cum Cicerone poſſe dicere, me eum eſſe, qui confidam nullam eſſe gratiam quam remunerando cumulandoque illuſtrare non poſſim. Erunt igitur libri illi cum ob dignitatem ſuam, tum ob ſtudium meum, incredibilis tui amoris apud me teſtes ſempiterni. Cæterũ ex literis Longolij Lugduni datis ad Graſſenſem noſtrum, coniectura aſſequor illum iam apud te eſſe. O ſuaues con-

greſſus

greſſus. O ſuauiora colloquia. O ſuauiſſimam neceſſitudinem. O qui me gelidis in vallibus illis ſiſtat. Iam incipit mihi ſordeſcere Lerina mea. Enimuero quoniam vix fieri poſſe intelligo, vt gratiſſima cõſuetudine veſtra fruar; illud mihi erit gratiſſimum, ſi intellexero de me inter vos quàm ſæpiſſimis ſermonem haberi, vt mihi inde nunquã aures non tinniant. Poſtremo quòd fere oblitus eram ſcribere, vide mi Sauli, quàm non modo te ipſum, ſed & tuos omnes mihi eſſe deuinctos putem. Vtor quotidie humaniſſimorum fratrum tuorum opera, in tranſmittendis Roma Genuam & inde Lerinam libris græcis, quos frater meus emptos Romæ ipſis fratribus tuis dat ad me. Qua in re, & ſi nihil adhuc offenſum eſt, gratiſſimum tamen mihi feceris, ſi vtrique fratri dederis literas, coniunctionis & amicitiæ noſtræ teſtes, Vt quod adhuc factum eſt humaniter, promptius deinceps fiat & alacrius acceſſione commendationis tuæ, creberrimas à te literas expecto. Vale.

Graſſenſi Epiſcopo. Gregorius S.

QVamuis aduentus Sadoletti ad nos gratiſſimus mihi fuerit, longe profecto gratior futurus erat, ſi tu hic affuiſſes, quæ enim ad eiuſmodi hoſpites recipiendos ſpectant, omnino diligentius curata eſſent, data tamen eſt à tuis opera, vt quàm fieri poſſet, comodiſſime exciperetur. Euenit vero præter ſpem, vt tumultuarie ſumpto prandio, cum paulo ante meridiẽ applicuiſſet, hora tertia hinc diſceſſerit

ſceſſerit, Antipolim profecturus. Ego autem cum putarem ſatis anguſte pro ea multitudine, hoſpitium illic paratum eſſe, ſtatui ea die profectione ſuperſedere, mane deinceps hominem conſecuturus. Eiuſmodi autem tempeſtates ſecutæ ſunt, quæ me omnem profectionis cogitationem coegerũt abijcere. Nihil enim (vt ſcis) adeo imbecillitati meę contrarium eſt, vt vehemens auſter, qui ea die qua profecturus eram, fuit vehementiſſimus. Enimuero cum ſemper hæc corporis imbecillitas mihi moleſta fuerit, nunc demum viſa eſt etiam ærumnoſa, quod propter ipſam factũ ſit, vt longe mihi gratiſſimo ſpectaculo caruerim: trium ſcilicet virorum congreſſu, optimorum ſimul & doctiſſimorum, addo etiã (quod caput eſt) amantiſſimorum mei. Summopere vero tibi gratulor, quod tales apud te hoſpites habiturus ſis, quorum memoria arx ipſa Monoeci longe mihi impoſterum futura ſit gratior. Perſuaſum habeo Caſtellanum diutius apud te fore, & ſi enim de remanſione ſua ambigue mecum loqui mihi viſus eſt, quæ tamen eſt hominis humanitas, ſcio ipſum, cognita de ſe expectatione tua, nec præcibus tuis locum eſſe relicturum. Vale.

Federico Fregoſio Epiſcopo Salernitano. Gregorius S.

EAdem ſæpius ad te ſcribere non grauabor. Quando enim nullæ abs te nobis redduntur, facile mihi perſuadeo, noſtras quoque minime ad te perferri. Nequaquam

enim

enim verisimile ſit, poſt eas quas Pariſiis ſcripſiſti, etiam ſi nihil literarum à me acceperis, nihil à te datum eſſe. Lerinam veni pridie Id. Julij, eo potiſſimum conſilio, vt te quamprimum conuenirem, quem Maßiliæ eſſe intellexeram, frueretque ſaltem diebus aliquot iucundiſſimo illo atque ſuauiſsimo congreſſu tuo. Deiectus demum ea ſpe, quod te Lugduni etiamtum moram trahere, ciues quidam Genuenſes tibi coniunctiſsimi, mihi renunciarunt, ſtatui tantiſper apud Graſſenſem commorari, quoad caſu aliquo tu ad hanc Prouinciam diuerteres, quod breui fore honeſtis grauibuſque de cauſis mihi perſuadebam. Dedique interim diligentiſsime operam, vt ſæpius noſtræ ad te perferrentur: ſperans hac ſaltem ratione, facile quippiam literarum à te elici poſſe. Quod cum ſecus ac ſperarem ceciderit, & ſi nihil erat in quo te accuſare nec vellem ſi poſſem, nec poſſem ſi vellem, ſubibat tamen interdũ (fateor) animum meum cogitatio, me tibi penitus excidiſſe; Inter has meas ſolicitudines repente ſuperuenit Iacobus Sadoletus, qui euocatus à Pont. Max. Romam pergebat. Is vero ſtatim, vt eſt tui amantiſsimus, Nunquidnam, inquit, à Salernitano? nihil inquam, & ſi ſæpius ad ipſum literas dedi. Minime, inquit, mirum eſt. Equidẽ ex quo ad hanc prouinciam applicui, cum crebris illum epiſtolis excitarim, nec literam quidem ad hanc diem ab ipſo exprimere potui. Tunc vero omnis ex animo meo dubitatio abſceßit. Et ſi enim nihil te in amicitia aut officio peccare poſſe, mihi antea erat perſuaſum, tunc demũ tamen ſtatui, te nunquam

quam commiſſurum fuiſſe, ut tantus vir, cum prior ad te ipſe ſcripſiſſet, fruſtra à te literas deſyderaret. Omnemque in iniquitate temporum & quorundam hominum malitia culpam reieci. Veruntamen, ne & ego diutius literis tuis carerem, quo nihil mihi moleſtius accidere poteſt, & ut Sadoletum quoq; eaſdem à te expectare fieres certior, ſtatim ad te hanc ſcripſi epiſtolam: dediq; operam diligentiſsime, ut ad Andream Auriam regię claſsis præfectum illico perferretur. Perſuaſum habens, neminem eſſe qui certiores ad te nuncios dirigeret. Satis mihi erit mi Federice, ſi inter maximos difficillimosque negociorum fluctus, quibus te continenter agitari non dubito, tantillum ſaltem tēporis amori erga te meo impartias, ut me facias certiorē, an ſpes aliqua ſuperſit, fore, ut te citò videre poſsim. Nulla eſt, mihi crede itineris difficultas, aut laboris moleſtia, quæ me à te conueniendo poſſit abſterrere. Vale.

Lamberto Epiſcopo Venuſino. Gregorius: S.

ANtonij noſtri ingenium & diligentiam nequeo ſummopere non probare, qui, & ſi, ut audio, humanioribus literis nunciū remiſit: & in interdictis totus & actionibus verſatur, iucundam tamen adhuc memoriam retinet priſtinorum ſtudiorum, nec æquo animo pati poteſt bonarum literarum candorem, quem tanto ſibi labore, & ſtudio comparauit, barbarorum ſordibus maculari. Declarat

rat nimirum iſtud erudite & pereleganter ad te ſcriptæ literæ, & inueſtigandis Bibliopolarum officinis mirifica diligentia. Cæterum, quod requiris quoſnã libros iudicio meo magis probem, ex his quorum nomina ad te dedit, facis tu quidem humaniter & amice, ut quorum (ut ego interpretor) uſum mihi tecum communem fore deſyderas, in his etiam coemendis, iudicium meum uelis interponi. Sed ut omnino temerarium opinor de his quæ nunquam uiderim imprudenter iudicare, ſic Chryſoſtomi commentarios in Geneſim, modo acceſſerit interpretis fides & diligẽtia, omnino tibi habendos puto. Sunt enim apud me iidem græce ſcripti, quibus nihil fieri poſſe opinor in eo ſcriptorũ genere abſolutius. Enimuero, quid opus eſt ſingula perſequi cum Plinij ſententia omnes tibi probati eſſe poſſint? Nullus adeo malus liber eſt inquit, ex quo non quippiam utilitatis erui poſſit. Non igitur timẽda eſt hæc quãtulæ pecuniolæ iactura, præſertim ſi cum eiuſmodi re commutetur, quæ facile omnibus pecuniis longo interuallo pratioſior iudicari debeat. Vale.

Auguſtinus Epiſcopus Graſſenſis Iacobo Sadoleto S.

GRauiſſimo mihi fortunæ uulnere afflicto, redditæ ſunt literæ tuæ pleniſſimæ & officij & humanitatis. Cum enim me abs te ſummopere amari mihi antea fuerit perſuaſiſſimum, hæc tamen potiſſimum Epiſtola expreſſius

quodammodo & illuſtrius incredibilem tuam erga me beneuolentiam, tãquàm ea quæ oculis cerni ſolent, mihi perſpectam fecit. Quapropter, multis honeſtiſque de cauſis, non modo grauiſſimi caſus leuationem aliquam, ſed ſolatium etiam non mediocre nobis attulit. Cum enim hoc meo tempore te ita affectum fuiſſe cognoſcam, vt penè ipſe conſolatore indigueris, ejuſmodi tamen & ſententijs & rationibus vſus es, quæ cum per ſe ad leuandum dolorem grauiſſimæ eſſent, fiebant tamen acceſſione autoritatis, atque eloquentiæ tuæ longe grauiores. Ego vero, quemadmodũ nunquam me fratremúe meum, præcipua quadam conditione inter cæteros homines natos eſſe exiſtimaui, vt non ſubitis maximiſque fortunæ ictibus ſubiaceremus, ſic fateor, nunquam me eam animi celſitudinem prætuliſſe, vt omnes humanos caſus animi mei magnitudine inferiores eſſe crediderim. Enimuero, quis adeo præmeditatus, aut præmunitus eſſe potuiſſet, quem ſi non mors acerbiſſima vnici fratris, genus ſaltẽ ipſum immanitatis & inaudita crudelitas non commoueret? Nullam opinor aut prudentiã, aut doctrinam tantum virium habere potuiſſe, vt acerbiſſimum hunc dolorem moderate fuerit toleratura. Sed ne atrocitatem ſceleris commemorando acerbum illud vulnus recrudeſcere faciã, ad me ipſum, meaſq; proprias calamitates me conuertam. Erit enim per quàm ſalubre medicamentum, incredibilis doloris ærumnas meas atq; calamitates tecum communicare. Ego quidem cum iam inde ab adoleſcentia eruditi ocij & literarum fuerim cupidiſſimus,

aſsidue

aſsidue tamen grauibus curis eiſdemque neceſſariis ſimul & moleſtiſſimis, velut quodam reflante vēto, à tranquillitate portus quam à longe intuebar, in maximos negociorum fluctus memini me eſſe delatum. Cumque diutius difficillima, vt ita dicam, nauigatione vſus, nunc demū immenſum illud pelagus ſuperaſſe me putarem, cœperam iam ad diu cupitum vitæ genus actiones meas accommodare, potiſſimūq; aduentus tui ad hanc prouinciam expectatione recreabar; quod in eo me cernerem partem longe maximam fœlicitatis collocare poſſe, ſi tecum mihi viuere liceret. Poſtquam vero mihi renunciatum eſt, te iſtuc aduentaſſe, tantam animo cœpi voluptatem, vt me putarē quod diu optaueram, cumulatiſſime conſecutum. Et vt nihil mihi deeſſet ad id quod inſtitueram, diligentiſſime operam dedi, vt apud me haberem Gregorium Monachū ciuem tuum, cuius cum mores, & pene dixerim, pietas erga me mihi cognitiſſima ſint, animo meo longe cariſsimus eſt atque gratiſsimus. Ex ea vitæ tranquillitate, adeo moribus & inſtitutis meis accommodata, repente non in luctū modo laboremque detruſus ſum, ſed ad tam afflictam perditamq; fortunam deuolutus, vt non amicis tantum, & his omnibus quæ ſummo mihi ſtudio comparaueram, ſed meipſo etiam mihi penitus ſit carendum. Quare, tantum abeſt vt dies ipſa luctum meum leuare poſsit, vt ſummopere verendum ſit, ne etiā longinquitate tēporis augeatur. Cum enim cæteri dolores vetuſtate mitigari conſueuerint, hic non poteſt non & ſenſu præſentis miſeriæ &

 recor-

recordatione prateritę vita quotidie augeri. Iam ſolatia illa ſtudiorum qua ipſe mihi adhibiturus fueram, irruentibus vndique moleſtiarum fluctibus ſic obruuntur, vt nec veſtigium fere ſupereſſe poſſit priſtina conſuetudinis. Vnica mihi inter tot calamitates iucunditas ſupereſt, Gregorij mei conſuetudo, & quotidianum vt ita dicam contubernium, in quo interdum aliquantiſper depoſitis curis & doloribus, acquieſco. Apud quem, tantum valuit ſanctum & venerabile amicitia nomen, vt ſpreta ſtudiorum gratiſſima quiete, ſpretis tot locorum amœnitatibus, quibus ordo ille hominum potiſsime abundat, non moleste tulerit mecum in has locorum anguſtias detrudi & ablegari. Cuius cum tantus amor erga me ſit, interdum tamen vereri cogor, ne tedio atque ſacietate praſentis vita & prioris deſyderio, inter tot tamque moleſtas ſolicitudines, ſolum me repente deſtituat. Quod ſi forte contigerit, erit tunc mihi literarum tuarum ſolatium, quod nunc quidem maximum eſt atque optatiſſimum, tunc etiam vnicum mihiq; pręcipue neceſſarium. Vale.

Hieronymo Adurno. Gregorius S.

QVod nunquam fore putaui, vt illis gratias deberem, qui me librorum meorum ſuppellectili ſpoliarant, id mihi nuper beneficio atque humanitate tua contigiſſe gaudeo. Ea nanque iniuria potiſſimum cauſa extitit, vt gratia atque fauore tuo indigerem, qua mihi ita humaniter,

atque

atque abunde pollicitus es, vt tamen ampliſſimas pollicitationes, opera atque officio ſuperaris. Jamque animo meo gratius eſt atq; iucundius quod te rogarim, quàm id quod poſtulaueră impetraſſe. Accidit enim mihi, licet aliud agenti, eius tamen rei cupidiſſimo, vt in amicitiam tuă clanculum inſinuarer, qua nihil mihi gratius non modo aliquădo contigit, ſed vix etiam in futurum contingere poſſe non dubito. Libros præterea diligentia atque amore tuo conſeruatos ad vnum omnes recuperaui. Cæterum & ſi officio ipſo admoneor, vt à te ſuſcepti pro re mea laboris aſſidue memor eſſe debeă; præcipue tamen cum ad hos ipſos libros acceſſi, nihil aliud nobis perſuadere velle videntur, quàm vt cuius opera factum eſt, vt cum ipſis aßiduus eſſe poſſim, eius ſaltem iucundam ſuauemque memoriam aßidue teneam, quando nequeam tantis tuis in me beneficiis, aut ſtudio aut opera reſpondere. Ego vero facile hoc me facturum recipio, quod vt opinor, egregie ſum præſtiturus. Tantum enim abeſt vt moleſte feram in hac noſtra ratione, me tibi plurimum debere, vt etiam ſi quid ad cumulŭ accedere poteſt, magis magiſq; in poſterum tibi debendi ſim cupidißimus. Quod vero ad cætera attinet, nequaquam expectandum eſt, vt tibi quippiam de me pollicear, cui deinceps liberum fore confiteor cuicunque volueris de me polliceri. Vale.

Hieronymo

Hieronymo Adurno. Gregorius S.

NIhil mihi moleſtius accidere poterat, quàm ut noſtræ ad te literæ non perferrentur. Quod ſiue iniquitate temporum euenerit, ſiue negligentia eorum quibus commendatæ fuerant, non ſatis ſcio. Certe cum idipſum mihi Saulius noſter renunciaſſet, qui poſtquam eas fideliſsime accepit, quas ad ſe eodem die dederam, compluribus diebus ſe tecum fuiſſe dicit, nihil mihi uiſum eſt eidem officio præuertendum. Quæres forte, quidnam grauioris rei literæ illæ habuerint, ut ipſas periiſſe tantopere doleam. Illud utique, quòd in maximorum uirorum uitam moreſque intuens, maximam ſemper uim in optima quaque natura habuiſſe cognoſco. Vereor enim ne parum memor acceptorum beneficiorum iudicari poſſim: cum hoc ipſo nihil facilius efficere poſſit, ut male collocata eſſe uideantur. Ea uero quę in me cõtuliſti, talia tãtiq; põderis extitere, ut meipſum mihi hoc officio abs te reſtitutum eſſe & confitear & præmeferam, cum illud mihi reſtitueris, ſine quo uita omnino mihi acerba futura uidebatur. Quid.n. libris gratius eſſe poteſt, his qui in libris aßidue uerſari cõſueuere? Quare, cum nequaquam par gratia à me poſſit tanto beneficio referri, certe operam dabo, ne eius memoriam ulla unquã deleat obliuio. Et ſi qui deinceps fructus futuri ſunt ſtudiorum meorum, quod à te omnes proficiſcentur, merito etiam tibi dicatos conſecratoſque ſuſpendemus. Vale.

Hiero-

Hieronymo Adurno. Gregorius S.

ILlud demum ſummæ innocentiæ teſtimonium mihi eſſe videtur, cum diligenti hominum perueſtigatione cuiuſpiam moribus vniuerſoque vitæ curſu ſeuere examinato, nihil inuentum fuerit, non modo quod puniri debeat, ſed nec quod iure reprehendi poſſe videatur. Et ſi quiſpiam eiuſmodi inuentus fuerit, hunc non verebor illis præferre, qui tranquillam & opinione omnium innocentem vitam ducentes, nunquam hominũ iudiciis aut quæſtionibus excuſſi deceſſerunt. Quare ſi mihi Scipionis illius qui à Se. Rom. vir optimus iudicatus eſt, Cenſoriíque Catonis qui quater & quadragies cauſam dixit, toties abſolutus, facienda ſit contentio, nõ verebor longo interuallo Catonem præponere. Quod & de quibuſdam Ariſtophonte & Cephalo ſcripſit Æſchines, quorum prior γραφὰς ἑβδομήκοντα καὶ πέντε πέφευγεν *alter autem* οὐδεμίαν πώποτε γραφὴν πέφευγε. *Infinitæ ſunt nempe non in pectoribus modo, ſed in hominũ etiam actionibus latebræ. Innumerabiles ſinus, diſſimulando multa, plura etiam ſimulando, complures innocentiæ bonitatiſq; nomen nanciſci poſſe videntur. Vt non alia de cauſa fabricatorem hominis Momus reprehendiſſe videatur, q̃ quod non pectora hominum feneſtrata feciſſet, vt non actiones modo, ſed cogitatus etiam liceret intueri. Cuius vero vita pulſatur quæſtionibus, iudiciis agitatur, vexatur teſtimoniis, in eo nihil latebroſum, nihil occultum reſidere patitur,*

tur,

tur, inimicorum diligentia, importunitas accuſatorum, in lucem prodeant vniuerſa neceſſe eſt. Adde etiam, quòd cum calumniarum obtrectationumque plena ſit vita, ille ipſe innocens, ſi in ſuſpicionem venerit, non verius abſolui poteſt, quàm ſi cum inimici quid in eo reprehendant non potuerint oſtendere, nec iuratus etiam iudex inueniat quid condemnet. Recte igitur maiores noſtrum, facile patiebantur plurimos accuſatores eſſe, quod innocens ſi poſtulatus ſit, ex ea ipſa accuſatione gloriam, honoremq; conſequi poteſt, reus niſi accuſatus, non poteſt condemnari. Vtilius vero eſſe iudicarunt innocentes abſolui, quàm nocẽtes cauſam non dicere. Idipſum vſu accidiſſe opinor Iuliano Grimaldo qui duabus rebus, quæ plurimum in Rep. valere cõſueuerunt, gratia ſcilicet, & clarorum virorum ingeniis oppugnatus, vim omnem accuſatorum, iudiciorumque tela, à ſeipſo ſociisque innocentia tantum & integritate tectus, magnifice repulit atque deiecit. Quare, nec locupletius quidem teſtimonium integritatis potuerat optare, quã illum ipſum exitum iudicij, tam præclarum atque magnificum. Vt iam non mirum eſſe videatur, quod abſolutus fuerit, ſed quid in mentem venerit inimicis, tanta innocentia virum accuſare. Admiranda tamen omnino mihi videtur huius viri mens atque conſilium: cui cum olim non ſuffecerit optimorum virorum ſententia illa, quæ, conſcientiã mille teſtium inſtar habere dicit, nunc etiam publico iudicio abſolutus non acquieſcat, vt facile coniectura aſſequi poſſimus, nõ potuiſſe eius hominis mentem iniquum aliquid concipe-

concipere, qui ſe in ſuſpicionẽ veniſſe perpetrati delicti, etiam abſolutus, tam inique patiatur. Cum igitur acta omnia eius iudicij examinarim, non ſecus de ipſo iudicare potui, quã quòd inimici eius, quod iuratus iudex, quod vir ille deo dicatus humani diuiniq́ue iuris cõſultiſſimus, iudicarit, Julianum ſcilicet tam longe abeſſe à culpa, quàm illi ipſi accuſatores à modeſtia abfuerunt. Hortarerq́ue te vt eadẽ de ipſo ſentires, quę tot teſtes iurati ſenſerunt, niſi mihi eſſet perſuaſum te non id à me quæſiſſe, quod ſecus ſentires, ſed quòd tecum quàmplurimos illius innocentiæ teſtis habere velis. Vale.

Benedicto Theocreno. Gregorius S.

NIhil mihi ſanè magis, præter ſpem accidere potuit, quàm vehemens iſthæc tua expoſtulatio. Quæ quidem, vt eſt magna vis eloquentiæ, me etiã ipſum primo aliquantiſper commouit. Veruntamen, cum me collegiſſem, compararéq; factũ meum cũ expoſtulatione tua, nihil omnino fuit, quod partem aliquam officij, illo tuo tempore, à me derelictam fuiſſe, mihi perſuadere poſſem. Nec quidem tantum mihi arrogo, vt affirmare auſim, quicquid amicitiæ noſtræ debebatur, à me præſtitum eſſe. Illud enim infinitum quoddam eſt, & quod à nemine, vt opinor, præſtari poſſe videatur. Quicquid tamen à mediocri viro expectari poteſt, abunde tunc à me præſtitum tibi fuiſſe, vehementer contenderim. Nec ſanè ęquum eſſe arbitror,

te, ex magnitudine animi tui, aliorum coniecturam facere, quem natura excelſum quendam & ſuperiorem omnibus humanis caſibus effinxit. Me vero vel frigidum, vel etiam ſi magis ita libeat, in communibus officijs ineptum appelles licet, dum planè nihil prudentem volentemq; in amicitia peccaſſe cõfiteare. Sed quoniam ad diſceptatorem Federicũ me vocas, à quo nec mihi, nec tibi eſt prouocatio, nihil eſt quod mihi difficile fore ſuſpicer in hac cauſa, quãdo & arbiter, non ſolũ propitius, mihi contigit; ſed qui patroni etiam perſonam ſuſcipere non ſit veritus. Poſt cuius quidem patrocinium, nefas omnino mihi eſſe putarem, verbum aliquod pro mea cauſa facere, niſi ad id aduerſarius me coegiſſet. Et nonnihil etiam vererer, ne tua hac expoſtulatione, in quotidianis congreſſibus, quæ tibi vis perſuadendi eſt, etiam ita erga me animato iudici, quippiam perſuaderes. Cum ſit illud eloquentiæ τὸν κρείττον᾽ ὅςις δεῖ καὶ τὸ ἥττονα. Ego mi Theocrene, quantũ memoria repetere poſſum iniquiſſimi illius temporis diſcrimina & calamitates, neminem fuiſſe opinor tã ſui compotem, qui, ultra id quod ob oculos eſſet, potuerit proſpicere: quod ſi aliunde non ſatis noſti, ex te ipſe coniecturam facias licet. Ego certe cum ad primam ſtatim hoſtium irruptionem cõplures deinceps impetum in me feciſſent, qui ſe pro comperto habere dicebant, auream argenteamq; ſuppellectilem, maximum præterea pretioſæ veſtis & gemmarum numerum à Federico ad nos fuiſſe tranſlata, amicorũ conſilijs acquieſcens ſtatui, mihi tantiſper tempori cedendum eſſe, donec atrox illa

tempeſtas

tempeſtas acquieuiſſet. Nec toto illo triduo quiſque omnino mortaliũ fuit, non dicam qui à te mihi tulerit nunciũ, ſed nec qui vbi gentium eſſem, poſſet cognoſcere. Cum vero ex illis, vt ita dicã, latebris prodijſſem, iamque pro aduerſæ valetudinis curatione dilutum neſcio quid bibiſſem, certior factus te Genuæ eſſe, quem cum Federico noſtro profectum credideram, aduentumque meum ad te deſyderare, oblitus omnino & valetudinis & pharmaci, confeſtim ad te aduolaui. Hic vero libenter taceo, in quibus viris quantaque opulentia, non illorum quidem, ſed temporis iniquitate, nihil non dicam auxilij, ſed nec conſilij quidem, te inueniſſe mihi narraueris: ne cum demum de me ipſe loquar, prudentiam tuam videar deſyderare, qui id ab hoſpite, & vt ſe res tunc omnium habebant, indigo rerum omniũ, ſperare potueris, quod tot ciues tui, qui in ſuis ſummis verſabantur, præſtare non potuiſſent. Amicorum inquies opera vtendum fuit. Id quidem certe dicere poſſem, quod meminiſſe te arbitror: cum plures me tunc appellaſſe, ſed illud planè tibi perſuaſum eſſe certo ſcio, me in tantillo temporis quo Genuæ, hoſpes fueram, neque certiores, neque fideliores amicos parare potuiſſe, quàm tu in patria tot annorum ſpacio parauiſſes. Quod vero ad Sfortiam Barbaroſque attinet, ſcis me difficillima diei hora illô tunc profectum, quo non ordinis, nõ valetudinis quidẽ, ſed amoris tantum noſtri ratio poſtulabat. Inter gentem efferatiſſimam, cuius ſe non regem, ſed ſubiectum eſſe ipſemet Sfortia, non eſt veritus confiteri. Addiditque inſu-

G 2 *per,*

per, nihil te ſperare de conditionibus quas firmaris poſſe immutari. Acerbeque me audiente Gilinũ increpuit, quòd vas pro te factus, ad illos proficiſci nõ extimuiſſet, à quibus ſuſpicari poſſet magnum aliquod malũ ſibi imminere. Summa poſtremo ſermonum hæc fuit: Cupere ſe quidem tibi Gilinoque ſtrenuam operam nauare, ſed nihil earum rerum fore in poteſtate ſua. Hic vero dicerem optandã mihi fuiſſe vim tuam perſuadendi, niſi viderem, te poſtea diebus compluribus, additis ad eloquentiam ſordibus & ſquallore, vultuque illo tuo, qui tacens etiam, maximi oratoris inſtar habere conſueuit, nihil de ſumma, quam pactus fueras, detrahere potuiſſe. Nihil illos flexiſſe ad miſericordiam, quos, qui ego non flexerim, tam acerbe mihi iratus fuiſti, vt etiam ſummo iure mecum experiri non dubitaris. Illud poſtremo quod minimum quidem eſt, in tam conſtituta amicitia, quoniam me ad calculos reuocas, præterire non poſſum. Vt ex Feritore, vbi diutius ſub ardentiſſimo ſole multæ à me difficultates deuoratæ ſunt, tandem correptus vehementiſſimis doloribus, vix domum me recipere potuerim, & vt ſequenti nocte inter manus miniſtrorum aſſiduaque fomenta, iacuerim ſemiuiuus. Id vero ea de cauſa accidit, quòd ſumpto medicamento, cõſuetam diligentiam non adhibuiſſem. Quare mihi neceſſe fuit, poſtridie eius diei quo hæc contigerant, violentius pharmacum ſumere, cuius vi affecto corpore cõplures dies memini me iacere: miſiq; illico qui nomine meo de his omnibus te faceret certiorem. Hæc ſunt mi Theocrene τῶ

δι ἐϛω-

ὧν ἔδειμα ἀπολογήσεσθαι quibus ſi acquieueris, pergratum mihi erit, ſi minus rurſus ad Federicum. Philippo Saulio non modo nomine tuo ſalutem dixi, ſed ad ipſum quoque detuli querelas tuas, qui, cum feſtinatiſſimo ſuffragio ſecundũ me iudicaſſet, magis mihi viſus eſt operam dare, vt te nihil in amicitia peccaſſe, mihi perſuaderet, quàm vt me quippiam peccaſſe ſuſpicaretur. Cæterum ita tibi perſuadeas velim, ſiue irato animo ad me ſcripſeris, ſiue vt ipſe prætefers, literarum mearum eliciendarum gratia, me cũ à Federico diſceſſerim, neminem habere, quem æquè ac te diligam & obſeruem, mihi iam diu perſuaſum eſſe te mirifice nobis in amore reſpondere. Quoniam vero ea tempora inciderunt, vt mutuo amore noſtro, coram frui non poſſimus, danda eſt ſaltem opera vt & literis & officiis nos inuicem creberrimis excitemus. Pergratũ mihi erit ſi Budæũ nomine meo ſalutaueris, noſque feceris certiores, quot qualeſque doctos viros tibi conciliaris, quid literarum, quid iudicij iſtic inueneris. Vale.

Luciano Monacho. Gregorius S.

VT veriſſime ſcribas, magnopere à me peccatũ eſſe, qui non latine ad te ſcripſerim, illud certe dicere nõ audebis mihi abs te facillimam tuam oſtenſam non eſſe πρὸς τὴν ἀντικατηγορίαν qui id imitari volueris, quod in me tãtopere tibi diſplicuiſſet. Nam quod me, & maiore ocio abundare ſcribis, & plus facultatis habere, vt cõmodius officio

officio potuerim ſatisfacere, mirum quod non videris futurum, ut neutrum à me tibi concederetur, nam & facultatis tantum in te eſſe certo ſcio, quantum vir ingenioſiſſimus, aſſidua lectione autorum eloquentiſſimorũ, adde etiã longo uſu ſcribendique exercitatione, conſequi potuerit. Ocij vero tam mihi, quàm tibi nihil ſuppetet, ſi hoc ſcribendi munus à qualicunq; negocio valuerit impediri. Ego vero quod ad me attinet, non cõmittam poſthac ut in hoc genere me accuſare poſſis. Tu vide, ne ullam ſpem excuſandę negligentię in negociorũ multitudine colloces. Quòd ſi à te fieri intellexero, ego quoque undique collectis excuſationibus te obruam. Cæterum multis grauibusque de cauſis, pergratę mihi fuerunt literæ tuæ, ſed ea potiſſimũ quod de Cœnobio illo noſtro, immo etiam communi patria, optatum mihi nunciũ attulerunt: vix enim dici poteſt, quàm mihi complures iam annos moleſta fuerint, quæ de illius calamitate, ocioſis hominibus obloquendi occaſionem præſtitere. Nunc verò vehementer gaudeo, omnibusque qui iſtic degunt ſummopere gratulor, quòd rebus in priſtinã, vel certe longe meliorẽ fortunam reſtitutis, nihil erit quòd ad cumulum ſummæ fęlicitatis deſyderari poſſit. Cum.n. diuina iſtic inter tot clades magis augmentum quàm imminutionem acceperint, valde conſentaneum eſt, humana quoque priorem ſtatum abunde ſuperatura eſſe. Quod vero de profectione mea iſtuc ſcribis, ſcito rationẽ rerũ mearũ ſic cõſtitutã eſſe, ut ſine maximo valetudinis & ſtudiorũ incõmodo, addam præterea niſi ratione officij derelicta,

pedem

pedem hinc mouere non poſſim. Quare, quicquid tibi impedimento fuit quominus ad nos proficiſcerere, illud ipſum longe abominor & deteſtor: caue enim credas aliud mihi gratius magisúe optatum accidere potuiſſe, quod propediẽ quoque fieri poſſe ut denuo accidat non omnino mihi deſperandũ eſt, niſi tibi mihiq; deeſſe volueris. Dionyſius noſter mecũ eſt, eritque, ut opinor, dies quàmplurimos, ut omnino cumulatiſſimo gaudio nihil deeſſe potuerit, ſi tu quoque iſtinc ad nos profectus eſſes. Vale, meque ſæpius literis tuis inuiſe.

Dionyſio Monacho. Gregorius S.

RECTE ſuſpicaris mi Dionyſi, literas tuas nobis redditas non fuiſſe, quem quidem caſum & tuli & fero moleſtiſſime. Carui enim oblectatione maxima, qua in legẽdis literis tuis affectus eſſem, & quod præterea amici diẽ perdidi. Si.n. Monachus ille qui huc appellere debuit quippiam opis vel gratiæ noſtræ indiguiſſet, & ſi eius generis omnia in me ſunt, ut Lucretij verbo utar, paruiſſima, cognouiſſet tamen quanti Dionyſium meum faciam. Eiuſmodi enim eſt amor in te meus, ut dum tibi morem gerã, nihil mihi arduum aut difficile videri poſſit. Alterum vero, quod ſcribis te ingẽti mei deſyderio affici, ſi omnino lex ea amoris eſt, ut amantes redamare cogamur, & in eo potiſsimũ pares facere utriusque paginæ rationes, ex animo meo facio animi tui coniecturam. Cæterum de vale-

tudine

tudine non adeo incommode mecum agitur, ſiue id clementia cœli, ſiue medicorum ſolerti cura, ſiue, quod caput eſt, quod omnibus aliis curis vacuus, huic præcipuè incumbo, vt accepta valetudinis incommoda aliquando reſarciam. Poſtridie eius diei quo hæc ad te ſcripſi, arrepturus iter erã Romã verſus. Vale & fratres omnes à me ſaluere iube.

Iuliano Monacho. Gregorius S.

Oſtendit mihi nuper tuas ad ſe literas Dionyſius noſter, quarum elegantia & candore mirumimmodũ delectatus mihi ipſi imperare nequiui, quin ſtatim tibi plurimum eo nomine gratularer. Nec pro eo tantum quod hactenus te conſecutum video (& ſi id eſt maximum) quantum quòd in poſterum certiſſimã mihi ſpem attulerunt mirifici progreſſus tui, vt veriſſime mihi perſuadeam, te hoc itinere pergentem, facile in arcem diſciplinarum breui euaſurum eſſe. Perge igitur Juliane, perge. Eandem nẽpe viam ſibi munientes maiores illi noſtri, ad eum & doctrina & ſanctitatis gradum peruenerunt, vt non tantũ ſibiipſis, ſed poſteris etiam præclaro illo & admirabili labore profuerint. Quę enim omnino vita eſſet eorum, qui ſe religioni totos dediderunt, niſi ducibus viæ maiorum lucubrationibus manutentim, vt ita dicã, per hos anfractus tenebroſaque loca incolumes deducerentur? Studia nempe literarũ cõiuncta pari pietate, Hieronymos, Gregorios, Baſilios, & eiuſmodi cumplures nunquam ſatis laudatos pro

meritis

meritis nobis peperere. Per quorum veſtigia quiſnam eſt qui tute poſſit incedere, niſi itineris oẽs difficultates & diſcrimina, ab eiſdem & exploratas & literis traditas cognoſcere valeat? Quod profectò facere nequeunt, qui ſpretis honeſtiſſimis ſtudiis nihil fere ſupra communem hominum cõſuetudinem rationem veræ vitæ & religionis leges valent perueſtigare. Nobis admodũ placet diuina illa Auguſtini ſententia Deum alloquentis. Beatus, inquit, qui te nouit etiam ſi iſta neſciat, longe tamen futurus beatior ſi & te & iſta cognouerit. Verũ cum initio propoſitum mihi fuiſſet, non exhortatione vti, ſed gratulatione potius, neſcio quo pacto ad te exhortandum imprudens delapſus ſum. Quare, hac potiſſimum ſententia concludam epiſtolam. Libenter tibi eos audiendos eſſe, qui te ad honeſtarum diſciplinarum ſtudia accẽdentes, equo ſponte currenti calcaria adhibent. Si qui vero ſecus facere tentauerint, quod vix contingere poſſe mihi perſuaſum eſt, eos putare debes miniſtros eius eſſe, cui nihil rectum, nihil ſanctum, nihil laudabile placere poteſt. Vale.

Benedicto Theocreno. Gregorius S.

QVod me neſcio quò pacto ſuppuderet inconſtantiæ literarum mearum, in his quæ reuerſionem meã ad vos ſpectant, longiſſimumque eſſet rationem reddere totiens immutati conſilij, eô mi Theocrene fui tardior ad ſcribendum. Cum enim circiter kal. Maij. eo conſilio ab vrbe

 diſceſſi-

diſceſſiſſem ut littorali via nihil interrupto itinere Genuam proficiſcerer: nondum recuperata priſtina ualetudine, medicorũ, qui Florentiæ ſunt hortatu, mutata itineris ratione, ad Aquarianas balneas profectus ſum. Quę me occupatum ſexaginta & eo amplius dies habuerunt. Succeſſit deinceps mulæ noſtræ ægritudo, & illa quidem adeo grauis, ut nec ad hanc diem ita conualuerit, ut ea cõmode uti poſſim. Et ſi hoc ipſum moram fortaſſe reuerſioni meę allaturum non fuiſſet. Licet enim eius potiſſime inceſſus imbecillitati meæ adeo accommodatus ſit, ut fere non alio uectore, æquo animo uti poßim, facile tamen fuiſſet conducto nauigio Mutina Papiam ſubuehi, niſi eiſdem ferè diebus literas accepiſſem à pontifice, ut Ferrariam quàmprimum proficiſcerer. Ibi uero compoſitis quibuſdam cum Principe negociis, Ad XIIII. kal. Auguſti Patauium ueni, ubi diebus aliquot doctorum uirorum utar conſuetudine, deinceps Mutinam reuerſurus & illinc continuo ad uos aduolabo. Habuerunt me in his quę ad reuerſionem meam ſpectant magnopere anxiũ, tumultus bellici & ſuſpecta undique itinera, quoq; magis etiã mouebar audita iſtinc, dicam audacter, patriæ meæ diſcrimina. Cur enim eam patriam non appellem, quam gratiſſima complurium conſuetudo, ipſa etiam Mutina mihi gratiorem carioremque reddidit, ut eam mihi potiſſimum in patriam cooptarim? Omnino quandiu à uobis abfuturus ſim, nec coniectura aſſequi poſſum, nec ſi poſſim, ſatis auſim ſcribere, magnopere timens ne denuo immutati con-

ſilij

ſilij, à vobis expoſtulari poſſim. Illud certe audeo affirmare, cum primũ per bellicos tumultus mihi licitum fuerit, me continenti itinere Genuam profecturum. Id vero ſi ſerius acciderit quàm vellet vterque noſtrum, animo quidem certe deſyderio, voluntate, ne momento quidem temporis me à te ſeiungi poſſe certiſſime te opinari volo. Et ſi principes noſtros negociorum magnitudo non ita diſtinuerit, vt id ipſum quoque impedimentum aliquod illis allaturum videatur, gratiſſimum mihi erit ſi ipſis rationem hanc diutinæ abſentiæ noſtræ, longius explicaueris. Vale.

Chriſtophoro Longolio. Gregorius S.

Accepi à te epiſtolam, plenam conſilij, ſummæq; tũ beneuolentiæ, tũ etiam prudẽtiæ. Quæ iccirco mihi gratior fuit, quod nihil à ſentẽtia mea, cõſilium tuum viſum eſt diſcrepare. Nunquam.n.ita docti inane nomen appetij, vt non longe magis deſyderauerim non haberi modo, ſed etiã bonum virũ eſſe. Vt etiam ſi alterutrius facienda eſſet iactura, nè ego haud paulo malim id propter quod potiſſimum cupimus docti eſſe, quàm non vanam modo & inutilem, ſed etiam eo pacto pernicioſam doctrinam. Veruntamen, quod ad negocium id attinet, de quo ad me tam multa ſcripſiſti, non memini me aliquando id tibi oneris imponere, vt Romæ quippiam de me cõficeres, & ſi tecum ſæpe quæſtus ſum, muneribus publicis omne mihi ocium

 ſurripi,

ſurripi, nō ea tamen mente id agebam, vt ne ſi poſſem quidem, vi aliquid extorquere à Senatu noſtro vellē. Egit ſæpius pro ea fortaſſe familiaritate quæ ei tecū eſt Graſſenſis Pontifex, vt negocium illud conficeres, iccirco credo quod tute ſponte tua idipſum receperas curaturum, cū tamen ego cum primum id intellexi, auribus magis quàm animo pollicitationes tuas acciperem. Eius rei teſtis eſt ipſe Graſſenſis, cui poſt diſceſſum tuum quaſi iam confecto negocio mirumimmodum mihi gratulanti, reſpondi, vix mihi perſuaderi poſſe abſentem te id confecturum eſſe, quod etiam ſi Romæ eſſes, haud ſcio an ob rei magnitudinē fueris impetraturus. Tum vero is qui antea rei deſyderio nihil non ſperauerat, admonitus, ſtatim e ſententia diſceſſit. Quod vel ea coniectura intelligere poteras, quod deinceps ab illo nihil literarum de ea re accepiſti. Et ſi in tuis Lugduni datis, aſcriptum erat te iam epiſtolas ad Bembum, Sadoletumque ſuper hoc negocio meditari. Ego vero ſi à Pont. Max. vacationem munerum cogitaſſem aliquando impetrare, neque id nuper tantopere à Senatu noſtro eniſiſſimis precibus efflagitaſſem. Neque non Sadoleti opera abſque inter nuncio liberrime potuiſſem vti, cum quo mihi præter ſanctiſſima illa patrię & propinquitatis, omnia iura ſummæ neceſſitudinis intercedunt. Pontificem vero Max. mihi tantū tribuere ſcis, vt ſi me id intellexerit deſyderare, nec preces quidem noſtras ſit expectaturus. Eo tamen nomine me tibi debere fateor, quod qui de dando beneficio, vt quidem tibi videbatur, ſponte cogitaras, quoniam ho-

neſtatc

neſtate ipſa, vt ais, ductus, aliter atque antea cœpiſti cogitare, non ante conqueſti, quàm mihi oſtenderis te honeſtiſſimis de cauſis à priſtina cogitatione diſceſſiſſe. Jllud poſtremo quod mihi tantoperè gratularis, non ſatis quid ſibi velit intelligo. Nec enim quid de ea re Senatus noſter cenſuerit hactenus intellexi. Tu ſi aliquid habes, gratiſſimum mihi erit, ſi me de omnibus feceris certiorem. Vale.

Philippo Saulio Epiſcopo Brugnateñ. Gregorius S.

CVm à te amoris & humanitatis pleniſſimam epiſtolã acceperim, eo fui tardior ad reſcribẽdum, quòd mihi nequaquam perſuaderi poterat, nauigationẽ meam ad vos in hanc diem reiiciendam eſſe. Contigit autem præter ſpẽ expectationemque meam, vt negocium illud, quod me ſimulatque applicuiſſem, confecturum putaram, difficiliorẽ omnino exitũ opinione noſtra hebere experiremur. Et ſi.n. non admodum moleſte fero, me potiſſimum eo tempore hic affuiſſe, quo abſentiam meam Graſſenſis Pont. moleſtiſſime fuerat toleraturus, abſentis tamen tui deſyderium, cũ plurimque qui mihi penè meipſo cariores ſunt, mirumimmodum me anxium habet atque ſollicitum. Veruntamẽ quoniam niſi ſaluo officio hinc diſcedendum non eſt, non video qua ratione, vt nunc ſe res habent, ad vos redire poſſim. Vrges me tu quidem & velut obſignatis tabellis mecum agis. Ἐγὼ παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. *Quanam igitur ratione.*

tione ex his laqueis potiſſimum me expediam? Vtar eodem Paulo auxiliatore, & patrono εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι ἐν τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. *Rurſusque* : Ἐβουλόμην ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς πρότερον τοῦτο οὖν βουλόμενος μήτι ἄρα τῇ ἐλαφίᾳ ἐχρησάμην. *Neceſſe eſt enim ad varia temporũ momenta actiones etiã noſtras accommodare. Non verebor igitur, eius criminis accuſationem ſubire, in quo prius peccaſſe Paulum, ſi verè crimen eſt, nobis neceſſe eſt confiteri. At ſi maxime peccatum eſſet, eiuſmodi eſt Graſſenſis mei in me amor atque beneuolentia, vt eius gratia vereri non debeam opinionẽ meam de amicitia ad Theophraſti opinionem accommodare. Quare pendi putat & compenſari, leue damnum delibatæ honeſtatis, maiore alia grauioreq; in adiuuanda amico honeſtate. Vtinam vero fieri poſſet, vt tu quoque relaxãdi animi gratia, huc aliquando proficiſcerere, ea eſt huius cœli clementia & ſalubritas, ea amœnitas locorum, & quod moribus meis maxime conſentaneum eſt, grata quæpiam & amabilis ſolitudo, vt fieri poſſe non dubitem, te quoq; ab eiſdem vinctũ captiuumq; retinendum eſſe. Si. n. tãtum virium habuit neſcio quis ille Lotophagorum cibus, ut quod Homerus ait* ὅς τις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν οὐδὲ νέεσθαι. *Quidnam futurum eſſet, ſi præter amœniſſimam locorum faciem, præter fructus terræ ſuauiſſimos, fortiſſima illa vincula tibi iniicerẽtur, quibus etiã Sirenas ipſas apud inferos detineri Plato confinxit? Verũ quoniam id ne ſperandum quidem nobis eſſe videtur, danda eſt ſaltem opera, vt literis inter nos quamſæpiſſime colloquamur.*

loquamur. Quod ſi tibi gratum fore cognouero, me in eo genere mirificè tibi reſponſurum eſſe polliceor. Cæterum quod ſcribis te cum Paulino noſtro aſſidue in græcis & eiſdem ſacris literis oblectari. Idem ego & Dionyſius in hac amœniſſima ſolitudine facere cogitamus. Ad hanc nanque diem Monæci apud Graſſenſem commorati, nondum animum adiicere potuimus, ne oculos dicam, ad eiuſmodi quippiam pertractandum. Gratiſſimum nobis erit, ſi nos quàm ſæpiſſime feceritis de veſtris ſtudiis certiores. Erũt nanq; literæ veſtræ honeſtũ quoppiã incitamentũ nobis, ad id ſolicitius peragendum, quod ſponte quoquo modo eramus facturi. Theophylacti commentarios tibi tantopere probari mirumimmodum gaudeo, cẽſeoq; nobis omnino vtendum eſſe beneuolentia & liberalitate patrum illorum, vt tantiſper apud nos ſint, donec integri deſcribãtur: ſi enim te id paulo vehementius deſyderare cognouerint, nõ committent, vt importuna exactione, tali officio, partum humanitatis nomen amittant. Quod ſi forte importuniores futuri eſſent, non vererer ſententiam Euripidis in re longe honeſtiore quàm Etheocles vſurpare. Si violandum eſt iuſiurandum, librorum gratia violandum eſt. Chryſoſtomi opus cumprimũ acceperis, ſi ad nos trãſmittere non grauaberis, dabo operam diligentiſſime, vt ad vos duplex reuertatur, libẽter tentaturus, quidnam in eo genere poſſim, quod felicius caſurum opinor quàm in Nazianzeno ceciderit. Addent ſtimulos expectata ex Chio & Conſtantinopoli volumina, deſyderio enim nouæ lectio

nis,

nis, iam prę uideo animo, me interpretandi laborem illum, confeſtim deuoraturum eſſe. Nuper Lugduno accepimus Chryſoſtomi commentarios in Geneſim, in lucem prodiiſſe, eos, & ſi nondum vidi, omnino tamen tibi habendos eſſe cenſeo, nā ſi græcis latina reſpondēt, neceſſe eſt, opus eiuſmodi eſſe, vt in eo cum doctrina grauitas, cum vtraque pugnet eloquentia. Poſtremo, quæ de Stephano & Naugero ſcribis, tantum in me deſyderium concitarunt, quantum virorum doctiſſimorum & amantiſſimorum mei expectatus aduentus excitare debuit, & quoniam Naugerus, vt ſcribis, legatus ad Cæſarem in Hiſpaniam profecturus eſt, omnino non deſperamus fieri poſſe, vt vel caſu vel conſilio ad nos diuertat. Vale.

Caſſiano Camillo Genuenſi. Greg. S.

EGo vero mi Camille, abſens multiplici fructu careo amicitiæ noſtræ. Cum quod vberiores omnino futuri erant ex quotidiana conſuetudine; tum etiam, quod non ex epiſtolis tantum (id enim raro & ad breue tempus contingit) ſed ex ſuauiſſimis illis ſermonibus & familiari vultu tuo, aſſidue nobis quippiam lucri afferebant domeſtici cō greſſus. Nihil vero cauſæ erat, cur nobis ita iraſcerere, vt Theocrenum debueris imitari, etiam ſi nihil temporis nobis à lucubrationibus ſurriperetur. Binas enim tantum abs te accepi, cum iam ternas ad te dederim. Quare, ſi quod vos facere conſueſtis diligenter rationem ſubduxeris, nihil

erit quod me tibi eo nomine debere putes. Quod vero adeo diligẽter de reditu meo requiris, omnino tibi perſuadeas velim, nihil animo meo gratius accidere poſſe quàm vobiſcum in iſta patria viuere, & cum tuo tum etiam ciuium tuorum amore & beneuolentia perfrui. Verum vt nunc eſt, non video qua ratione æquo animo ad vos reuerti poſſim. Non quo diluuij fabulam hanc pertimeſcam; imminent enim maiora & grauiora non in paluſtribus tantum locis, ſed in ipſo etiam Alpium iugo pertimeſcenda. Et quæ non ex aſtrorum conſyderatione, ſed ex ipſis iam rerũ initiis, nemo eſt qui cõiectura aſſequi nequeat. Quare vbicunque fuerimus omnes nos in eadem naui futuros eſſe ſuſpicor. Quæ vero me retrahunt ea ſunt eiuſmodi, vt etiã in maxima rerum omnium pace, quemlibet poſſint retrahere. Quæ omnia facile à Pont. Brunenſi intelliges, ad quem de his rebus ſcripſi diligentiſſme. De opere tuo Geographico, cuius maxima apud omnes expectatio concitata eſt, longum eſſet ſi literis quid ſentiam explicare vellem. Faciat Deus Opt. Max. vt aliquando abſque incommodo valetudinis apud vos commorari poſſim. Et ſi enim video quam ſint omnia in me eius generis, quæ ad tantum opus neceſſaria ſunt tenuia, faciet tamen amor in te meus cum enitendo tum etiam laborando, vt tibi aliquo adiumẽto eſſe poſſim. Accepi à Graſſ. Pont. librũ tuum, quẽ tantopere cupiebam, eo mihi nondum vti licuit ad opus ad quod, & ſi à me iandiu inſtitutum eſt, nondum tamen eſt manus appoſita. Omnino mihi opus eſſet non libro tantum,

ſed etiam opera tua, tenuiſſima enim, vt ſcis valetudine impedior, vt quæ diutius à me excogitata ſunt, ſcriptis nequeam commendare. Cæterum quod de Areopagitæ volumine ſcribis, Dioniſyus illud ſe tibi reſtituiſſe conſtanter affirmat. Quare tibi diligentius veſtigandum eſt, ne forte te inſcio, in illa librorum tuorum ſtrue deliteſcat. Tucydidem & Homerum ſimulatque certum hominē nactus fuero mittam ad te. Vale.

Franciſco de Sancto Venerio. Greg. S.

FEſſus iam in ſcribendo ad te, ſtatueram nihil amplius moleſtiæ tibi à me inferri debere. cum, vt video, tibi funditus exciderim. Vide tamen quantum poſſit amor, affectus etiam tam inſigni contumelia, à me ipſo impetrare nequiui, vt tibi iraſcerer. Quare certiſſime tibi perſuadeas velim, me tandiu tibi moleſtum fore, donec aut aperte inimicitias nobis denunciaueris, aut totiens reſcripſeris, quotiens à me literas accepiſti. Illud enim dicere non audebis, noſtras tibi redditas non fuiſſe. Nam cum tuas in eoſdem faſciculos coniecerim in quibus ad complures alios dedi, qui mihi amiciſſime reſcripſerunt, nequaquā ſit veriſimile, incolumibus cæteris, tuas tantum periiſſe. An forte illud dices te mihi iratum eſſe, quod iam ſeptimum menſem abſim? Enimuero cumprimum iſtinc abij, nemo fuit, qui certius quàm tu intelligere poſſet, me non facile cō reuerſurum, vbi ſæpius tecum conqueſtus ſum omnia, præter

ter

ter cœli clementiam, mihi eſſe ad conſeruandam valetudinem longe difficillima. Quod quidem neque religioſis illis viris aſſignare poſſum, à quibus, tantum abeſt vt quippiam eo nomine peccatum ſit, vt etiam experientia ipſa didicerim, illos aſſidue ſupra facultates ſolitos eſſe conari, vt omnia mihi humaniſſime ſuppeditarentur. Sed noſti loci illius tenuitatem, ne dicam inopiam. Illud ipſum quod mihi adéo humaniter exhiberi videbă, me admonebat, vt tam pleclare meritis de me, diutius oneri eſſe non deberem. Quare iudicari poſſet, vt opinor, hominis parum ſibimet conſulentis atque adeo inconſyderati, ſi eô reuerterer vnde antea hac rerum difficultate compulſus ſum abire: cum præſertim nulla mihi ſpes oſtendatur ex priſtinis illis conditionibus quippiam immutari poſſe. Caue enim credas me æquè libenter alibi futurum æquis etiam conditionibus. Nunc vero Graſſenſis Pont. beneficio, abŭde mihi omnia ſuppetunt, quę iſtic deerant, perinde enim rebus illius vtor, ac meis. Reliquum eſt, vt quoniam locorum interuallo diſiuncti ſumus, creberrimis ſaltem literis amicitiam noſtram excolamus. Niſi forte magis opera danda eſt, vt vel tu huc ad nos proficiſcare, vel ego ad vos reuerti poſſim, quorum vtrum magis cupiam, vix ſatis declarare poſſem. Cæterum ex literis Theocreni Pariſiis datis accepimus, illum apud principem Galliæ maxima cum autoritate tum etiam gratia florētem, curam regis primogeniti breui accepturum eſſe. Quod ſi forte contigerit, cenſebo tibi illô aduolandum eſſe, vt hominis

 ami-

amiciſſimi non iam beneuolentia tantum, ſed etiam liberalitate perfruare. Vale.

Hieronymo Adurno. Gregorius S.

CVm omnium legiſlatorum ea potiſſimum mens, id conſilium eſſe debeat, vt ciuitate ſtabilita, optimis, & legibus & inſtitutis, ſic ad ea ciues aſſueſcant, vt quo ad fieri poteſt, legibus ipſis mores ſint conſentanei. Maxime plane ad id aſſequendum prodeſt, ſi de his, quæ facere oportet, quæque euitare, ciues ipſi inter ſe, quamſæpiſſime fuerint collocuti. Maximum nanque momentum habet ad ſtabiliendos, euertedosúe mores, quales quotidie ſermones habeantur. Index certe morum eſt oratio, quæ tum demum in nobis honeſte ſecusúe affecta eſſe conſueuit, cum iam in alterutram partem morem habitumúe, crebro vſu actioneque nacti fuerimus. At vero regem in ciuitate legem viuam eſſe credidit Ariſtoteles, qui tanto melior, tanto ſolertior, eſſe debet, in regendis moribus inſtituendaque ciuitate, quanto in animis animata præſtare certiſſimum eſt, & ea potiſſimum animæ parte viuentia, quæ non in ſenſibus tantum, ſed etiam in ratione ipſa dominatur. Enimuero, cum in magna ciuitate multa Principes latere neceſſe ſit, quod ſoli diuerſa & penè infinita negocia ſuſtineant, non arrogans videri debet, ſi honeſti iuſtiq; gratia, adde etiam amore in ipſum principem, quiſpiam inuentus fuerit, qui ſi quid in tanta mole, veluti in vaſto cor-

ſto corpore, luxatum fuerit, ad eius notitiam deducat, vt illius opera reponatur. Morbum ſiquidem omnem, qui in quauis corporis parte oriatur, in caput demum redundare, neminem opinor eſſe qui negare audeat. Eſt ſane Princeps in ciuitate idem qui in domo paterfamilias, is vero, modo liberaliter inſtitutus ſit, non obſcœne tantum facta, ſed dicta etiam turpiter; aut coërcere, aut certe pœna proſequi volet. Qua in re, tanta extitit, in recte inſtitutis ciuitatibus, grauiſſimorum hominum cura, vt etiam cũ neceſſe eſſet quippiam nominare, quod obſcœnum aliquid in cogitationem reuocare poſſet, alieno nomine vterentur: hinc nimirum metaphoræ, hinc ſimilitudines & eius generis complura: & ſi paulum hac in re controuerſiæ exſtitit inter antiquos Philoſophos. Si quidem Stoici acuta quadam partitione, nihil eſſe obſcœnum oſtendere nitebantur. Quos tamen omnes & præterea Cynicos, ratio ipſa, communis vitæ vſus & Academicorum inſuper autoritas refellebat, verum eſſe negantium quod à petulantibus illis Philoſophis diceretur, qui quemadmodum flagitioſa dicendo obtegere non curarunt, ſic in obſcœnis patrandis, lucem ipſam & turbas non verebantur. At quanto ſecus parens ille philoſophiæ Socrates, qui cum ſpecioſum iuuenem paulo petulantius loqui audiſſet, plumbeum dixit gladiũ ab eo extrahi ex vagina eburnea. Enimuero licuerint omnia priſcis illis Philoſophis veritatis expertibus: nunc vero chriſtiana lex, quemadmodum in cæteris omnibus, quæ laudabilia ſunt, culmen ipſum arcemque obtinuit, ſic

in hac

in hac etiam parte, æqua fermè animaduerſione dicta ipſa ac facta compeſcuit. Fornicatio inquit Paulus, nec nominentur inter vos. Rurſus: Stultiloquium & ſcurrilitas, quę ad rem non pertinet. Te vero dudum expectare ſcio, quonam hæc noſtra ſpectet oratio: quicquid ſibi velit tã alte & ex philoſophia repetitum principium. Quod ſi non penitus auribus careres, aut certe ſi ita affectæ tibi eſſent, vt Principis decet eſſe, ſtatim audita de honeſtate ſermonis, deque verecundia diſputatione, quo nam peruenturus eſſem intellexiſſes. Quis enim non audiat, qui nã ſint perditorum adoleſcentium in honeſtiſſima hac ciuitate, per totas noctes, cantus, quæ ſermonis licentia, quæ procacitas obloquendi? Circuſtrepunt voces obſcœnæ grauiſſimorum ciuium aures, feriunt vulnerantque laſciui cantus tenerarum virginum mentes & corda. Matronæ porrò caſtiſſimæ, licet ad id horæ in tenebris & nocte verſentur, cuperent, ſi fieri poſſit, pudore & verecundia, in occultiora etiam loca ſe illatebrare. Id rogo ad aures tuas nondũ peruenit; quod non opifices modo, ſed viliſſima quæq; mancipia, & audiunt & erubeſcunt. Parietes mediusfidius ipſi: hanc tantam licentiam ſi fieri poſſet, incurſu ſuo refutarent, audis. Aut ſi forte & tanquam in Mileſiorum, aut Alexandrinorum & Sybaritarum moribus ſis educatus, nihil tibi momenti habere videntur, ad euertendam non diſciplinam tantum, ſed etiam ſtatum Reip. parum mihi diligenter videris, pace tua dixerim, in Platonis tui Rep. verſari. Qui non tantum ſeueriorem muſicam im-

mutari

mutari prohibet, ſed id fieri poſſe negat, abſque Reip. immutatione. An non audiſti præclarum artificem Thimotheũ, quod id auſus fuerit, Lacedemone expulſum, extorrem deinceps exulemque vixiſſe? Hoccine illud fuit quod de te ſibi pollicebantur ciues tui, cum funeſtam illam vniuerſi patrimonij direptionem, moribus & ingenio tuo cõpenſatum iri putabant, vt quantum detractum eſſet rei familiari, tantũdem acceſſurum expectarent ciuili diſciplinæ? Quare ſummopere tibi cauendum eſt, ne non tantum longa pace cumulatis diuitiis, ſed honeſtis etiã moribus direptam ſpoliatamque patriam, poſteris tuis derelinquas. Hic vero nequaquam neceſſe eſt, vt id ſibi impune licere opinentur, quod poëmatum hæc conſueuerit eſſe licentia, vt libere procaciter obloquantur. Auſus enim eſt mihi quidã nuper Ouidium opponere, qui cũ dixiſſet, nihil apud Menandrum abſque amore ſcriptum reperiri, demum ſubiecerit, & ſolet hic pueris virginibusque legi. Dignus quidem, vt quod factũ eſt, pro hac mente perpetuo multaretur exilio. Longe vero diuerſa mens fuit Pauli. Qui inter tot amatoria Menandri, præclarum illum ſenariolũ delegit. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Dixerit licet de quodam Hadrianus & cenſor & Imperator, vt Apuleus ait. Laſciuus verſu, mente pudicus erat. Dixerit Catullus. Caſtum eſſe decet pium poëtam ipſum, verſiculos nuſquam neceſſe eſt. Dixerit poſtremo alius, cuius etiam nomen erubeſco. Laſciua eſt nobis pagina, vita proba. Si namque vera eſt omnium philoſophorum

rum opinio, verba eſſe earum rerum quæ ſint in animo notiones, nemo, ut opinor, adeo demens reperietur, ut cum nulla labe maculatum animũ habeat, affinis ei crimini velit eſſe, cuius omnino culpa carere ſe nouerit. Sed nimirum perinde atque intus affecti ſunt, ſic etiam neceſſe eſt ab illorum verbis animum mentemque declarari λόγος. γὰρ ἔργου σκιὴ κατὰ δημόκριτον. *Quare nunquam aſſequentur ut nõ pluris ſit apud nos alius ob ſermonis honeſtatem Parthenices cognominatus, ut non magis iudicio meo probati ſint, qui tam abſolutam pudoris rationem habuerunt, ut neq; ductari exercitum, neque arrigi aures, neque quæſitum per membra ſoporem, voluerint dici. Quin etiam tantum ab illorum opinione diſtat opinio mea, ut & ſi nunquam æquanimiter, minus tamen iniquo animo, toleraturus ſim, id in ſoluta oratione, quam in poematis peccari. Cum quod diuinũ quiddam eſſe carmen ipſum omnes ferè conſentiũt, quod obſcenitate illa nequaquam debeat inquinari, tum etiam quod ſuauitate quadam & oblectatione cantus, ad verborum obſcenitatem accedente, facilius in animos illabuntur carmina; & incautas audientium mentes ipſa ſuauitate conuulnerant. Enimuero quid te ego conor inſtruere, Sus, ut aiunt, Mineruam? quaſi per te ipſe neſcias impudẽtium adoleſcentium congreſſus iſtos, veriſſime rationis obiectu refellere: qui conſueueris etiam ex temporali eloquentia, illud quod tantopere oratores admirandos facit conſequi, ut inferior cauſa, ſuperior eſſe videatur. Quare cum hoc tantum adiecero, concludam epiſtolam, nequaquã*

nerens

nerens ea libertate tecum vti, quam ipſemet mihi tradideris. Graue vulnus exiſtimationi tuæ, familiæque veſtræ ignominiam ſempiternã inuſſiſſe videtur, miſerrima iſtæc patriæ tuæ direptio. Quæ tamen eo pacto eleuare ſolitus es, vt vel omnem culpam in eos transfundas, qui parum memores virium ſuarũ, potentiſſimo exercitui nullis præſidiis, ſe obſiſtere poſſe ſperarunt. Vel in primos exercitus ductores quibus tantũ aberat vt imperare poſſes, vt etiã tibi inuito, illis fuerit parendum. Nunc autem adepto patriæ tuæ imperio, ſi corruptelam hanc morum, non tantum æquo animo toleraueris, ſed præterea nutrieris tacendo & diſſimulando, non in fortunam amplius, aut ea, quæ ſupra diximus, ſed in te, ipſam & in peruerſam quandam naturam, quod à te quidem alienum eſt, iſti obloquentiũ fluctus redundabunt. Vt iam optatius tibi eſſe debuerit, patria carere, quæ te exule florens opulentaque viſebatur, quam adepto regno tibi poſteriſque tuis, ſempiternum dedecus acquiſiſſe. Quando ne tu quidem negare audebis, longe maiorem fieri honoris iacturam, ſi ciuitatis mores te regente corrũpantur, vt eius rei in te princeps culpa eſſe videatur, quàm ſi neſcio quid diuitiarum amiſerit, cuius iactura & breui reparari poteſt, & eius te autorem fuiſſe conſtanter poteris denegare. Vale.

Iac. Sadoleto Epiſc. Carpentoratẽ. Gr. S.

QVod tibi proficiſcenti facturum me eſſe receperam, vt crebras ad te literas darem, ideo facilius præſtabo, quòd

bo, quòd maxima cum lucri acceſſione, à me factum iri nõ dubito. Primum, quòd pro epiſtolis noſtris tuas ſum accepturus, hoc eſt, pro inconditis elegantiſſimas. Deinde, quòd ſicut nos diſceſſu tuo afflictos triſtesque reliquiſti, ſic à te renouata hac ratione tu memoria, mirumimmodum nos recreabis. Et ſi ea quidem aſſidue florens vigensque perſeuerat, video tamen neſcio quo pacto fieri poſſe, vt crebra renouatione, quaſi quodam cultu adhibito confirmetur. Poſtremo, quòd Graſſenſi Pont. qui te mirifice diligit & obſeruat, gratiſſimum id futurum intelligo. Cuius tanta eſt apud me autoritas, vt hac potiſſimum de cauſa, etiam ſi hoc à te mihi præceptum non eſſet, omnino tibi literis meis moleſtus futurus fuerim. Quare æquo animo feres, ſi ocio meo ad negociorum tuorum interpellationẽ abuſus fuero: quando id non amori meo tantùm, quòd tamen à te mihi concedendum eſſet, ſed etiam humanitati tuæ eſt aſſignandum. Quamquam cum has dabamus, nondum erat auditum te Romam perueniſſe: quoniam tamen ex dierum ratione id ſuſpicari poteramus, nolui meas literas ſtatim ſubſequi, quæ pro itineris difficultate ſuperata, tibi noſtro nomine, gratularentur. Niſi fortaſſe magis gratulandum pro ea re videtur, quòd apud Pont. Max. gratia & autoritate florens, maximam bonis omnibus ſpem attuliſti, fore, vt conſilio admonitioneque tua, excitatis bonarum artium ſtudiis, tantus breui ingeniorum prouentus appareat, vt omnis antiquitas in certamen prouocari poſſit. Qua in re, minus tibi laborandum eſſe video, quod eiuſmodi prin-

di principem nactus es, qui ſuopte etiam ingenio, inter maximas difficillimaſque curas, quæ eius animum diſtrahũt, hanc etiam non in poſtremis ſit habiturus. Accedit preterea, quòd eorum qui plurimum apud ipſum poſſunt, iandiu perſpectus eſt, cũ magna eruditione, incredibilis etiã amor amplificandi honeſtiſſima ſtudia. Damnum igitur, quod ex abſentia tua maximum ſummus habituri, communi hoc omnium doctorum commodo compenſabimus. Veruntamen, ne tibi perſuadeas, amicitiam meam impedimento tantum non etiam labori tibi futurã eſſe, vnum à te maximis præcibus petere conſtitui, de quo dum tu hic adeſſes oblitus ſum tecum loqui. Noſti, vt opinor, diris omnibus execrationibusque interdictum eſſe, vti nequis Lutherianorum libros attingat. Id vero ſapienter atque ſalubriter ſtatutum eſt. Quare gratiſſimum mihi erit ſi pro tua humanitate negocium hoc pro me ſuſceperis & confeceris, vt abſque aliqua animi mei moleſtia, libros eius generis apud me habere & legere poſſim. Quod timidius forte peterem, niſi mihi cognitum eſſet, iſtud ipſum quamplurimis antea conceſſum eſſe. Id vero ſi precibus tuis, ſi autoritate tua mihi impetratum fuerit, maximum nobis à te beneficium praſtitum eſſe iudicabo. Vale.

Iac. Sadoletus Epiſ. Carpent. Gregorio S.

OCcupationibus meis factum eſt, vt ſerius quàm ego vellem tibi reſponderim, addo etiam nunc breuius.

Ego tuis literis acceptis, ſtatim cum Pontifice Max. locutus ſum de te, ea quæ debui, & viſa ſunt dixi. Is ita mihi reſpondit vt non ſolum bene noſſe te, verũ etiam non mediocriter diligere ſit viſus, tam multa de tuis laudibus. Quod ad rem ipſam attinet quam petiſti, non modo facile tibi & libenter dat, vt libros Lutherianos habere penes te & legere poſſis, verum gratiſſimam quoque habere ſe dixit hanc voluntatem tuam; perſuaſum enim habet te idcirco illa legere velle, vt melius refellere valeas. Quare potes fidenter & abſque vllo legum metu & conquirere eiuſmodi libros & perlegere. Graſſenſi noſtro plurimã verbis meis ſalutem dicito. Tu vt valeas, meque abſentem diligas magnopere abs te peto, hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

Caſſiano Camillo. Gregorius S.

N*Equaquam mirum videri debet, ſi idem negocium tibi ſæpius commendauero. Et ſi enim eam eſſe intelligo amicitiæ & conſuetudinis noſtræ vim, vt ſi quid acciderit quo alter altero indigeat, id vel indicaſſe tantum nulla commendationis acceſſione, ſatis eſſe videatur. Tantis tamen Graſſenſis mei beneficiis me aſtrictum eſſe ſentio, vt nullis officiis mihi videar partem aliquã eius meritorum aſſequi poſſe. Nunc vero, cum ſororis ipſius ſpectatiſſimæ fœminæ eiuſmodi negocium agatur, vt aut florentiſſimi viri, aut penitus inopis vxor futura ſit (ſi quidem*

dem de pagis nonaginta iudicium futurum aiunt) admonitus ipſa rei magnitudine, non verebor tibi ſæpius moleſtus eſſe. Ipſe verò Graſſenſis tantam in literis ad te meis ſpem poſuit, vt ſi forte ſecus atque optat negocium cecide rit, nihil aliud ſibi ſit perſuaſurus, quàm non ſatis diligen ter cauſam ſuam à me tibi commendatam eſſe. Cum verò tuo etiam nomine plurimum te diligat, pro his quas in te ſitas eſſe intellexit morum & doctrinæ artibus, hunc tantum virum tuo tibi beneficio cenſeo arctius deuinciri oportere, atque adeo tenaci vinculo, vt nulla vnquam temporis iniuria poſſit labefactari. Cuiuſmodi tamen hæc cauſa ſit & vtri litigantium magis leges faueant, quamuis mihi planè eſt incognitum, facile tamen adducor, vt credam, filio vnico in paternis bonis impedimentum afferri non oportuiſſe, magisque ſpectari debere naturæ iura quàm irati patris voluntatem. Attamen, quid de iure ſtatuendum ſit, tuum erit arbitrium, tantum vt cauſa intellecta quàmocyſſime finem negocio imponas, etiam atque etiam rogo. Cæterum de communibus rebus nihil habeo quod potiſſimum nunc ad te ſcribam, niſi id quod, & ſi non ſcriberem, te tamen ſcire non dubito. Me ſcilicet deſyderiũ iſtius ciuitatis ægerrime ferre. Et quanquã laute & abũdanter omnia mihi à Graſſenſi ſuppeditentur, qui non ſolum ſalutis meæ, vt medicus, ſed deliciarũ etiam vt nimium mei amans rationem habet, ſentio tamen neſcio quo pacto fieri, vt mihi aſſidue in hac patria velut hoſpes & iamiam alio profecturus, moram trahere videar. Quod ſi

adduci

adduci poſſum, vt ſperarem tolerabilius mihi apud nos fore, quàm hactenus expertus ſim, vel reflante vento continuo iſtuc aduolarem. Sed quomodo nunc eſt, Catonem mihi audiendum puto, qui peſſime agi in ea regione putat, in qua cum Orco aſſidue ſit luctandum. Vale.

Luciano Monacho. Gregorius S.

NVnquam quidem fore putaui, vt literæ tuæ, quæ omnem animi mei ægritudinem mitigare conſueuerunt, quippiam mihi moleſtiæ afferre poſſent. Nuper autem contigit, vt quæ ſub aduentum tuum iſtic à te datæ ſunt, mirumimmodum in me non quidem deſyderium tui, id enim antea vehementiſſimum erat, ſed anxietatem maximam excitarint. Cum enim nihil tibi concedam in mutua cõſuetudine noſtra deſyderanda, ac cedit præterea huic meo deſyderio, aduerſæ valetudinis moleſtia. Qua potiſſimum factum eſt, vt tecum mihi Romæ eſſe non liceat. Quare nõ ipſe tantum ſenſus vrgentis ęgritudinis me excruciat, quantum renouata ſuauiſſimis amicorũ literis abſentiam recordatione, contabeſco. Quid enim ad fęlicitatem meam, vt communi more loquar, poſſet accedere, ſi in ea vrbę te mihi frui contingeret, quæ in frequentiſſima ſui parte ſpectatiſſimorum hominum aſſiduam conſuetudinem, vbi aut turbis vacat, admirabilium memoriam poteſt ſuppeditare? Nam vt illa omittam quæ diligenter à te enarrata ſunt, inſanas antiquorum ſubſtructiones, quarum

rum vix inter ruinas miſerabiles ſuperſunt reliquiæ, Theatra, Circos, Thermas, Porticus, Baſilicas, templa, magis potentię monumenta quàm virtutum, quanta rogo te, oblectatione affici poſſemus ea diligenter perueſtigando, quæ vulgo nimis ſunt cognita, vbi domus M. Tullij, admirabili illa oratione nobilitata, vbi roſtra, ad quæ idem, & ſæpius viuens & ſemel mortuus vniuerſum populum Romanum maxima cum ſui admiratione attraxit, vbi comitium, vbi campus, vbi fora & pleraque eius generis, quæ cum ad cognoſcendas Reip. Rom. pulcherrimas inſtitutiones; tum etiam ad optimorum autorum locos explicandos plurimum conferre conſueuerunt. Jam illud quanti eſſet quo me noſti tantopere delectari, maximorum artificum cõtemplari ingenia, in columnarum, ædium, baſilicarumq; generibus, adeo mirabiliter atque ingenioſe erectis, vt peritiſſimi architecti, qui facta vident, negent potuiſſe fieri? Poſtremo quod maximum eſt & inſtituto noſtro magis conſentaneum, quanta pietate loca illa inuiſuros nos fuiſſe putas, quæ proceres illi Reipub. Chriſtianæ Petrus & Paulus, lares penateſque Romanorum, ſanguine ſuo conſecrarunt, qui quod duces præſtantiſſimi adepta victoria ex vtroque vrbis latere trophæis, orbis imperium, Chriſti imperio ſubiecerunt. Quid cum ſubterraneos illos ſpecus & vt ipſi aiunt κοιμητήρια luſtraremus? Jn quibus admiratione digniſſimi viri multum verſati, poſtremo horrẽda abſorpti tempeſtate, perpetuam corporis ſedem acquiſiere. Tanta enim vis, vt recte quidam ait, eſt in locis, vt ea

memoria

memoria magis moueamur, quàm ſi eorum qui nullis verſati ſunt, aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquid legamus. Jllud poſtremo mihi longe iucundiſſimum eſſet, ſi curarum & ſolicitudinum, quibus te, pro diligentia tua, aſſidue diſtineri non dubito, particeps aliquando fierem, Tantumque in ea re virium amorem in te meum habiturũ fuiſſe mihi eſt perſuaſum, vt aliqua etiam ex parte hominem tali prudentia tantoque vſu rerum conſilio potuerim adiuuare. Sed quoniam me ita affectum eſſe ſentio, vt magis de ocio quàm de negocijs ſit cogitandum, præſertim in iſto veſtro Quirinali, in quo licet ea cœli clementia commendari conſueuerit, nunquam mihi tamen cum morbis, atque adeo cum ipſa morte non fuit colluctandum. Quod vnum à me tibi præſtari potuit, feci diligentiſſime, vt te ipſum & cœnobij noſtri cauſas fratri meo arctiſſime cõmendarem. Quanquã nihil opus eſſe putabam cõmendatione noſtra, vbi adeſſet Beſſarion, qui & in fratrẽ, & in oẽs conſanguineos meos paternũ ius atq; imperium, quod ex ipſis accepi, iandudum adeptus eſt. Si quid deinceps forte continget quo opera mea indigeas, ita tibi pollicearis velim, nihil facultatis meæ fore, quod fruſtra à te deſyderet. Vale.

Federico Fregoſio Salernitano Archiepiſcopo. Gregorius S.

M*Axima me expectationis moleſtia liberarunt poſtremæ literæ tuæ, quas Lugduni Jd. Febr. dediſti.*

Nec

Nec velim putes quippiam ex oblectatione mea imminutum eſſe, quòd non latinè ſcripſeris. Et ſi enim elegantia & eruditione epiſtolarum tuarum mirum immodum oblectari ſoleo, plus tamen voluptatis ex amore tuo, qui mihi ex ſenſu literarũ ſit perſpectus, quã ex eloquentia, quę quidẽ eſt admirabilis, percipere conſueui. Accedit præterea, quod cum commodo tuo fieri nequeat, vt alia ratione ad me ſcribas, æque mihi profecto gratum erit, ſi qualeſcunque à te accepero, ac moleſtum eſſet ſi omnino literis tuis carerem. Doleo tamen vehementer tuis, non difficilibus tantum, ſed moleſtis etiam occupationibus fieri, vt non & animo tuo & deſyderio noſtro in eo genere poſſis ſatiſfacere. Quod vero ſcribis ſi noſtrę ad te delatæ eſſent, facile futurũ fuiſſe, vt tu ad nos proficiſcerere, ſed ut nunc eſt, non modo te huc non eſſe aduenturum, ſed nec quippiam tibi ſuccurrere, cur ad vos ego proficiſci debeam. Omnino tibi perſuadeas velim, ſi mihi aduentus tuus cumprimum iſtuc appuliſſi denunciatus eſſet, nihil tam arduum fuiſſe, quod à te conueniendo me potuerit deterrere. Nunc vero, quoniam ſuſpenſo animo iſtic es, nec quicquam de re manſione profectioneúe tua potes conſtituere, inuitus & dolens eiuſmodi neceſſitatem deuorabo. Quod de Pont. Carpentoratenſi ſcribis, quãdo fideliores hinc Romam & inde ad nos tabellarij commeant, omnino curabo vt de officio & voluntate tua à me fiat quamprimum diligentiſſime certior. Ego quidem tantiſper ſtatui in Lerina me continere, quoad exitum huius calamitoſi belli perſpexero, ſi

modo exitus aliquis ſperandus eſt, fui vero Monoeci apud Graſſenſem dies complures, vnde cum aliquando me difficillime explicaſſem, ad ſtudia noſtra reuerſus, totum me in literis abdidi, & cum his qui pari amore tenentur, ocio honeſtiſſimo perfruor. Daboq́; operam donec hic fuero, vt noſtræ ad te quàm ſæpiſſime perferantur, idem quoq; vt tu facere ne graueris, maximopere etiam atq; etiam rogo. Non enim difficile futurum ſuſpicor, vt amiciſſimi hominis opera literæ omnes vtrinq; fideliter reddantur, nec eſt quod de longinquitate, aut impedimento itineris pertimeſcamus: dabitur enim (quod ad me attinet) opera, vt frequentia literarum omnes difficultates ſuperentur. Scribis in poſtrema Epiſtola, te iniquam necem Monoeci principis tuliſſe iniquiſſimo animo; laturumq́; ægerrime, ſi cuipiam perſuaſum eſſet animum tuum ab eiuſmodi ſceleribus non abhorrere, quæ quoniam quorſum tendant mihi perſpicere videor, officij mei eſſe duxi de ea re aliquid ad te ſcribere. Ego quidem mi Federice, cum poſt acerbiſſimum illum caſum confeſtim Monoecum me contuliſſem, nihil intelligere poſſe videbar, quo animus Graſſenſis noſtri à te cognoſci poſſet alienior. Cum vero quotidie plures ad illum venirent, qui ferrent moleſtiſſime mutuam inter nos beneuolentiam conſtantiſſime perdurare, ſuſcepi mihi acerrimam propugnationem & honoris & dignitatis tuæ, ſed neſcio quo pacto factum eſt, vt feliciores illi fuerint in alienanda abs te optimi viri voluntate, quàm ego in retinenda fuerim. Nam vt id faci-

facilius conſequi poſſent, contigit præcipue, vt opinor, & temporum & euentorum conditione. Quod ſi caſu alter veſtrûm ad alterum diuertiſſet, vnico congreſſu, facillimi viri animus à te recuperatus eſſet. Non enim altas radices ea indignatio habere poteſt, quæ a maleuolis tantum poſita, nihil habet vbi innitatur præter inanèm atq; adeo falſam ſuſpicionem. Tu vero velim ad me ſcribas quantopere ad vtilitatem vel dignitatem tuam pertinere putes, hominis voluntatem reuocari, non enim recuſabo in illas locorum anguſtias iterum detrudi, vt eius animus erga te ſit is, qui eſſe debet. Cæterum nihil cauſæ fuit cur libri tui à me diſcederent, nec aliquem fore opinatus ſum, cui æque ac mihi commendati eſſe poſſint. Nam ſi quod opto, Genuę illis tibi futurus vſus eſt, illico erunt parati. ſi autem aliô transferendi eſſent, hac ratione nihil amplius periculi timeremus. Omnino quandocunque tibi decretum fuerit, prompti erunt. Vale.

Hieronymo Monferrates Abbati. Greg. S.

MAximam præclarorum autorum iacturam, quam ſæuis agitata tempeſtatibus Chriſtiana Reſp: facere coacta eſt, neminem eſſe opinor, qui recte poſſit intelligere, niſi idem & genus illud antiquorum ſcriptorum cognouerit, & is fuerit qui inter priſcos illos, eosq; qui loco illorum ſucceſſerunt, valeat iudicare. Vt enim omittam celebratiſſimi apud latinos nominis, Appollonium, Victorinum, Minutium, & complures alios, quorum labores

vel temporum iniquitate, vel hominum negligentia perierunt: Hanc potiſſimum Inſulam maximo doctorum hominum prouentu, nec minus eruditione quàm ſanctitate illuſtrium, mirificum adiumentum laboranti religioni præſtitiſſe neminem puto fore qui ambigat, quorum penè omnium admirabilia ſcripta, eodem genere calamitatis, quo cætera periere. Sic Vincentij, & Syagrij, labores penitus amiſimus, Fauſti & Saluiani & Cæſarij deſyderantur complura. Hilarij & Eucherij virorum ingenio & doctrina excellentium, paruæ quidem, ſed admirabiles rereliquiæ, ſæuam illam vaſtitatem vix euadere potuerunt. Quas ne forte caſu aliquo idem excidium aliquando pati contingeret, viſum mihi eſt, collectis quaſi ex maximo naufragio paruis tabulis, illas ad te mittere, vt fide & diligentia tua, ab interitu vindicentur. Ex his enim veluti membris, facile coniectura aſſequi poteris, quantum & quàm graue fuerit damnum illud, quod ex integri corporis amiſſione perceptum eſt. Non enim admodum multa apud latinos reperies, & eos præcipue qui in ſacrarum literarum ſtudio ſunt verſati, quæ eloquentia, eruditione, & artificio iſtis anteponi debere viderentur. Illud vero vehementer tibi mirum viſum iri non dubito, quod cum vterq; ſummus in ſuo genere ſit, nihil tamen diſſimilius quam ipſi inter ſe ſunt, fieri poſſe videatur. Eſt in Eucherio plus candoris & elegantiæ, ſuperat Hilarius acumine & crebritate ſententiarum. Numeroſiores illi ambitus, hic ſpretis numeris, pondere erum examinatior.

Exultat

Exultat ille florenti & venuſta, vt ita dicam, oratione, hic identidem ſeuera grauitate ſuſpenſus, ſic delicias horret, vt in eo tamen ieiunitatem non poſſis reprehendere. Solutus ille ab oratorum legibus, proprij ingenij impetu decurrens fertur, hic intra Retorum placita ſemetipſum coërcens, & ſi locis communibus, quoad eius fieri poteſt, diſſimulatis, mirifice tamen oratorię artis præceptiones obſeruat. Ad ſummum, ille absq; cura comptior, hic, quanuis cultu adhibito, longe tamen horridior inuenitur. Vixiſſe autem illos non in eodē tantum loco, ſed ijſdem etiam temporibus argumento eſt, quod vterq; alterius mentionem facit. Cum præterea accedat locuples Gennadij teſtimonium, qui ſub Valentiniano & Martiano Imperatoribus vtrunq; deceſſiſſe ſcribit. Certiſſimam inſuper eius rei fidem facere poteſt, quod cum nullus ſit in ratione temporum veſtiganda paulo diligentior, qui neſciat, Auguſtinum & Caſſianum eadem ætate vixiſſe, Prioris certe ad Hilarium libri, alterius vero collationes, (ſic enim ipſe appellauit) ad Eucherium & Honoratum, vulgo etiā habentur in manibus. Quare ſummopere admiror quendam ex recentioribus ſcriptoribus, qui pro Hilario Euagrium ſupponere auſus eſt. Quod ſtulte illic idem nomen repetitum arbitraretur. Id vero illi accidiſſe nemini dubium eſt, quod præter Pictauenſem alios etiam eius nominis doctrina celebres fuiſſe ignorauerit. Enimuero ſi qua diligentia Eucherium prius apud Gennadium inueſtigauerat, eadem deinde quæſiſſet Hilarium, vidiſſet profecto

quatuor

quatuor aut ad ſummum quinq; interpoſitis, eius nomen ſubſequi, de quo tantopere dubitabat, & qui non Pont. tantum, ſed monachus etiam in Lerina fuiſſet. Cui præterea ampliſſimam teſtificationem doctrinæ & nobilitatis reddidit Proſper Aquitanus, in illis literis, quas de Prædeſtinationis quæſtione, ad Auguſtinum ſcripſit. Pontifices autem fuiſſe poſt diutinam Lerinæ habitationem, Lugdunenſis alterum, alterum Arelatenſis Eccleſiæ, publicis anniuerſarijs q; ſacris illorum nominibus inſtitutis, vtraque ciuitas teſtatiſſimum fecit. Quorum etiam reliquias pie pureq; venerantur. Exuberauit vero hæc inſula adeo fœcundo prouentu hominum, iuxta moribus & doctrina excellentium, vt ad hanc vſq; diem, eæ vrbes in Gallia beatiſſimæ iudicentur, quibus ex illorum numero aliquando Pontifices contigere. Tibi vero perſuadeas velim, maximam te cum apud omnes homines, tum præcipue apud ipſos quorum nomen ab interitu vindicabis, gratiam initurum, ſi diligentia tua, paruæ quidem, ſed maximi pretij lucubrationes, in manus hominum quàm emendatiſſimæ exibunt. Vale.

Hieronymo Moneliano. Gregorius S.

CVm pluribus iam antea diebus Monoeco diſceſſiſſem, hodie demum in Lerina accepi literas tuas, quas Id. Febr dediſti, quibus lectis, moleſtiſſime tuli non eas ante mihi redditas fuiſſe, quàm a Graſſenſi diſcederem. Quicquid enim autoritate et gratia apud illum poſſum, id

ipſum

ipſum tibi totum potuiſſem. Perſuaſum vero mihi eſt, & eius Principis liberalitatem, & æquitatem poſtulationis tuę, facilem omnino exitum negocio præſtituras fuiſſe. Ne tamen penitus animum hominis intentatum relinquerem, ſcripſi ad eum de hac re diligentiſſime, & eas ipſas literas Abbati Lerinenſi qui Genuam proficiſcebatur, reddendas tradidi. Vt quoniam ſalutandi Graſſenſis gratia omnino Monoecum eſt diuerſurus, explorata eius voluntate, certi quippiam ad te deferre poſſit. Tu cumprimum ab illo acceperis, quid tibi de ea re ſperandum eſſe videatur, confeſtim me facies per literas tuas certiorem. vt ſi forte nos illuc iterum proficiſci contingat, non ignorem, quantum mihi in eo negocio perficiendum reliquerit. Enitar certe quoad eius rei fieri poterit, vti ne fruſtra in fide & diligentia noſtra præſidium tibi poſuiſſe videaris. Cæterum Syngrapham ea potiſſimum ratione apud me retinere volui, vt qui ſponte (ſic enim mihi perſuaſum eſt) ęquitati fuerat conceſſurus, adhibita etiam eiuſmodi tanquam honeſtiſſima coactione, nullum omnino ſibi effugium patere cognoſcat. Chalydij commentarios in Timæum, ſi ei qui has ad te deferet, nobis reddendos commiſſeris, tantopere mihi erit gratum, quantopere eius libri lectio à me diutius deſyderata eſt. Statim enim ad nos reuerſurus quicquid illi a te commendatum fuerit, ex fide reſtituet, Quod ſi pretium indicaueris, illico tibi pecuniam repreſentari imperabo. Vale.

Stepha-

Stephano Saulio. Gregorius S.

ET ſi tua incredibilis beneuolentia & ſummus erga me amor, multis maximiſque tuis beneficijs mihi perſpectus, nullius teſtificatione indigebat, gratiſſimum tamen mihi fecit Beſſarion, quòd omnia quæ cum ipſo de me locutus es, diligentiſſime ad nos perſcripſit: Quanquam enim nullius prædicatione fieri poſſe putandum eſt, vt arctiore vinculo tibi coniungar, q̃ quo me obſtrictũ eſſe ſentio, maxima tamẽ cum animi mei oblectatione intellexi, te præclare admodum rationem excogitaſſe, quò mutuus amor noſter, qui iam ad ſummum perueniſſe putandus erat, quippiam etiam incrementi domeſtica conſuetudine poſſet accipere. Qua quidem in re, & ſi (quemadmodum quidem nunc eſt) acceſſio liberalitatis tuæ minime mihi repudianda eſſe videtur, nullos tamen fructus vberiores ſuauioresúe in amicitia eſſe ſtatuo, quàm ipſius amicitiæ propria quadam iucunditate cumulatam obſeruationem. Et quidem in hac noſtra, licet omnem gratiarũ actionem ſuperuacuam ſemper eſſe iudicauerim, (quod ea aliena eſſe debere videatur, à tam veteri tamq; conſtituta amicitia) haud quaquam tamen ipſemet mihi imperare potui, quin pro tantis tuis in me meritis, immortales tibi gratias agerem. Si enim nullum omnino tuum in me officium extaret, ſi nulla amicitiæ fundamenta poſita eſſent, cognito tamen hoc tuo deſyderio conſuetudinis noſtrę, tanta amoris vi à me proſequendus eſſe viderere, quantam vix animus meus

capere

capere poſſet. Qua enim ratione fieri potuiſſe putandum eſt, vt me cuperes aſſidue tecum eſſe, niſi vis incredibilis quędam, & (vt ita dicam) intemperantia amoris, te ipſum de me decepiſſet. Nunc vero cum ad innumerabilia merita tua, poſtremus hic velut cumulus acceſſerit, nihil aliud ad ea quæ ad me Beſſarion ſcripſit reſpondere poſſum, quam cõmunibus votis me ſatisfacturum eſſe. quæ iccirco communia appello, quod nequaquàm tibi concedam in mutua conſuetudine noſtra expetenda. Sed quoniam aduentum tuum in Calendas Iulias reiecisti, ſtatui & ego tantisper mihi à profectione ſuperſedendum eſſe, donec te Genuam applicuiſſe audiero. Multæ enim grauiſſimæq; cauſæ nobis occurrunt, quare aduentum tuum deceſſionem hinc noſtram, præcedere cupiam. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi cumprimum tibi de reuerſione tua ſtatutum fuerit, iſtinc nos de omnibus feceris diligentiſſime certiores. Et ni tibi moleſtum futurum eſt, omnino interim reuocanda videtur, neſcio quo caſu, diutius intermiſſa frequentia literarum. Vale. Et N. verbis meis ſalutem dicito plurimam. Quem, & ſi de facie mihi incognitum, tamen et quia tibi intimus, et quia doctiſſimus ſe à me vehementiſſime diligi cupio fieri certiorem.

Iuliano Monacho. Gregorius S.

QVam verum fuit priores tuas literas candidas & elegantes fuiſſe, tam mirum nuper mihi viſum eſt, animum tuum vel leuiſſima ſuſpicione ob lauda-

tionem noſtram potuiſſe pulſari. Quid enim longius abeſſe debet à noſtro erga te amore, quam conſilium & voluntas adulandi? Eſſet nanque planè nequàm hominis, atque adeo in rebus maximis ſponte peccantis, ſi verbis noſtris in id vitium inducerere, quo nec maius quidem excogitari poſſe videtur, vt tui ſcilicet ipſius ignoratione deciperèris. Veriſſime igitur tantopere prius ingenium tuum laudaui, quantopere nunc quoq; moderationem admiror, qui admonitus etiam, & ab eo potiſſimum, qui ita te amat vt non poſſit decipere, te ita diligenter obſeruat, vt nequeat decipi, nec hac quidem ratione germina virtutis quæ in te ſunt, poſſis recognoſcere. Sed ne omnino tibi imprudens blandiare, nequaquam te ignorare volo, me, non tam id quod hactenus aſſecutus es, quàm ſtudium & voluntatem tuam ſummis laudibus celebraſſe. Illæ nempe virtutes fuerunt, quę maximam in me expectationē concitarunt fore vt facile partem aliquam aſſequaris, eius, quod in animū induxiſti vt conſequerere. Totum enim ipſum adeo magnum eſt, & penè dixerim infinitum, vt cum in eo omnem ætatem conſumpſeris, mirifico etiam progreſſu, longe tamen plura ſuperfutura ſint quàm quæ fueris aſſecutus. Nec id ſane dixi quo tardare velim ſtudia tua, aut rei difficultate deterrere: ſed vt facilius cognoſcas quantopere tibi ſit elaborandum, in eo, quod incredibili etiam labore partum, omnes labores ſui dignitate cōpenſabit: ſatis enim magna merces eſt, pro maximis etiam laboribus, quantulacunque pars veræ virtutis acqui-

ſite. ὁ γὰρ πλάτων τοὺς τῆς ἀρετῆς κλῶνας, ἱδρῶτι καὶ πόνοις ἔλεγε φύεσθαι. Omnis vero humanarum rerum cura, omnis ſuperuacua ſollicitudo; longiſſime ab animo tuo debet abeſſe: diuinæ ſiquidem ſapientiæ amor, adeo tener eſt, & vt ita dicam ſuſpicioſus, vt quemuis alium amorem, non riualem tantum, ſed nec ſocium pati queat. Quid enim ſocium patiatur, qui nihil præter ſapientiã non conſueuerit, vt Paulus ait, ἅπερ σκύβαλα paruifacere? Qua, inquã, ratione eorum quæ in terris ſunt, amicitiam non ſpernat, qui non modo terrena omnia, animi ſui magnitudine inferiora eſſe arbitratur, ſed & terram ipſam inſtar puncti habere intellexerit? Qui fieri poteſt, vt hominum honores non rideat, qui mentem habeat penitus humana deſpicientem? Jam vero minima illa etiam pudet attingere, a quibus animum tuum omnino alienum eſſe puto, & quæ viliora, tantum, vt ita dicam, ingenia apud nos torquere conſueuerunt à quibus etiam tantopere te aliquando à me deterritum fuiſſe recordor, vt nulla ratione fieri poſſe dixerim, vt & ſtudijs & his quæ in cœnobijs quotidie accidere conſueuerunt, animum poſſes intendere. Enimuero dum imprudens tecum mihi loqui viderer, fecit error ipſe Epiſtolam loquaciorem. Cæterum quod te adeo vehementi noſtri deſyderio teneri ſcribis, ſcias velim, præclare a me rationem initam eſſe, quo iſti tuo deſyderio poſſis ſatisfacere. Qua de re, tecum verbis meis loquetur Lerinenſis Præſul. Vale.

A. Grimaldo Epiſcopo Graſs. Gregorius S.

DUm apud te Monoeci eſſem, oppreſſus incredibili quadam ægritudinis moleſtia, id, omnino oblitus ſum coram tecum agere, quod potiſſimum præſens, & ſumma cum diligentia facere cupiebam. Ut ſcilicet hac ſacrorum Hebdomadę, Antonium nepotem tuũ ad nos mittere velles. Veruntamen mihi perſuaſum eſt, quantum propter abſentiam commendationi detractum fuerit, tantundem ex vi amoris & petitionis honeſtate compenſatum iri. Gratiſſimum igitur nobis omnibus, ſpero item ipſi nepoti tuo te facturum eſſe, ſi nos a te hoc impetrare patieris. Nam vt illud ſcribam ſuperuacuum eſſe puto, futurum ipſum apud nos maxima cum grauitate & diſciplina. Cum, quod hoc ipſum tibi & temporis & loci conditio, tum præcipuę perſpecti tibi mores hominum cum quibus illi futura eſt conſuetudo, perſuadere poſſunt. Tantiſper enim optimo & doctiſſimo viro eius præceptori, Vicarium Dionyſium ſubſtituemus, donec ad eam diẽ quam tu conſtitueris, ad vos reuertatur. Danda eſt interdũ, vt noſti, iuuenibus animi relaxatio, quo promptiore et recreato, vt ita dicã, ad virtutes ſpiritu, ad priſtina ſtudia alacriores reuertantur. Potiſſimum cum remiſſio ipſa eiuſmodi, vt ſpero, futura eſt, vt non corpus tantum honeſtiſſima voluptate, ſed etiam pulcherrimis cęrimoniijs diuinorum beneficiorum memoria reuocata, ipſe animus mirifica oblectatione recreandus ſit. Hoc igitur ſic à te petimus,

muſ, vt nihil vehementius peti poſſit. Et ſi tantum abeſt, vt de benignitate & humanitate tua dubitem, vt ſperem ipſum eundem nepotem tuum literas ad nos indices tuæ facilitatis allaturum eſſe. Vale: Acerba illa ęgritudo mitius mecum agit. Iterum vale & Salue.

Baptiſtæ Fliſco. Gregorius S.

COgnoui ex acerbitate literarum tuarum, nequaquam te tranquillo animo ad me ſcripſiſſe. Nec enim aliter fieri potuiſſe opinor, vt pro re tantula, præſertim quæ nullo mihi vſui futura eſſet, & furti ſimul & violatæ fidei tam acriter me expoſtulares, vt etiam argumento ex diffinitione ipſa, quo nullum certius eſſe poteſt aduerſum me ad id oſtendendum vtereris. Quare futurum mihi perſuaſi, vt cum quietiore animo ſedataq; iracundia, rem diligentius perſpexiſſes, eam perſonam quam & nobilitas tua, & omnium iudicio probati mores dudum tibi impoſuerunt ad te eſſes reuocaturus. Addo vſum rerum, & prudentiam, quæ ita præ cæteris omnibus ea diſciplina cui ſemper operam dediſti, ſibi vindicare videtur, vt etiam ſapientum cognomen, his qui ſe profiterentur conſueuerit impartiri. cæterum certiorem te eſſe volo longe te ab his decerptum eſſe, qui quippiam quod tuum eſſet iſtinc à me ablatum eſſe tibi perſuadere potuerunt. tantum enim abeſt, vt libros tuos contrectarim, vteris enim eo verbo, quorum nullus mihi vſus futurus fuerat, vt nec meos quidem cum iſtinc diſcederem, cogitauerim exportare.

tare. Quod, vt tunc res ſe habebat, propediem me Genuam reuerſurum eſſe ſperarem: Eiuſmodi vero tempora deinceps conſecuta ſunt, quæ me, vt officij & amicitiæ rationem haberem, omnem reuerſionis cogitationem coëgerunt abijcere. Cumque certis hominibus, quorum mihi diligentiam perſpectam habere videbar, per literas mandaſſem, vt bibliothecam meam ad me tranſmitterent, eſſentque in ea complures libri, quos commodo ab amicis acceperam, memini me mandare, vt omnes, nominatimq; tui, dominis reſtituerentur. Illi vero cum paulo indiligentius negociũ tractaßent, paucis reſtitutis, maiorem illorum partẽ ad me tranſmiſerunt, quod quidem, & tuli et fero moleſtiſſime: fit enim ob temporum iniquitatem, vt paulo difficilior ſit, hinc ad vos omnium rerum traiectio. Eius vero rei certiſſimam teſtificationem tibi faciet Caſſianus Camillus, cuius cũ libri plures ad me eadẽ imprudẽtia delati ſint, benigniſſime qui ſunt hominis mores, admonitum, non modo, nõ furti quod tu feciſti, ſed nec aliqua in parte violati officij me expoſtulauit. Si quod autem peccatum meum in ea re accuſari poteſt, eatenus tantum culpam recognoſci, quod in amicitia tua iudicanda, quam ſatis conſtitutam putaram, paulo ſecurioris animi fuerim. Debueram ſiquidem ſimulatq; Pont. Nebienſis Genua diſceſſit, quo præceptore in literis hebreis vti ſtatueram, libros tuos tibi reſtituere qui apud me in poſterum ocioſi futuri eſſent. Potui certe ea ratione non modo inopinati huius caſus, ſed etiam tinearum periculum euitare. Contigit

enim

enim incommodiſſime, ut cum nunquàm poſtea in illos oculos coniecerim, memoria mea penitus exciderent. Poſtq̄ vero huc appuli, nondum tantū ocij mihi ſuppeditatum eſt, ut aut tuos, aut meos, qui omnes tui ſunt, ex arcis extrahere poſſem, ut ſaltem hac ratione, eorum quos à te acceperam, memoria in me renouaretur. Nec vero præter te quemquam eſſe puto, qui fuerit opinaturus me fide labi voluiſſe, in re & minimi pretij, & quæ in publicis etiam tabernis vulgo venalis expoſita eſt. Quod ut certiori argumento cognoſcas, ſcias velim, non eos tantum libros de quibus tu ad me ſcripſiſti, ſed Budei etiam neſcio quid, te ipſum mihi tunc ultro commodaſſe. Quod, ut plerunq; in domo opulenta conſueuit accidere, omnino tibi memoria excidiſſe arbitror. Cum primum vero certi hominis, qui ad vos proficiſcatur, et illos deferri poſſit, nobis copia fiet, quod propediem futurum ſpero, omnes ad te aduolabunt, ne diutius in eo genere tardentur ſtudia tua. Nec tui modo, qui impedimento tantum futuri ſunt bibliothecæ meæ, ſed noſtri etiam quot quot ſunt (ſunt autē plurimi) ad omnes uſus tuos paratiſſimi ſemper erunt. Habeoque vero tibi immortales gratias, & pro beneficio tuo, & quod me cautum in poſterum reddideris, non temere quēquam ſibi, aliquid polliceri debere de nouis necdum ſatis conſtitutis amicitijs. Cæterum quod ſcribis, lapſum fidei noſtrę, cauſam tibi in poſterum prę ſtiturum, ut libri tui alicui monacho non cedantur, vix mihi perſuaderi poteſt, te qui æquitatis cognitioni ex profeſſo das operam, id

iuris

viris ſtatuere velle, nam ſi ex me vno, omnes noſtri ordinis minus certæ fidei eſſe iudicare nolueris, ego quoque coniectura ex te tantum facta iuriſconſultos omnes, & præcipiti iracundia eſſe, & facillimos ad indignationem iudicabo. Vale.

Caſsiano Camillo. Gregorius S.

BInas abs te accepi literas, pleniſſimas & amoris & officij: cognoui enim ex eis id quod ſummopere deſyderabã, te maxima vſum diligentia in Graſſenſis noſtri negocio pertractando. Qua re, cum nihil mihi gratius poſſet accidere, confeſtim feci eum de omnibus per literas certiorem. Vt iam te ab ipſo ob merita tua mirifice amari, nulla apud me dubitatio relicta ſit. Acceſſi præterea hortatu tuo ad ea excutienda quæ ſub Hieronymi nomine in Acta Apoſtolorum à Germanis edita ſunt. Statimq; in ipſo, vt ita dicam, veſtibulo operis, certiſſimis coniecturis intellexi, nihil ferè in eo eſſe quod ſub Hieronymi nomine debuerit publicari. Vt enim ſtyli ineptias omittam, quæ adeo manifeſta eſt, vt in pauciſſimis etiam illis verbis & penè nudis nominibus deprehendi poſſit quod ad Coſinographiã attinet; tam magnis tamq; multiplicibus erroribus refertum eſt, vt non dicam tibi quem nihil in eo genere poteſt latere, ſed omnibus etiam quæ ad eã diſciplinam ſpectare expertibus, ſtatim obuij eſſe poſſint. Quare periculo quoq; meo pronuncies licet, in eo opere iudicando, verum qui ſe acerrimi iudicij vult haberi longe deceptum eſſe.

eſſe. Sed de his omnibus propediem nos pluribus verbis coram, acturos eſſe confido. Cæterum & vt darem tibi quod rideres, & vt cognoſceres nunquam mihi Theocrenos defuturos, miſi ad te exemplum quarundam literarum quas ad me dedit Baptiſta Fliſcus, vir in ciuitate tua primarius, & in primis iuriſconſultus. Qui mirifico arteficio parum abfuit, quin mihi ipſi furem me eſſe perſuaderet. Ex poſterioribus etiam Analyticis ſumpto fortiſſimo argumento, quem probationis modum eius generis hominibus omnino incognitum eſſe putaram. Quare cautius mihi in poſterum cum iuriſconſultis veſtris agendum eſſe intellexi, quando & eiuſmodi dialectica callent. Mitto præterea literas, quibus Laconicè eius accuſationi reſpondi, quæ cum à te lectæ fuerint, & quo tibi placuerit ſigillo obſignatæ, vt confeſtim reddantur magnopere te etiam, atq; etiam rogo. Nam vt ſerio loquar, non ſine maxima animi mei moleſtia accidit, quod cum ad Dionyſium ſcripſiſſem, vt quicunq; aliorum libri apud me eſſent, eos omnes ante diſceſſum ſuum iſtinc reſtitueret: nominatimq; & de tuis & de illis ipſis pro quibus hæ turbæ excitatę ſunt, madaſſem, habuit ſe in eo negocio paululum indiligentius quàm a me deſyderatum eſſet. Quippe quod complures etiam ex noſtris pari negligentia Genuę dereliquerit, quod tamen non ęque ac de illis qui aliorum erat, moleſte tuli. At ſi quod nollem me hic diutius morari continget, non cõmittã, vt tu etiam nobis poßis iraſci, cuius plusquã omnium aliorum indignationẽ extimeſcerem. Vale.

Auguſt. Grimaldo Epiſc. Graſſenſi. Gr. S.

INcredibili me affecit iucunditate, Simon noſter, qui cum mihi verbis tuis ſalutem dixiſſet, adiecit præterea te in maximam ſpem veniſſe breui fore, vt te ipſo hic frui poſſemus. Qua re nihil & nobis gratius, & tibi ad tranquilliorem ſedatioremq; vitam accommodatius accidere poſſe opinor. Cum enim hæc loca ſemper mihi viſa fuerint amœnitatis & oblectationis pleniſſima, mirũ quantum quotidiano hoc experimento, conceptam iam de ſe opinionem in nobis confirmarunt. Et ſi mirum immodũ voluptas iſtęc noſtra, abſentia tua imminuitur, quod non æque gaudeã opportunitatem mihi abs te comparatam eſſe, vt vitam in rebus iucundiſſimis traducere poßim, ac doleo te illis carere, quæ coniectura ex animo meo facta tibi longe gratiora quam quæ iſtic habes futura fuiſſe ſuſpicor. Quare pedibus manibusq́;, vt aiunt, tibi enitendũ eſt, vt relicta illa alpiũ aſperitate, relicto tubarum tympanorumq; ſtrepitu, relicta nocturnarum excubiarum exploratione, relicta deniq; ſolicita illa corporis cuſtodia, huc ad nos quàm primum proficiſcare, ad eaq; confeſtim aduoles quæ tibi, & ad moleſtiarum leuationem, & ad honeſtiſſimũ ocium tanto ſtudio & diligentia comparaſti. Quibus eo difficilius te carere arbitror, quo experte, quã penitus incognitæ voluptatis, longe acerbior recordatio conſueuit eſſe. Et hæc quidem non iccirco ſcribo, quod te non id aſſidue meditari neſcis, ſed vt gratiſſimarum rerum veluti refricata

memoria,

memoria, promptior fias ad ea expedienda, quæ, & pondere rerum, & temporum iniquitate puto eſſe impeditiſſima. Mitto præterea ad te literas, quas ad me mercator quidam Genuenſis dedit, & ille quidem de facie, vt ſcribit, non tibi incognitus, qui cum neſcio quid ſibi a te deberi prolato etiam fratris tui Chirographo dicat, non aliter ſe tibi commendatum fore credidit, quàm ſi ad æquitatem poſtulationis ſuæ, vis quoq; noſtræ commendationis accederet, quę iam apud omnes tanti ponderis exiſtimatur, quanti in eam exiſtimari voluiſti. Perfectum enim a te eſt declaratione amoris erga me tui, vt niſi apud amicos & proprię opis diſſimulator, & vni mihi commodius (vt Flaccus ait) haberi velim, eiuſmodi officijs frequentius quàm vellem tibi cogar moleſtus eſſe. Gratiſſimum mihi erit, ſi quid de ea re ſtatueris, ad me ſcribere non grauaberis. Qua in re non Romanã, nõ Gallicam, ſed nec prouincialem quidẽ linguã, modo, vt id cõmodo tuo fiat, aſpernabor. Vale.

Caſſiano Camillo. Gregorius S.

RECtiſſime omnino ſuſpicareris Epiſtolas tuas nõ tormenta tantum, ſed fulmina etiam mihi videri, ſi id ob vim ipſam impetumq; eloquentiæ, contingere poſſe tibi perſuaſiſſes. Sed non eo certe pacto quo tu intelligi vis, inſtar mihi bellicarum machinarum videntur habere. Illę nempe horrore quodam ſonitus expaueſcendæ, & quod cladem afferant quàmplurimis, merito vitandæ eſſe videntur, at uero Epiſtolis tuis, nihil ſuauius, nihil amabilius fieri poteſt

ri poteſt, addo etiam leporem quendam, tibi proprium & feſtiuitatem, quibus adeo non oblector tantum, ſed capior etiam, vt non ſatis conſtituere poſſim, elegantia an vrbanitate maior ſis cum cæteris in vtraq; mihi ſuperare videant. Nec vero hæc noſtra exundans, vt ſcribis ſolitudo, ita penitus eſt inhoſpitalis, vt non amicorum literas benigniſſime excipiat, quæ ipſos etiam amicos longe benignius ſuſceptura eſſet. Sed iam intelligo te ex Gentili noſtro Homeri ſentẽtiam didiciſſe, qua ſaturitate contumeliam procreari dicit, teq; eo pacto delicias noſtras interpretatum. Sed nondum noſti non vnum genus delitiarum eſſe? Quid ſi in colendis hortulis, quid ſi in piſcationibus, quid ſi in corporis exercitatione deliciæ noſtræ ſint? Utinam (quod Dioclitianus ſpreto orbis imperio dixit) videre potuiſſes olera manibus meis cõſita, breui te ipſum etiã Anachoreten euaſurum fuiſſe mihi perſuadeo Nec tamen adeo ſum harum deliciarum, & huiuſce ſolitudinis appetens, vt non frugalitatis illius veſtrę, & gratiſſimæ conſuetudinis longe ſim appetentior. Sed ais tu? Jta ne niſi a Saulio Pont. coactus literas ad me daturus non fuiſti? Commode omnino cecidit, quod paucis antea diebus ſcripſi ad te, ſimulq́; Epiſtolam ad quẽdam dedi, ex qua facile potuiſti percipere, quo pacto a me accipiendus fueras, ſi vel parum quippiam indignationi conceſſiſſes. illic enim te intellexiſſe opinor, quàm grauiter inimicus illorum ſim, qui ita faciles ad indignationem eſſe conſueuerunt. Sed hactenus luſiſſe ſufficiat. Gratiſſima fuerunt officia tua Graſſenſi noſtro,

ſtro, homini omnium longe gratiſſimo. Egit enim mihi eo nomine per Epiſtolam diligentiſſime gratias. Quare ſcias velim, nihil ex re tua familiari tam tuum eſſe, quàm ipſe Graſſenſis impoſterum futurus eſt. Cæterum poſtremis meis literis ad te ſcripſi quale meum iudicium eſſet de his quæ ſub Hieronymi nomine in Acta Apoſtolorum circunferuntur. Qua in re tantum abeſt, vt dubitem quin rectum ſit de ea re iudicium meum, vt maximopere admirer illos, qui perſuaſum habent ſe nihil non videre in hac clariſſima re vtroq; lumine fuiſſe orbatos. Vale.

Hieronymo Ghinnuccio Epiſcopo N. Cameræ Apoſtolicę Auditori. Greg. S.

NOndum ſatis conſtituere potui, plus oblectationis an moleſtiæ literæ tuæ mihi attulerint, quæ ad xiij. Calen. April. datæ vij. demum Id. Maij nobis redditæ fuerunt. Cum enim ex ipſis cognouerim mirificum quendam amorem erga me tuum, anxiamque de incolumitate mea ſolicitudinem maiorem animo meo voluptatem cœpi, quàm vt breui Epiſtola a me declarari queat. Accedit præterea in fratrem meum (qui mihi meipſo penè carior eſt) ſatis nobis perſpectus ex illis ipſis literis, ſingularis quidam amor tuus, atq; beneuolentia, quæ cum a tali tantoque viro, & naturæ & fortunæ muneribus ornatiſſimo, vix citra impudentiæ notam mihi optanda fuiſſe videantur, eo gratiora nobis acciderunt, quo longius ſuperarunt expectationem noſtram. Contra vero ſupraquàm dici poteſt

teſt moleſte tuli, quod non modo deſyderio tuo adhuc a me ſatisfactum non eſt, ſed nec quid id ſit quod a te tantopere deſyderatur, ſatis intelligere potui. Cum enim circiter Cal. Aug. a fratre meo mihi redditę literæ fuiſſent, in quibus parua quadam ſchedula qua laudatio Pont. Eboracenſis continebatur, incluſa erat, nec quid ſibi ea vellet liquidò poſſem intelligere, quod id literis ipſis non planè declararetur, coniecturam feci priores aliquas, quibus copioſe negocium exponeretur, temporum iniquitate, vel eorum qui deferrent, negligentia, periiſſe. Quare confeſtim ipſum fratrem meum per literas rogaui, vt quid ſibi ea laudatio vellet, ad me ſcribere non grauaretur, enſurum enim me, quantum & viribus & ingenio poſſem, vt honeſtiſſimo eius deſyderio quamprimum a me ſatisfieret. Enimuero cum ille poſtea de ea re nec verbum quidem fecerit, diu perſuaſum habui, eiuſmodi prouinciam alij demandatam fuiſſe, qui maturius ingenioſius & eloquentius, munere illo defungi poſſit. Nuper vero acceptis literis tuis, reque diutius conſiderata, poſtremo in eam ſententiam veni, vt mihi perſuaderem, aut me imprudentia, & errore in ſcribendo, aut fratrem meum in percipienda literarum mearum ſententia deceptum eſſe. vt enim meminiſſe mihi videor, nihil me tunc pollicitum fuiſſe aggredi, niſi re quæ proponeretur diligentius percepta, ſic conte-ctura aſſequi poſſum, cum ex literis tuis, tum etiam ex verbis fratris mei, me nō adeo diſertè rem explicuiſſe, vt a viro in multis maximiſq; negocijs occupato, vnica le-

ctione

ctione intelligi potuerit. Qua in re, dum modo fratrē meũ culpa omni & errore vacare tibi perſuadeas, non abnuo quin vel ineptiæ, vel imprudentiæ meæ omnia aſcribantur. Id vero ea potiſſimum de cauſa paulo iniquiore animo laturus ſum, quod ignorem an commode nunc etiam deſyderio tuo ſatisfieri poſſit: vt non obducta iam cicatrice medicamentum apponere velle videamur. Quod ſi a te iudicatum fuerit, id opportune accidere poſſe, tibi omnino recipio, me diligentiſſime operã daturum, vt quicquid vitij adhuc per imprudentiam factum eſt, maxima cura & ſedulitate ſarciatur. Qua in re, omnino neceſſe erit quicquid in Regem Lutheriani euomuerunt, iſtinc ad me tranſmitti, vt ad ipſorum maledicta reſponſiones noſtrę accommodari queant. Præterea, ſi breues commentariolos de toto negocio confici curaueris, ex quibus deſyderiũ tuum paulo illuſtrius intelligere poſſim, erit ea profecto velut expreſſa quædam imago animi tui, ad quam cogitatus omnes noſtri velut ad certum definitumque ſignum dirigi poſſunt. Vale. Et me omnes q; meos, qui omnes tui ſunt, vt facis ama. Et ſi præterea quippiam a me proficiſci poteſt, quod tibi gratum fururum ſit, ſic tibi perſuadeas velim, nihil eſſe in eo genere, tam arduum, quod iuſſis tuis aggredi non audeam, nec tam difficile quod ſi fauor tuus acceſſerit, pręſtare mihi poſſe non videar.

Feder. Fregoſio Salern. Archiep. Gr. S.

C*Vm nunq̃ mihi nõ gratiſſime accidere conſueuerint literæ tuæ, quas tñ nuper apud Taurinos certo homini*

ad nos dediſti, tanta me iucunditate affecerunt, vt non maiori eas auiditate expectarim. Ex quo enim Nicæa diſceſſiſti, & ſi multa ad me rumor attulerat, ea tamen cum parum certa tum etiam omnino mihi moleſta fuerunt. Hęc iccirco tantum quod eius generis eſſent, vt quemuis poſſent moleſtia afficere, ſed ea potiſſimum de cauſa, quod tibi præcipue moleſtiſſima accidiſſe non dubitabam. Lectis autem literis tuis expreſſius quodammodo & illuſtrius id cognoui, quod de te ante mihi erat perſuaſiſſimum, nihil ſcilicet iuris in rebus tuis fortunam ſibi vendicare potuiſſe. Siquidem eas tantum res tuas appellare licet, quæ tibi eiuſmodi æquanimitatem pepererunt, vt nulla queas fortunæ iniuria a vitæ tuę tranquillitate dimoueri. Quare propediem etiam futurum ſpero, vt fortunam ipſam tantæ iniuriæ non pudeat modo, ſed etiam ſummopere pæniteat. Quod vero ad rerum ſucceſſus attinet, ſcio nec te alios quam fuerunt fore aliquando ſperaſſe, & me a te facile deductum fuiſſe in eandem ſententiam. Quo magis etiam id quod facis facere debes. Nam abſurdum ſanè videri poſſet, quod diutius antea futurum eſſe perſpexeris, id poſteaquam euenerit, non forti infractoque animo ſuſtinere. Et hæc hactenus locutus ſum perinde quaſi de rebus tuis aliquantiſper diffiderem, quę mihi tamen nequaquam eo deducta videntur, vt omnino ſit diffidendum. Et ſi quod ad te attinet, ſi omnino euentus rerum ex iudicio voluntateque mea penderet, non ſatis conſtituere poſſum, quod genus vitæ tibi potiſſimum optaturus fuerim: hinc enim laborum

borum & ſolicitudinis plena omnia video, & quod vſu iam experimentoq; didicimus, incerta penitus, & quæ momento temporis facile immutari euertiq; conſueuerint. Inde vero in vitæ tranquillitate & honeſtiſſimis ſtudijs totum te deinceps occupatũ iri facile mihi perſuadeo. Unum tantum eſt quo mouear, patriæ tuæ ſcilicet, atq; adeo iam noſtrę, charitas, quam moderatione auſpicijsque tuis, prope dixerim, beatam me viſurũ eſſe mihi pollicebar. Verum quoniam propediem te Nicæam venturum eſſe confidis, longiorem ſermonem in id tempus reijciemus. Ego vero ſuſpenſo anxioque animo hactenus in hac prouincia detentus ſum, cum nullum genus moleſtiæ ſit, quo nõ fuerim vehementer exagitatus. Quare cum iam tempus appetat comitiorum noſtrorum, ſtatui omnino eam diſceſſus noſtri occaſione non minus honeſtam quàm opportunam arripere, niſi a te ſecus mihi fuerit perſuaſum. Interim tamen Ioannem Baptiſtam noſtrum ad regem mittere decreui, pro rebus huius cœnobij conſtituendis, quæ, vt mihi perſuaſum eſt, paulo negocio conficiẽtur. Quod ſi tu (vt ſunt omnino pro varietate ſucceſſuum varia conſilia) iſtic diutius moram trahere decreueris, magnopere me certiorẽ abs te fieri opto. Nam mihi in Italiam quandocunque proficiſcenti, iſtinc vter eſſet. Cæterum omnibus qui mecum degunt ſacerdotibus (ſcias velim) te tam ſuauem non modo tui memoriam, ſed deſyderium etiam reliquiſſe, vt nihil adeo in illorum mentibus inſitum impreſſumq; ſit, quàm vt honeſtiſſimis tuis votis obſequantur. Idque eo magis Ioanni

Baptiſtæ noſtro quo maioribus grauioribusque de cauſis tibi tandiu penitus eſt addictus. Vale.

F. Archiepiſcopo Salernitano. Greg. S.

CVm eo quidem animo a te diſceſſerim, vt non vltra viginti, aut ad ſummum triginta dies abeſſem, Mutinam abſque itineris moleſtia tuo potiſſimum beneficio decima die perueni, rebuſq́; quarum gratia aduenerã compoſitis, iam ea quæ ad regreſſionem pertinent parare cœperam. Cum mihi redditæ ſunt literæ a principe ordinis noſtri, in quibus erat aſcriptum, vt ſalutatis affinibus, quãprimum Romam proficiſcerer. Ego vero & ſi ternas iam ab eo de eiuſmodi profectione literas acceperam, eiusq́; autoritati oppoſueram & longitudinem itinerum, & corporis imbecillitatem, rurſusque ille nullam ſe excuſationem accipere, reſcripſerat, ſtatueram tamen apud ipſum denuo me excuſare: a compluribus tamen admonitus, hanc quam ego excuſationem appellarem, poſſe aliquos contumaciæ nomine criminari, ſtatui mihi omnino parendum eſſe, non prius tamen quàm ad te literas dediſſem. Video enim me in eiuſmodi anguſtias coniectum eſſe, vt me ipſum inde explicare penè ſit difficillimum, niſi tu qua ſoles humanitate, negocium meum & ſuſceperis & confeceris. Primum quidẽ ne tu ipſe me, quod conſiliũ immutarim, immutatæ etiã voluntatis expoſtules, quam noſti omnino ex aliena voluntate pendere. Deinde cum tibi perſuaſeris, me eiuſmodi profectionem inuitum ſuſcepiſſe, idipſum etiam principi

noſtro

noſtro perſuadeas. Cuius quanquam mihi perſpectiſſima eſt humanitas, cum tamē cogito quibus me verbis abeuntem proſecutus eſt, & quid ego de regreſſione mea pollicitus fuerim, nec iſta quidē grauiſſima & honeſtiſſima cauſa ſatis momenti apud eum habitura eſſe videtur, vt non aliquid ab eo peccaſſe iudicer. Occurrit poſtremo noſter Theocrenus, qui cum diſcederem, etiam breuiſſimum illud tempus, quam longiſſimum ſibi videri dixit. Quare, vt abſq; magna animi mei moleſtia, iter hoc conficere poſſim, eatenus Mutinæ ero, quoad a uobis mihi literę reddentur, quibus intelligere poſſim me apud vos ſufficienter excuſatum fuiſſe. Romæ vero, vt idem ille princeps noſter ad me ſcripſit, non amplius decem, aut duodecim diebus commorandum erit, poſtea Piſas, & deinde litorali via ad vos quàm ocyſſime aduolabo. Et quoniam mula hęc qua vectus ſum, ita commodo, & molli eſt inceſſu, vt illi ſecundum te proſperam valetudinem acceptam referam, ſummopere optarem; ſi tamen commodo tuo fieri poſſet, eadem rurſus Romam vehi, & inde ad vos reuehi. Dabo enim operam quod & hactenus feci, vt quàm diligentiſſime curetur. vale.

F. Fregoſius Archiep. Salern. Greg. S.

CVm te ipſum iam expectaremus, ecce nobis redditæ ſunt literæ tuæ Mutinæ VII. Calen. Decembris datę, quibus plane intelleximus te non minorem redeundi voluntatem habere, quàm eundi habueris neceſſitatem,

quorum hoc æque gratum fuit, ac fuerat illud moleſtum. Sed quia reditus tuus Romanæ profectionis cauſa, longius relabi videbatur, quàm quod nos animo concepiſſe arbitrareris, humaniſſime a te factum eſt, quod de tuis rebus nos certiores facere conſtituiſti, voluiſtiq́; tandiu Mutinæ eſſe, donec noſtrę quoq; tibi literę redderentur. Putabas enim nos tarditatem reditus tui, noſtro deſiderio non tuo commodo metiri, quod planè falſum eſt, propterea nihil eſt quod de noſtra voluntate dubites, nosq́; de tua dubitare ſuſpiceris. Nam & ſi aduentus tuus nobis expectatiſſimus eſt, vt etiam pro Octàuiano fratre meo loquar, non ideo tamen voluptatem noſtram neceſſitati tuę anteponenda eſſe cenſemus. Quare perge quo vocaris, nec noſtri te curą ſolicitet. Tantum, hoc ſolatium nobis a te tribui cupimus, vt quam ſæpiſſime tuis literis nos inuiſas, deq; tuis rebus facias indies certiores. Nihil enim præter aduentum tuum, nobis iocundius accidere poteſt. Reliquum eſt, vt cum Romæ fueris, Jacobum Sadoletum ciuem tuum meo nomine quam plurimum ſaluere iubeas, deque nobis illi polliceri velis, quæ a fidiſſimo amico, & ab amantiſſimo contubernali prouenire poſſunt. Ad ea vero quæ nobis de mula qua hoc itinere vſus es ſcripſiſti, Theocreno noſtro reſpondendi partes reliquimus, qui etiam ocioſius quàm nos facere poſſumus cætera ſuis literis complectetur. Vale, & me mutuo dilige.

Bene-

Benedictus Theocrenus. Greg. S.

EX ijs literis quas ad me Mutina proxime dediſti, non intelligebam quæ te cauſa, cum affuturum iamiam ſperarem, in urbem ab noſtra, tam certa expectatione traheret. Ita breuiter eam profectionē in extrema pagella proponebas, non poteram tamen quicquid tibi videretur decerneresúe non probare, cum ſemel mihi perſuaſerim tibi, omni in re conſilij tui conſtare rationem. Dedit poſtea legendam mihi Epiſtolam quam ad ſe eodē die ſcripſiſſes Federicus princeps meus, quæ copioſæ, ut factum oportuit, rem totam continebat. Ego Gregori licet videam quod tibi a Pontifice tuo iniungatur, non poſſe id te ſine grandi flagitio deprecari, ſciamq́; nolenti fieri, quod tandiu nobis careas: ægerrime tamen fero conſuetudine tua defraudari me, & inſigni illo fructu ſtudiorum meorum quæ quidem abſte maximopere iuuari, & ali, vel tu ipſe qui de te modeſtiſſime ſentis nunquam negaſti. Perceptum enim ſemel tantum bonū abrumpi, aut etiam intermitti cum acerbum, tum valde inutile, ſi præſertim quædam ſint, aut potius multa, quę ſine prælectore aſſequi nequeamus. Nam omnis philoſophiæ, cuius candidatum apud te profeſſus ſum, ſcientiam, ita in arduo poſitam video, ut undecunque ad eam ſine aliquo duce & præuio ingredi parem, materiæ difficultate deterrear, te unum Deus mihi obtulit, a quo certiſſimum ad tantam rem adeundam, auxilium ex pecto, præterea a nemine. Itaq; quicquid illud eſt quod

propoſitum

propoſitum noſtrum, tam laudabile morari poſſit, id nos uehementer ſolicitos habet atq; angit. Quod an ita ſit, quis te melius diiudicauerit? qui niſi aliquãdo eadem expertus eſſes, non mehercle, tam ſæpe operam tuam, tamque promptam ultro mihi ſpopondiſſes. Sed illud me aliquantulum conſolatur, quod non ultra Id. Februarias abfuturum te recipis. Quas ego ob id toto animo complexus, ita iam amo, ut natali meo chariores habeam: ſemper uero quoad uixero celebraturus, ſi mihi hic tecum (ut ſpero) illuxerint. Quod ad mulam attinet hactenus conueniri ſe Federicus paſſus eſt, ut quod cõmode te uexerit mire gauiſus, eam tibi iam tum inde cum diſceſſiſti abs te dono datam diceret, ſic enim tum ſtatuiſſe, ut ſi tibi in iſto itinere uſui ea foret, perpetuo tua foret. Quãobrem ſalua modeſtia iam reſpuere eam non potes: ne talis uiri qualecunq; munus faſtidire uidearis. Cupit ille magnopere, ut Nicolaum Judecum cumprimũ in urbem perueneris familiarius adeas, atque ab eo poſt inſtitutam amicitiam diligenter quæras, an in urbe per diu futurus ſit, an alibi ſi qua honeſta conditio proponatur, eſſe malit quàm Romæ. Tum ſedulo intueare, quæ tua eſt ſolertia, qui mores ſint in homine quæ comitas. Hæc tamen omnia ita ſunt tibi tractanda, ut nõ ſubornatus, neque alterius impulſu, ſed tua ſponte intelligere uelle uidearis. Sic enim, ut fiat, præſentes Federici rationes expoſtulant. Superuacuum penè fuerit illud te monere, tum ſingula ſpeculatus fueris, uti quamocyſſime ad nos ſcribas, cum te hoc in genere, uel maxime omnium

hominum

hominum impigerrimum ſemper compererim. Octauianus princeps cum hæc ſcriberem ex podagra decubabat, non illa tamen adeo graui, aut violenta. Reliqui omnes qui te amant, aut potius norunt (nam quicunq; te norunt idem amant ac ſuſpiciunt) bene valent, præter vnum Stephanum Spinulam, qui pridie Cal. Decemb. morbo articulari aliquandiu ſolito grauius afflictatus diem obierat, quod te omnino ſcire oportere exiſtimaui. Vale.

F. Archiepiſcopo Salern. Gregor. S.

QVod poſteaquàm Romam veni nullas ad te literas dederim, non ea cauſa fuit quod amoris tui erga me, aut beneficentiæ oblitus, ab officio aliqua ex parte diſceſſerim, ſed quod dies complures in ſalutationibus, & conueniendis doctis viris conterens, nihil temporis mihi reliquum feci ad munus illud obeundum, quod profecto rebus omnibus anteuertere ſtatuiſſem, niſi me humanitas tua, mihi iandiu perſpectiſſima ſatis perſuaſiſſet, nihil tibi gratius futurum, quàm vt viros qui illam ipſam humanitatē profitentur, & conuenirem ſæpiſſime, et mihi quàm arctiſſime conciliarem. Nunc vero quando videor mihi id quod ſummopere concupieram aliqua ex parte aſſecutus, vt docti fere omnes qui in vrbe ſunt, non modo mihi de facie ſint cogniti, ſed quotidiana etiam deuincti conſuetudine, nihil apud me erit antiquius, quàm vt & te ipſum, & principem meum Octauianum quàm creberrimis literis inuiſam. Nam & Genuam ad conductam diem reuerti

uerti non poſſim, faciunt & fratris & nepotis mei negocia familiaria, a quibus & ſi omnino animus meus abhorret, inhumanum tamẽ arbitratus ſum, non aliquot ſaltem dies tantæ coniunctioni impartiri. Cæterum ne præſens tibi gratularer de ampliſſimo maximoq; ſacerdotio, quod virtutibus tuis commendatum eſſe nemo ambigit, niſi ſiquis ab omni virtute eſt penitus alienus, inuiderunt ea ipſa negocia. Gratulor tamen, ut debeo quàmplurimum, nec tibi modo, ſed & illis ipſis quibus conceſſum eſt, ut ex optimis moribus, & virtute tua quàmplurimum fructum percipiant. In quorumq; animos vis poteſtatemq; habes, Deumq; opt. Max. rogo & oro, ut tibi id ſacerdotium ita fortunet, ut cum illud diu recteq; adminiſtraris, tandem ſeptus frequentiſſimis turbis eorum qui cura tua ſeruati erunt, meritum de hoſtibus triumphum ducens, cæleſte capitolium victor poßis aſcendere. Vale. Quid hactenus confecerim de Nicolao Iudeco, ſcripſi ad Theocrenum noſtrum diligentiſſime.

F. Archiepiſcopo Salernitano. Greg. S.

NVllas mihi hactenus abs te redditas eſſe, magis moleſte fero quàm admirer, quod item tibi accidere mihi perſuaſum eſt. Ea eſt enim miſerabilium horũ temporum conditio, ut non modo de grauioribus rebus ſcriptæ literę, ſed communes etiam & familiares iſtæ noſtræ undecunq; excipiantur. Bis iam ad te literas dedi, quas ea potiſſimũ de cauſa tibi reddi ſummopere optabam, quod tantum de

amicitia noſtra vel potius mea erga te pietate conſiderem, vt ſperarem iſto tuo tempore, illas quadam ex parte tibi ſolatio futuras eſſe. Enimuero cum illæ perierint, nullatenus tamen mihi ab officio recedendum eſſe exiſtimaui, magiſq; fidem quorundã quàm diligentiam noſtram volui a te deſiderari, præcipue cum certiſſimi hominis oblatam, nunc mihi eſſe facultatem certiſsime opinarer. Nec tamen operam aſſumam, vt te fortiſſimum virum conſoler, præſertim cum ea te ſemper prudentia præditum cognouerim, vt in quauis etiam grauiſſima calamitate, conſolatione non indigeas, nec ea ſit fortuna rerum tuarum, vt te magnopere, vel angi, vel dolere ſuſpicari debeam. Quid enim eſt, quod te amiſiſſe conqueri poſſis, niſi id amittere appellas, multarum rerum earundemq; moleſtiſſimarũ ſolicitudine priuari, tandemq; te ipſum tibi reſtitui? quod quidẽ niſi hactenus es aſſecutus, propediem tamẽ fore, vt aſſequaris, ex his quæ ad me quottidie afferuntur, & ex perſpecta mihi modeſtia & magnitudine animi tui coniecturam facio. Non enim vt opinor, memoria excidit quod ſæpius mecũ conquerebare teipſum tibi ſurripi, nec aliud magis deſiderare, quàm aliquam tibi occaſionem præſtari quo honeſte ſecedere poſſit, reliquumq́ ætatis in optimis & artibus & ſtudijs collocare. Quod etſi nũc magis a te expreſſum quã impetratum conqueri poſſe videris, ęquum tamen eſt, non ſi quid mali in hoc negocio eſt, id ipſum nouis, & ſolicitudinibus & moleſtijs augere, ſed ex hac ipſa, vt multi opinantur calamitate, non oſtenſam modo, ſed etiam oblatam

 felicita-

felicitatem toto animo complecti, quod cum certis coniecturis te facturum aſſequar, nequaquã mihi tantum arrogaturus ſum, ut contra ac pollicitus fueram te, vel conſolatione, vel conſilio, vel adhortatione adiuuare velim. Tantum id addam, te, ſi quando eiuſmodi vitæ genus inſtituere potueris, quale abſte ſummopere deſiderari oſtendebas, tum demum facile iudicaturum ex hac rerum commutatione bonine an mali plus conſecutus fueris. Cæterũ ex compluribus qui iſtinc ad nos venerunt, te intellexiſſe cognoui, partem longe maximam librorum tuorum perijſſe, quod omnibus alijs calamitatibus anteponerem, niſi qui erant inter eos longe optimi apud nos ſalui eſſent. Nam Græci omnes manu ſcripti, impreſſiq; ferè omnes, & Latinorum aliquot miſerrimam illam direptionem euaſerunt, De ſacerdotalibus vero indumentis, propediem ut ſcias faciam. Vale. Etſi commodo tuo fieri poteſt, ſæpe nos literis inuiſe.

F. Fregoſius. Gregorio S.

MIrabar profecto quidnam in cauſa eſſe poſſet, quod tuis literis tandiu careremus, nec fieri poterat, ut in hac noſtra tam antiqua tanque confirmata amicitia totis tribus quatuorúe menſibus, nullas omnino a te datas ſuſpicaremur, hoc præſertim meo tam iniquo tempore, quo & acerrimis curis angi, & infinitis opprimi malis ex tua prudentia facillime te conijcere arbitrabar. Sed rurſus cum tot quottidie iſtinc recta ad nos proficiſcantur, totq;

mercatores ad trimeſtres nundinas Lugdunum quottidie commeent, vbi dum nos illic commorati ſumus literæ tuæ offendiſſent, ſi intra duorum menſium ſpacium datæ fuiſſent, & poſt diſceſſum noſtrum quottidie literarum faſces illinc ad nos deferantur, factum eſt, vt dubitarem, an aliquid etiam iuris in optimorum hominum voluntate fortuna haberet. Quare mi Gregori habeo tibi gratias ingentes qui me his tuis literis quas ad 15. Cal. Septemb. dederas, hac præcipue cura liberaſti. Quibus & te alias prius dediſſe, & noſtras ſummopere deſiderare oſtendebas. Nimirum vtrunque mihi pergratum eſt. Sed cum vnas, vt primum Lugdunum veni, cuidam ex noſtris ciuibus, qui fidelis nuncius haberi poterat, dediſſem, verebar ne vltra quàm officium noſtrum pateretur, ſæpius aures tuas obtunderem, ac ocium tuum interpellarẽ. Sed poſteaquam ſententiã tuam cognoui, ſecus atq; inſtitueram faciendũ mihi eſſe arbitror. Vt ſcilicet primum te certiorem faciam de his quæ te maxime ex me cognoſcere velle exiſtimem. Sed quid nam aliud quàm de me ipſo ad te nunc potiſſimũ ſcribam, quod tu libentius audire, & ego facilius narrare poſſim? Quanuis hoc totum negocium minime eſſe delectabile vtriq; noſtrum exiſtimem: nunc ſcito me in ſummo mœrore verſari. Quis enim tam ferus ac ferreus, qui non patriæ ſuæ direptionem ac prope excidium deploret, quam ego ipſe quaſi inter vlnas meas confodi, atq; trucidari ab immaniſſimis hoſtibus vidi? Non poſſum equidẽ & fateor, in tam acerbo caſu non dolere. Quanuis duæ pre-

 ter

ter hanc cõmunem cladem inſignes ac peculiares fortunæ iniuriæ me pepulerunt. Tot ſcilicet amicorũ, tot clientum, tot familiarium exilium, atq; interitus. Deinde Octauiani fratris mei viri innocentiſſimi captiuitas atq; duriſſimus carcer. Iſta quia nunquam præuideram, quis enim tam lyncæus? modo me excruciant, atq; exanimant. Ita tamen, vt non omnino me his curis, atq; ſolicitudinibus obrui ſinam, quin & ad te, & ad eos amicos quos nihil molle de me, nihil demiſſum opinari volo non ſemper reſpiciã. Illa vero quæ ad me tantum pertinent ex patria eiectio, euerſio imperij noſtri, fortunarum diſſipatio atq; rapina, nihil ferè nos tangunt. Tantumq; abeſt, vt pro his dolere ac lamentari velim, vt etiam illis gratias habiturus ſim non minimas, qui me, quanuis non amico animo, attamen vna cum illis multis moleſtijs, multis laboribus, multisq; periculis liberauerunt. Atq; huc coniecerunt vbi collectis, atque compoſitis huius naufragij reliquijs, ad ea ſtudia a quibus diſcedere minime oportebat, aliquando reuerti poſſe non diffido. In quam ſpem me maxime erexit incolumitas librorum meorum, non ſolum eorũ qui apud te miſerrimam illam (vt ais) vaſtitatẽ euaſerunt, verum & cæterorũ, quos, & ſi in illam inciderunt, ſpero aliquãdo ad noſtras manus peruenturos. Quidam enim etiam nomine nobis ignotus qui eos potitus eſt, neſcio quid hac de re mihi verbis ſuis renunciari iuſſit. Quod quidem ego omen accipio, tanquã ſignum futuræ tranquillitatis ſtudiorũ meorum. Hæc de nobis modo ad te ſcribenda duxi, nam ea quę tu ſane

tu ſane nimis amice de me ſentire videris, profectũ nullum reſponſum deſiderant. Vnũ tamen conabor, ſi quando caſus tulerit, ne te amicitiæ noſtræ, vel pudeat, vel pigeat. Præterea, inter eos libros quos apud te reliquerã erat quædam oratio a me ſcripta, quam olim te legiſſe arbitror, eam niſi in illa clade perijt, velim vt cumprimũ poterit fieri, ad me mittas, nam animus eſt, aut meliorẽ reddere, aut omnino diſcerpere. De ſacerdotalibus indumentis deq; ſacris vaſis ſi quid ſuperfuerit aueo ſcire. Nam ea mihi ſummopere cordi ſunt, quibus ego ipſe tãtũ in re diuina uti ſolebã, quæ vero in aliorũ vſus parata erant, facile autem eſt dignoſci, veſtræ Eccleſiæ dono. Vale & crebrius deinceps a me literas expecta, dũmodo id tibi gratum fore ſignifices. Sacerdotibus quoq; qui tecũ degũt multã ſalutẽ verbis meis dicito, ſed principi veſtro quàm maximam. Vale.

F. Fregoſio Archiepiſcopo. Gregorius S.

ORationem illam quam difficillimis R. P. temporibus ad ciues tuos habuiſti, legi quam diligentiſſime, de qua quidem, nihil omnino ad te ſcripturus fueram, niſi reſciuiſſem viros excellentes ingenio & eloquentia, de hac eadem re ad te literas dediſſe, vt me non tam deterruerit illorum eloquentia, quàm impulerit ſimile omnino, & vt opinor idem penè de eiſdem rebus cum ipſis iudicium. Conſueuerunt vero qui apud principes ipſorũ, vel mores, vel eloquentiam laudant, facile eorum qui audiunt iniquum ſubire iudicium, cum non tam quia laudandi, quàm quia principi-

principes, omnia dicta eſſe videãtur. Quod etſi in me vix accidere poſſe confido; quod id omnino a moribus & inſtituti mei ratione ſit alienum, peneq; impium videri poſſit, pro ea, quæ mihi tecum eſt familiaritate, humaniſſimis moribus & facilitate tua conciliata, me de te ipſo apud te mentiri velle, cum præcipue nec eo ſis animo, vt quempiam tibi aſſentari velis, nec eo ingenio, vt qui id faciat te poſſit latere. Facit tamen orationis tuæ genus, vt ea mihi dicenda ſint, quæ a compluribus, non ad fidem dicta, ſed ad gratiam conficta eſſe videri poſſent, niſi eadem ipſa oratio ſui lectione me penitus ab omni eiuſmodi nota liberatura eſſet. Fateri nempe cogentur qui eam in manus ſumpſerint, non modo nimis a me laudatam, quia tua eſſet, ſed parum etiã, &, vt ita dicam, auare, quia ſit optima. Vt enim potiſſimũ a genere ipſo incipiam, quod cæteris & ingenioſius & ſubtilius eſt, & in quo præcipue maxima inuentionis difficultas verſari ſolet. Quid apertius demonſtrari potuit, quã ea omnia pro quibus verba faciebas, omnino vt tu ſuadebas deliberanda eſſe? ordo vero atq; diſpoſitio eiuſmodi ſunt, vt nihil artificioſius nihil ſit magis cohęrens. Cum enim ſcires ciuium tuorum animos, & rei ipſius natura & ſuperioribus ſolutionibus ita affectos, vt difficile eiuſmodi orationem admitterent, ita tibi illos in dicendi initio conciliaſti, vt ex re ipſa natum exordium, & maximo vulneri medicamentum afferret, & ad ea quæ ſequebantur mirifice aperiret ingreſſum. Quæ vero in mediam orationem conieciſti: iccirco, vt opinor, quod difficilius tractari poſſe videban-

videbantur, de lege, ſcilicet & ſcripto, ita ſunt a te ſubtiliter diſputata, ut putem legiſlatorem ipſum, nec uerius, nec expreſſius quid ſenſerit diſſerere potuiſſe. Omitto hic vim illam & amplitudinem orationis, qua inimicorũ impietas, & quæ ab ipſis nefarie crudeliterq; patrata ſunt, & maximo ſpiritu et vehementi oratione ante oculos audientium a te ſunt collocata, fulmina perorationis & oratoria illa ornamenta epiphonemata, epicheremata, dilemmata, quibus omnibus, & alijs præterea, eius generis concio illa refertiſſima eſt. Jam elegantia & facilitati coniuncta verborum proprietas eiuſmodi ſunt, vt cum nihil plane ingenioſius & ſubtilius, nihil etiam candidius, me legiſſe affirmare poſſim. Habes meum de oratione tua iudicium, de cuius laudibus ita demum patiar ab aliquibus detrahi, cum quippiam & elegantius & ingenioſius hac tẽpeſtate editum cognouero. Quod quidẽ tum deniq; fieri poſſe credam, cũ tu in eo genere quippiam rurſus edideris. Vale.

F. Fregoſio. Gregorius S.

QVemadmodum nihil mihi iucundius accidere poteſt, quàm vt tecum per literas ſæpiſſime loquar, ſic nihil audio moleſtius, quàm eaſdem literas quouis caſu perire. Quod in illis, quas poſtremo ad te dedi eueniſſe, ex ea potiſſimum coniectura ſuſpicor, quoniã deſiderare oſtendis te a nobis certiorem fieri, an quippiam de libris tuis confecerim. Jd vero in illis ipſis quas interceptas ſuſpicor, memini me diligentiſſime ſcribere. Sforciam ſcilicet cuius

nomine

nomine aſſeruabantur, & a me & a quibuſdam, qui principem locum apud ipſum obtinent, diu rogatum, tandem annuiſſe, vt nobis reſtituerentur. veruntamen ex purpuratis eius is quo deprecatore vſus fueram, literas ad eos apud quos aſſeruantur, oblitus eſt impetrare, quo factum eſt, vt nondum à me recuperari potuerint, quos tamen propediem ad nos migraturos eſſe non dubito, dedi nanq; ea de re certo homini negocium. Nihil vero præter libros & ſacerdotalem ſupellectilem aliquid præterea ſtragulæ veſtis ϗ περιπετασμάτων ad nos delata fuiſſe, tam certum eſt quàm quod certiſſimum. Quæ omnia, præter libros, peſſimo illo incendio conflagrarunt. Quod inſuper amice, & humaniter de profectione mea requiris, nequaquam æquum eſſe arbitror te aduentum tuum ad deliberationẽ meam accommodare debere, contra autem gratiſſimum mihi erit, ſi quandocunq; tibi decretum fuerit ad Lerinam diuertere, me feceris paulo antea certiorem, illuc enim acceptis literis tuis confeſtim aduolabo, eroque illic tandiu quoad tecum mihi eſſe licuerit. Id vero ſi quàmprimum ſtatueris, nihil opinor Graſſenſi noſtro optatius poſſe contingere. Cæterum niſi a te accerſitus fuero, qui vt noſti nullis impedior negocijs quominus confeſtim tibi parere poſſim, nihil habeo certi quod ſcribam. Vix enim dici poteſt audita fama profectionis meæ quàm diligenter mecum egerint fere omnes omnium ordinum ſpectatiſſimi ciues, ne ſe patriamq; iſtam derelinquerẽ, quibus cum adiunctæ fuerunt eorum quibus cum dego ſacerdotum, non autoritas modo,

ſed etiam

ſed etiam præces. Quo fit vt inter Genuā Graſſenſemque dubius animi pendeam. Vt tamen eius dubitationis euentus ille futurus ſit, quem tu, cum certū quippiam de te ſtatues eſſe volueris. Cæterum cum ad tua innumerabilia in me merita acceſſionem aliquam fieri poſſe nō arbitrarer, repēte tuo patrocinio in his cōtrouerſiis, quæ inter me & Theocrenum futuræ fuerunt, maximus cumulus acceſſit. Quod enim in hac cauſa ſponte mihi ceſſerit, beneuolentiæ tuæ erga me acceptum refero. Ad ipſum vero Theocrenum literas de hac re dedi, non quidē eo conſilio, vt defenſioni tuæ quippiam à me addi poſſe exiſtimarem, ſed quia id a me deſiderare, ipſe literis ſuis oſtenderat. Vale.

F. Fregoſius Archiepiſcopus. Greg. S.

ET ſi nihil erat in noſtris literis quod nō vel in ipſa concione recitari poſſet, tamen quia hæ erant, non ſolū mutuæ inter nos beneuolentiæ indicia, verumet iam intimæ familiaritatis teſtes, nollē prorſus eas alienis oculis ſubijci, nec in eorum manus incidere, quibus tantum ab re ſua ocij eſt, etiam vt aliena perquirant. Jccirco dum cautior eſſe cupio, fio in ſcribendo tardior. Jſtud tamen quicquid eſt delicti mihi abs te condonari fas eſt, homini præſertim cū ad ſcribendum rudi atque ignauo, tum multis negocijs atq; curis occupatiſſimo, quæ quidem partim ab improbis hominibus, partim ab ipſis temporibus, vt ſunt dura atq; iniqua mihi procreantur. Sed eas ſpero breui omninò confectas fore, aut ſi id minus continget, quicquid infectum ſupererit abijcie-

mus, vt illud ocium quod iampridem optauimus, aliquãdo conſequamur, & literulis ac ſtudiolis noſtris inſiſtamus. Quæ vt commodius atq; hilarius poſſemus perficere, Theo crenum noſtrum iandudum accerſiuimus, de quo tamẽ poſt VII. Calen. Septembris nè verbum quidem audiuimus. Cæterũ inter libros eos quos apud te reliqueram, erant com mentarij à quodã Acciaiolo florentino editi, in eos Ariſto-telis libros qui de moribus diſputant, quem ſane librum ſu perſtitem ex illo vrbis noſtræ incendio euaſiſſe peruelim, quia rarus eſt & ex illis antiquiſſimis impreſſionibus & meo quidem iudicio non inutilis neq; omnino barbarus, vt omnes ferè ex eo genere eſſe ſolent. Quid nam de eo factum ſit cupio à te quàmprimum fieri certior, non enim deſpero a direptoribus potuiſſe contemni, vt erat incomptus & ca riæ atq; vetuſtate confectus, & penè corroſus. Dũ hæc ad te ſcribebã, redditæ mihi ſunt literæ tuæ V. Id. Nouembris datæ, quæ quàm gratæ mihi fuerint ſcribam ad te alias. Hoc vnum interim te ſcire volui, pauciſſimos eſſe quos ego æque ac te amem atq; colam, plus profectò neminem. Has noſtras nolui propterea retardari, quin ad te celeriter perferrẽtur, ne ea voluptate quam ex intimorum amicorum literis percipere ſoles, diutius careas. Vale, & enitere vt nos quàm plurimum diligas, nihil enim gratius nobis facere potes.

F. Fregoſio. Gregorius S.

Q*Vas ad VII. Calen. Decembris dederas, nos IIII. Id. eiuſdem menſis accepimus, ſuperuacuũ autem*

futurum

futurum opinor ſi ad te ſcripſero eas mihi longe gratiſſimas fuiſſe, cum in tam veteri tamq; conſtituta amicitia, noua (vt ita dicam) verborum conciliatione nihil opus eſſe cenſeam. Quod autem & amicæ & modeſtæ ſcribis te apud me excuſatum eſſe debere, ſi non à te quàm ſæpiſſime literas accepero, facis tu quidem humaniter & beneuole, vt cum frequentiores a te literæ dentur, quàm vt nobis à tali tantoq; viro deberi exiſtimem, non tamen in eo tibi ſatisfacias: quod & ſi officij rationem præclare ſuperat, longe tamen inferius ipſo officio à te eſſe exiſtimatur, quod illud nõ comuni hominum more, ſed animi tui magnitudine metiaris. Gaudeo præterea Epiſtolam noſtram incolumen ad te perueniſſe, erat enim in ea quod te ſcire peruellem, de libris tuis potiſſimum, quos propediem apud me futuros eſſe nõ dubito. De commentarijs vero Acciaioli nihil omnino te ſolicitum eſſe oportet, cum enim talis liber ſit, qualem tu optime deſcribis, nequaquam nobis veriſimile ſit, illum incolumibus cæteris periiſſe, qui & ſi maxime periiſſet, idem tamen eſt apud me non eiuſdem modo autoris, ſed eiſdem etiam literarum formis impreſſus. Præterea in eoſdem Ariſtotelis libros Enſtratij cõmentarij & Sophronij paraphraſes, græce cõſcripti, qui ſi tibi vſui futuri ſunt, confeſtim ad te aduolabunt. Proximis diebus cum Octauianus princeps noſter Genuam perductus eſſet, deinceps Neapolim deducendus, ægre quidem impetrato aditu, bis ad ipſum acceſſi, fuiq; cũ eo diutius. Mirum quanta animi conſtantia acerbiſſimum hunc fortunæ ictum tolerare mihi viſus fuerit. Perſeuerat

Q 2 *adhuc*

adhuc priſtina illa hilaritas in congreſſu, comitas in ſermone, & (quod maxime mirum eſt) in vultu non tranquillitas modo, ſed mira etiam ſerenitas. Qua vero ratione ſeipſum conſoletur, hinc facile coniectura aſſequi potes, quod cũ me paulo ſubtriſtiorem, (nec enim mihi in ea parte imperare potueram,) cognouiſſet, prior ipſe me conſolari cupit, bone Deus, quàm infracto, quàm celſo, quàm erecto animo, commemorare cœpit clariſſimos imperatores, qui immutata fortuna, eandem calamitatem ſubierant, quorum tantũ abeſſet, vt ſe minorẽ in aduerſa fortuna haberi vellet, vt longo etiam omnibus illis magnitudine animi & conſtantia ſuperiorem ſe eſſe arbitraretur. Et ea potiſſimũ de cauſa quod cum Chriſtianus eſſet, conſtantiſſime confiteretur omnia Dei Opt. Max. diſponi ſapientia, & prouidentia adminiſtrari, ſciretq; nihil ſibi præter eiuſdem diuinitatis decreta accidere potuiſſe, & iccirco parum prudẽtis fore, niſi ea omnia æquiſſimo animo toleraſſet. Itaq; qui conſolandi gratia acceſſeram, non parum ab eo ſolatij reportaui. Quod quidẽ tibi omnino à me ſcribendũ eſſe duxi, vt in longe minori calamitate, parẽ animi celſitudinẽ adhibere curẽs. Cetera quæ mecũ locutus eſt, maiora et grauiora mihi viſa ſunt, quã ut in certis et nũcijs et literis cõmitti debere videãtur. Vale.

F. Fregoſio. Gregorius S.

NIhil erat quod magis optarem, quàm vt aliquando ad Lerinam proficiſcerer, et ſi iuſtis alijs grauibusq; de cauſis, ea tamen potiſſimum vt quotidie certos de te nũcios;

cios, interdum etiam literas tuas accipere poſſem. Vix enim dici poteſt quàm moleſte feram, quod iam pluribus mēſibus elapſis, cum à me nec literam quidem videris, ego quoque viciſſim à te nihil literarum acceperim. Quod ab vtroque noſtrum eo conſilio factū eſſe certo ſcio, quod ſuperuacuum putaremus in eo negocio tempus abſumere, quod euentu exitu〈q;〉 fruſtraretur. Perſuaſum enim mihi eſt, olim complures à te datas ad me non perueniſſe, quod quidē iniquitate tēporum accidiſſe nemo eſt qui mirari debeat. Cæterū rumor ipſe ad nos attulit te propediem Maſſiliam eſſe venturum, quod cum exploratius cognouero, nihil erit quod me poſſit prohibere, quin ad te confeſtim aduolem. Et ſi coniectura aſſequor, inter maxima & difficillima negocia aduētum meū, ſi non moleſtiæ, tamen impedimento tibi fore, amor tamen modum temperationemq; non nouit. Hunc vero opportune accidit vt quidam ex noſtris iſtuc proficiſcatur, & is quidem non de facie tātum tibi cognitus, ſed a quo cuiuſq; gentilibus teipſum familiamq; tuam non obſeruari modo, ſed penè dixerim coli, iandudum tibi eſt perſpectiſſimū, is ad nos certiora omnia de te referet. Omnino mihi ſupra quā dici poteſt gratum erit, quod tamen commodo tuo fiat, ſi me feceris certiorē, vbi, & ad quā diē te videre poſſim. Ego tantiſper Lerinæ ero, donec abs te literæ nobis redditæ fuerint. Vale.

F. Fregoſius. Gregorio S.

SCripſiſſem equidem ad te iampridem hiſtoriam itineris mei poſteaquam à te diſceſſi, ſi quid iocūdi tibi eius narratio

ratio afferre potuiſſet, ſed cum eo te animo erga me affectũ exiſtimem, ut quæ mihi permoleſta ceciderint, ea tibi quoque non iocunda duceres, malui eius itineris ſucceſſus alienis rumoribus quàm meis literis ad te deferri, præſertim cum ex ea moleſtia quam fama fortaſſe conceperas, nihil noſtræ litteræ detrahere poſſent. Quapropter & in huncuſq; diem nihil ad te literarum dedi, & modo cum has dem, nihil de rebus ſuperioribus loquar. De futuris autem unum habeo dicere, me nondum coniectura aſſequi potuiſſe, non ſolum quemnam finem hoc tedioſiſſimum bellũ ſit habiturũ, ſed nec quem ego potiſſimum deſiderare debeam. Cum ex utriuscunq; victoria multum mali patriæ meæ, quæ mihi ut noſti, quanuis extorri cariſſima eſt, imminere putem, mihi autem ipſi nihil boni. Sed cum ego his moleſtiſſimis curis angar, hoc tamen te ſcire volo, quencunq; exitum nõ ſolum meis, verum etiam uniuerſis rebus fortuna ſtatuerit, me fortiter ac placate laturum. Interim una tantum me ſpe conſolari, ea ſcilicet quæ modo nutantia ac pendentia cernimus aliquo breui caſura, ubi propter defeſſas hominum vires aliquandiu iacere neceſſe ſit. Sed de hoc viderint hi qui aliena ſemper fortuna reguntur, ego vero non dubito inter ipſa media bella pacem mihi breui pariturum. Cogor tamen hic apud Thaurinos, quo poſteaquam Regem allocutus ſum me recepi, tantiſper immorari, donec veriſimilem ſaltem aliquam excuſationem nactus fuero, per quam mihi liceat ab huiuſmodi caſtrenſi tumultu quamlongiſſime abeſſe, nec omnino me ſpes deſerit fore ut quod hiemis ſupereſt

apud

apud vos, idest Nicea tranſigam, vnde ego te conuenire facillime potero. Quicquid vero ipſe de me ſtatuam, ſi certos nuncios offendero faciam te certiorem. Cætera corã. Vale ac me vt facis dilige, vtriſq; iſtis qui apud te ſunt omni laude dignis, meis verbis ſalutem dicito, ita tamen vt Ioanni Baptiſtæ quamplurimã ſalutis impertias. Iterum vale.

Benedictus Theocrenus. Gregorio S.

SI Thulem non Lerinam incoleres, citius ad nos Gregori perferrentur litteræ tuæ, nam quas ad III. Nonas Nouembris iſtinc dederas, idibus demum februarijs accepimus. Quod quidem effecit, vt æquius te prope corã audire viſi fuerimus obiecta noſtra, quæ ſolo tarditatis argumento innitebãtur, acutiſſime purgantem, quanquam quid ego tuam in amolienda ingrãtitudinis ſuſpicione ſolertiam commemorem, quam vt abſolutiſſime præ te feras, non eſt ea tamen meo iuditio inter ſummas epiſtolæ tuæ laudes cenſenda, vbi virtutes aliæ longe antecellunt. Efferunt enim ſe imprimis atq; oſtentant in verbis delectus eximius, incredibilis cãdor, admiranda vis & efficacia, in ſententijs, ſuum atq; adeo conſentaneum pondus, iucunda varietas, decetiſſimus lepor, vtrobiq; perſpicuitas, quãtum vix hodie præſtari poſſe credideram. Quid ſingula perſequor? omnia illic apta, diſtincta, & vim plane afferentia: non enim ſolum vniuerſa mihi tela confutans eripuiſti, quibus rurſus peti poſſes, ſed quæ in te vano impetu emiſeram, ſic retorques

ques vt vulnus faciant lętaliſſimum, quod mox tamen adhibito in tempore medicamento curabile ipſe reddis. Didicimus itaq; hoc periculo, Gregori, quàm non tutum ſit tali viro negocium exhibere, & in forum eum adducere, qui non alibi ſit exercitatior. Neque vero id ego ſolus intellexi, qui libertatem meam tam infeliciter tentaueram, ſed & principes mei cumprimum Epiſtolam tuam legiſſent, grauiter teſtati ſunt, nihil ſe id genus a iunioribus ſcriptum adhuc ſcire, quod videatur aut elegantius aut pugnacius. Quorum ego tanti facere ſoleo iudicium, vt alterum non requiſierim. Quicquid enim vndiq; ab literatis viris ad nos ſcribitur ad eos ſtatim afferimus, & tanquam optimis iudicibus legendum tradimus, vel ipſi recitamus, ij quantopere iam te ament atq; admirentur, paucis dici non poteſt. Quod tibi mehercle tam iocundum eſſe debet, quam tu es illis admirabilis, quando hic eſt ſtudiorum fructus præclariſſimus tantorum virorum gratiam, doctrinę opinione colligere, taceo reliquos ciues noſtros, qui vel teſtimonio meo vel tuarum literarum elegantia ita de te vniuerſi ſentiũt, vt doctorum omnium ſine controuerſia ordinem te ducere exiſtiment, principemq; Corteſium in ore habeant, quotiẽcunq; de hominibus eruditiſſimis infertur mentio. Quamobrem nemo fiat ex his, qui non omnino à muſis ſunt alieni, qui non exemplum Epiſtolæ tuæ à nobis impenſiſſime flagitauerit, vt non ſufficiant ei transſcribendæ amanuenſes mei. Esq; tu tam hic notior quàm in vrbe Mutina, cui natales tuos acceptos ferimus. Sed hæc parcius; ne ſi temeritatem te in-

te increpando incurrimus, videamur tam obliquâ ſatiſfactione velle peccatum redimere. Vale.

Benedictus Theocrenus. Gregorio S.

SVbiratus tibi aliquandiu fui, quod eum te erga nos quem oportebat non præbuiſſes, illo præſertim tempore, quod ut amicorum fidem maximè poſtulabat, ita quo quiſque in alterum animo eſſet, planiſſime oſtẽdebat. Nam totô quadriduo quod Genuæ in illis ruinis captiuus fui, nũquam me niſi accerſitus adiuuiſti, & cũ ſemel prece noſtra motus aliquid opis mihi ferre conatus eſſes, idq́; non ſucceſſiſſet, cauſam meam, cum omnia me extrema circunſtarent, omnino deſeruiſti: ſatisfactum abs te amicitiæ uno periculo ratus. Quod quidem nobis perincommode cecidit, fuit enim mihi ſuſcipienda Turnenſis profectio, in qua parum abfuit, quin ter cæſus fuerim ab Germanis militibus, τὰ λύτρα, *neque loco, neque tempore opportuna minaciſſime depoſcentibus, qui ægrè principis Sforciæ, cui me Ghillinus diligentiſſimè commendauerat, tum authoritate, tum precibus adducti ſunt, ut poſt enſes iugulo meo centies* μονονοῦ*χι impreſſos incolumem me inter principis comites Turnum peruenire ſinerent. Vbi ſalus mea ab infandiſſimis prædonibus centum nummis aureis expreſſa eſt. Hinc mille difficultates in nos exortæ, nam è Togata ad Federicum penetrandi, quod in primis optabam, omnis mihi in preſentia erepta eſt facultas, cum victori omnia ſuſpecta eſſent, &, ut ſemel uniuerſa complectar, fuit mihi per innumerabilia pro-*

pemodum pericula, & noua ſubinde naufragia quinq; ipſos menſes in Italia immorandum, quaquam crebris & literis & nuncijs, vt ad ſe quamprimum irem, Federicus agebat. Ad quem dum bruma iam inſequente propero, antea quidem non licuerat, in hoſtium manus incidi, illud ſalutem attulit, quod non ſum agnitus. Quod ſi patrocinium noſtrum ſemel ſuſceptum fortiter proſecutus eſſes, minore omnino precio iam tum inde Genuæ ab Germanis dimiſſus nauigio in prouinciam ad Graſſenſem tuto delatus eſſem. Non enim deerant, vt tibi coram tum diximus, qui me eouſq; optima ſe fide vecturos pollicerētur. Illic enim apud virum noſtri amantiſſimum tantiſper fuiſſemus, dum aliquid certi a Federico afferretur. Multa præterea incommoda & quaſdam etiam grauiores impenſas effugiſſemus, ſi qua potuit recenti malo medicina adhibita fuiſſet. Quæ cum mecum omnia ipſe animo voluerem, non poteram non videri mihi iniuſte à te deſtitutus, aut potius frigide adiutus: quo argumento, te nobis in amore nunquam reſpondiſſe colligebam. Id vero quàm mihi cauſa tua, non ſolũ mea moleſtum accideret, tute cogita. Sæpe fui tecum hoc nomine expoſtulaturus ſed veritus ſum ſemper ne quid acerbius, dum perturbationi indulgeo, excideret, quod in me poſtea tanquam ex ἀντικατηγορίας retorqueri poſſet. Ita omne eiuſmodi vel officium vel ſtudium in id tempus differendum duxi, quo Federicum coram alloqui liceret, vtpote quem non auditorem modo feci arbitrum & diſceptatorem huius controuerſiæ inter nos ab initio vſque decreuiſſem nuncu-

pare

pare & habere. Verum ille cumprimum querelas de te noſtras audijt, perſonam mihi viſus eſt patroni quàm iudicis malle, ea eſt erga te hominis pietas. Itaq; paucis tam plene tamq; accurate abſentem purgauit vt dubitare cœperim, an exacte ſatis omnia accuſando te expediſſem, ſed mox intellexi, quod extra culpam videreris patrono magis quàm ipſi cauſæ tribuendum. Quamobrem ſi ſapies, nonnihil tua intereſſe putabis aliquid ſuper ijs ad nos reſcribere, quæ de induſtria aliquanto grauiora propoſuimus vt dignam iſta eloquentia defenſionem eliceremus. Ego quidem in te aman do propterea nihil immutatus ſum; ſatis nanque putaui in tali officij tui offenſione non tacere. Vale.

Stephano Saulio. Gregorius S.

E*Go vero, mi Sauli, & prudentiam tuam ſummopere admiratus ſum, & amorem erga me recognoui, non enim potuit ſapientius ex dignitate mea conſuli, quam à te fuerit conſultum. Nec tamen id credas velim me aliquando eius fuiſſe opinionis, vt quippiam aliunde aſſequi cuperem quàm vnde impetrandum eſſet. Qua de re, tibi fidem facient literę quas propediē ad Longolium ſum daturus: curabo enim vt prius ad te non obſignatæ deferantur. Nunc vero anguſtijs temporis interclusus, & ad te omnino paucas, & ad ipſum, nec vnam quidem literam ſcribere potui. Quod vero ad numerum noſtrarum epiſtolarum attinet, et ſi non mediocriter doleo ſi aliquando ex ipſis aliqua deperit, non tamen inter nos eo pacto rationes ſubducendas eſſe*

opinor, ut in nexuo obſtringi neceſſe ſit eum qui aliquid debuerit. Quin etiam interdum uereri cogor, ne te hac frequentia literarum, præſertim leuibus de rebus, tedio aliquo afficiam; nec tamen ſinit amor in te meus, ut aliquem omittam quem ſciam Genuam profecturum cui ad te literas non dē. Mirifice uero accidit, ut tu nuper in epiſtola tua uerba hæc aſcripſeris. Jacturam ſilentij ſarciamus; qua in re me tibi mirificum comitem polliceor. Verum de his hactenus. Habebis in hoc faſciculo literas ad Iſidorum monachum, eas tibi ſummopere commendo. Et ſi ab ipſo acceperis græcos Ariſtotelis libros de Naturali auſcultatione, gratiſſimum mihi feceris, ſi curaueris genuam aliqua ratione perferendos unde ad nos facillime tranſmitti poterunt. Præterea ſi indicem indicaturamq; græcorum librorum qui hactenus Venetijs impreſſi ſunt, tā in philoſophia quā in ſacris et politioribus literis; tu qui prope es in cōſpectu eius urbis habere poſſes, maximo me leuabis deſyderio, ſi epiſtolæ illi quam primum ad nos ſcripturus es annectere non grauaberis, quod tamen commodo tuo fieri uolo. Vale.

Stephano Saulio, Gregorius S.

M*Iraberis utiq; mi Sauli, cum has Genuæ datas cognoueris, quippe qui ante intelliges me huc appulisse, quàm ſuſpicari potueris ex prouincia diſceſſiſſe. Ita nempe repentina nauigatio mea fuit, ut ferè eodem die aut certe altero quā id decreueram, ex Lerina ſoluerim. Cauſa profectionis noſtræ fuit parum proſpera ualetudo, qua nu-*

per

per grauiter laborare cœpi diſtillationis aſſiduæ à capite in pectus acerbiſſima moleſtia; quæ infirmitas non procul abeſſe putatur a vitæ periculo, præſertim cũ accedit ſtudiorum labor, & vocis pene aſſidua contentio. Hic mihi præſto fuerunt humaniſſimi fratres tui, ſed quid fratres tuos dicam? vniuerſa prope Sauliorum gens, me, perinde quaſi te ipſum excepit, omnibusq; officijs declararunt quam putarent gratum tibi fore talem ipſorum erga me animum. Quo nomine & ſi illis tantum debeo, quantum vix animo capere poſſum, id totum tamen tibi acceptum refero, in cuius gratiam hæc omnia fieri certiſſime ſcio. Mirum eſt, quum me cœlum hoc & aeris clementia non delectarint modo, ſed propemodum illico reſtituerint valetudini, vt iam decreuerim menſes aliquot Genuæ immorari, vel certe vſq; ad ordinis noſtri comitia, quæ ineunte æſtate haberi conſueuerunt. Veruntamen cum multa hic ſint, quæ me voluptate afficere poſſint, lõge tamẽ magis oblectarer, ſi conſuetudine tua frui liceret, qua, quoniam honeſtiſſimis de cauſis neceſſe eſt carere, & crebrius literis nos inuiſemus, nec enim vt opinor vlla deinceps erit ſuſpicio quin fideliſſime reddantur. Scripſi ad te ſuperioribus diebus, magnopere me deſiderare indicem omnium librorum græcorum qui adhuc formis excuſi eſſent, hunc ipſum ſi opera tua aſſecutus fuero, maxime me deſyderio liberaueris. Nec id ſane difficile futurum opinor, illum enim ſpe mediocris lucri, cum libenter tum etiam diligentiſſime conficerent, ipſimet excuſores. Vale.

Stephano

Stephano Saulio. Gregorius S.

ACcepi a Longolio noſtro epiſtolam, in qua ſi eloquentiam, ſi amorem, ſi beneuolentiam ſpectes, nihil omnino eſt quod addi poſſe videatur. Veruntamen, quod inter nos dicere liceat, non nihil prudentiæ in ea coactus ſum deſyderare. Mirum in modum enim laborat vt ſe mihi purget, quod id negocium non confecerit, de quo conficiendo, nunquam a me, nec vnum quidem verbum acceperat. Quare, & ſi iandiu eſt quod illę ipſæ literæ mihi redditæ fuerunt, putidumq; mihi penè videbatur nunc demum reſcribere, tamen quod ſuſpicari mihi viſus eſt, animum meũ aliquantiſper in honeſtate peccare, nolui prætermittere, quin & ſi ſero, aliquãdo tamen huic vulneri non mederer, nec omnino mihi committendum fuit, vt in noſtri inſtituti homine eiuſmodi macula reſideret. Quod ne antehac facere, aduerſa valetudine & tedio quodã, non literarum modo, ſed penè dixerim viuendi, impeditus fui: verebar enim ne moleſtiſſimo hoc morbo, omnia non ſtudia tantum ſed officia etiam noſtra impedirentur. Epiſtola quam ad ipſum dedi, in literarum fratris tui faſciculum eſt coniecta; quam cum legeris, magnopere rogo vt quo magis libuerit ſigno obſignatam, reddere ne graueris. Cæterum ſiue Genuenſis cœli clementia, ſiue medicorum cura ſolerti, ſiue quod caput eſt, Dei tantum optimi benignitate, ſcito me priſtinæ valetudini reſtitutum, Vt ne veſtigium quidem ſuperſit laborioſæ illius ægritudinis. Acceſſit fratrum tuorum

non

non humanitas modo ſed incredibilis amor & pietas (vt ita dicam) erga me. Quibus ſecundum deum recuperatam valetudinem me ſemper acceptam relaturum, profiteor & præmeſero. Verum quoniam in literis tuis quas poſtremas accepi, datas V. Calen. Octobris, aſcriptum erat, multa tibi in mentem venire, quare haſce ſtudiorum meorum rationes minus probares, omnino gratum mihi erit, ſi de ea re aliquid ad me ſcripſeris. Si enim modum te non probare dixiſſes, intellexiſſem vtiq; moderatam rationẽ ſtudiorum à me requiri. Sed quoniam haſce rationes improbas, nec adduci poſſum vt credam, te omnino a ſtudijs me abſterrere velle, video aliquid, quod, cum à te quid ſuſpiceris intellexero, confeſtim ſcribam. Illud enim tibi perſuadeas velim, nihil apud me antiquius eſſe quàm conſilium adhortationemq; tuam, quæ a ſumma cum prudentia tum etiam beneuolentia proficiſci intelligo. Vale.

Stephano Saulio. Gregorius S.

CVm aliquando Mutina Januam profecturus eſſem, à principe ordinis noſtri Patauium accerſitus, iccirco libentius & alacrius parui, quòd deſyderatiſſima tua conſuetudine (qua nihil mihi gratius aut vtilius accidere poteſt) propediem me fruiturum ſperabam. Veruntamen longe aliter ac deſyderaueram cecidit: duplici enim moleſtia ex aduentu meo in hanc vrbem affectus ſum, & quòd te abeſſe repperi, et quod de morte viri optimi fratris tui acerbiſſimum nuncium accepi. Quare, quod mihi facere non licuit,

cuit, vt te præſentem alloquerer & tanto vulneri fidiſſima ſaltem apponerem medicamēta, idipſum per literas tentare decreui. Magis ſane officij ratione habita, quàm quod aliqua ex parte neceſſariū arbitrarer. Tum quod te virum maxima prudentia & fortitudine, & qui alijs dare conſilium conſueueris, conſolari, ineptum planè eſſe videbam; tum etiam quod ex longinquitate temporis, coniecturam faciebam, diem ipſam acerbo illi vulneri cicatricem obduxiſſe. Accidit vero vt mihi literas quas ad ſe poſtremo de eadem re dediſti, vir doctiſſimus & tui amantiſſimus Christophorus Longolius oſtenderet, quibus intellexi non omnino ingratum tibi futurum, ſi nunc demum etiam de eodem negocio aliquid ad te ſcriberetur. Ego quidem Stephane, ſi me grauiſſime commotum pro tanti viri obitu negauero, tum demum te quoq; commoueri non debuiſſe contendam. Quod certe ſcio me nequaquam illis perſuaſurum eſſe, qui quantopere illi deberem, & quam ſancte illius colerem amicitiam, iandiu perſpectum habebant: vix enim fraterno amori mihi videbar in eo amando concedere. Verum cum eius caſtiſſimos mores, & ſanctiſſime ad id ætatis actam vitam conſidero, quantaq; pietate Chriſtianam religionem coluerit, vt ſemper fragilia hæc & ex fortunæ nutu pendentia, præ cœleſtibus illis bonis duxerit poſthabenda, ſi vera ſunt (vt ſunt profecto) quæ de animorum immortalitate & ſempiterna gloria eorum, qui ex Chriſtiana religione vixerunt, a vera nobis philoſophia ſunt tradita, mihi quidem non modo veriſimile ſit: ſed, vt ita dicam,

certiſſimum,

certiſſimum, fratrẽ tuum diuina illa frui beatitudine, qua perfectiorem aut diuturniorem nec cogitari quidem à nobis poſſe nemo eſt qui ambigat. Eoq; magis illi gratulari debemus, quod non immatura morte, vt vulgo perſuaſum eſſe video, abreptus eſt: ſed in ea potiſſimum ætate mortem hanc noſtram cum cæleſti illa vita commutauit; in qua omnibus idipſum aſſequi, pars maxima beatitudinis exiſtimari poſſe videatur. Ut enim omittam incommoda illa quæ ſecum affert ætas iam ingraueſcens, vt vitæ huius & frequentiſſimas & maximas calamitates. Nonne illud certiſſimum eſt, diuinum animum noſtrum a Deo Opt. Max. ſyncerum, & ab omni labe immunem productum; teterrimarum ſordium & terreſtris corporeæq; huius concretionis magis magisq; in dies contagione inquinari? Quare eſt quòd fratri tuo vehementer gratuler, & pro relicta hac laborum dolorumq; regione, & pro adepta illa cæleſti & veris gaudijs refertiſſima patria. Eſt etiam quod tibi, ſi ea animi firmitate qua mihi perſuaſum eſt, & quæ reliquis vitæ tuæ actis eſt conſentanea, poſtremo qua certo debes, fortunæ hunc acerbiſſimum ictum toleraueris. Illud magis in animis cogitationibuſque noſtris inſidere debet, nos propediem eos qui bene beatæq;, & velut quotidie morituri, vixerunt, ſi idem conabimur; aſſecuturos eſſe. Quod certe faciemus, ſi verę philoſophiæ noctes dieſq; intentam operam dederimus, quam nõ aliam profecto eſſe quàm mortis aſſiduam cogitationem, ſatis vt opinor mihi tibiq; eſt perſuaſum. Vale.

Stephanus Saulius. Gregorio S.

Hodie, ideſt ad XV. Calen. Aprilis, accepi epiſtolam tuam, quam tu V. Non. Martij Florentiæ dederas. Cum qua & exemplum eius decreti mihi redditum eſt; de quo tibi proficiſcenti mandaueram, & polliceris te ſummo ſtudio, labore, ac diligentia curaturum omnia, quæ ad illam cauſam pertinere intelliges. Quid eſt mi Gregorij quod aut te horter ad ea quæ ſponte tua facis, aut gratias agam, quod amicitia noſtra, quæ ad ſummam beneuolentiam iampridem peruenit, non expectatur. Tantum velim Deus Opt. Max. det nobis facultatem, vt vnà aliquando in ocio viuamus ac amore noſtro perfruamur. Quādo autem, quod te ſcire velle oſtendis, & vbi id futurum ſit, non facile eſt iudicare. Ea enim nunc nobis moliēda atq; tractanda ſunt, quorum exitus conjectura minime prouideri poteſt; interim tuas literas ſemper maxime expectabimus, quibus vllas caue putes me gratiores legere. Vale.

Seuerus Monachus Ciſtercien. Gregorio Corteſio Monacho Caſinati. S. P. D.

Cum mihi pergrata, perq; iucunda ſemper extitit recordatio conſuetudinis, quæ mihi tecum iam inde ab adoleſcentia interceſſit, tum etiam nuper ſumma cum voluptate renouauit Beſſarion, tui ordinis Monachus, quem cumprimum apud Belgas vidi, diligenter percunctatus ſum vbi nam gentium eſſes, quid ve rerum gereres. Is mihi

mihi de te bona omnia narrauit, & ſingularē eruditionem cæteraſq; uirtutes tuas prædicauit, quò nihil gratius inter tot calamitates & ærumnas meas audire potui. Nec mihi omnino perditus uideor, cum intelligam te apud omnes gratia atq; auctoritate florentem, mei quoque memoriam retinere. Id quod ex literis tuis de me honorifice ſcriptis animaduerti. Eidem Beſſarioni qui mihi vir modeſtiſſimus viſus eſt, omne meum ſtudium atq; operam pollicitus ſum in tuenda veſtri ordinis dignitate. Eum exiſtimo id omne cuius gratia ad Cæſarem miſſus fuerat, ſumma fide ac diligentia tranſegiſſe. Attamen, ſi quid in ea cauſa reliquum eſt aut ſi quid deintegro emerſerit, in quo apud Ceſarem aut tibi aut ordini tuo alicui vſui eſſe poſſim, id me omni ſtudio curaturum polliceor, atque adeo, præmeſero: ſunt mihi nunc præ manibus emendationes in M. Tulij Ciceronis orationes, quas ſi mihi diutius ab Italia abeſſe contigerit ad te mittere decreui, vt a Calchographis in officina Aldi gratia & fauore tuo excudantur. Eas cum tibi tum cæteris bonarum artium ſtudioſis, neq; inutilis, neq; iniucundas fore confido. Nec me, vt arbitror, poſt Bucinenſem & Naugerum, in illud opus incubuiſſe penitebit. Vale.

Seuero monacho. Gregorius S.

DEdiſſem omnino antea ad te literas, ſi mihi exploratum fuiſſet diutius te apud Cæſarem commoraturū. Caue enim putes quippiam gratius aut iucundius mihi eo officio potuiſſe accidere, niſi forte vt te uiderem & alloque-

S 2 rer,

rer, contigiſſet. Neſcio enim quo meo malo fato acciderit, quod ex quo religionem iſtam quam tu profiteris & ego profeſſus ſum, cum te ſemper, ut ita dicam, veſtigijs fuerim inſectatus, nunquam tamen aſſequi potuerim. Nec adeo antea multis diebus, ut te potiſſimum conſiliario & μυσταγωγῷ tantum opus aggrederer. Et quidem quantum me moria repetere poſſum, nemo te mihi eſt amicus antiquior, nemo magis coniunctus, nemo cui æque omnes ſtudiorum meorum qualeſcunq; fructus acceptos referre debeam. Non enim memoria nobis excidit, nec excidet profecto aliquando, cum tu iam tum princeps ordinis tui, atq; adeo maxima dignitate præditus, me adoleſcentulum & adhuc in literis balbutientem, tantum aberat ut ſperneres, ut ultro etiam facilitate comitateq; tua ad continuum contubernium ſemper prouocaris. Cum noctes dieſq; me quietem ſtudiorum tuorum interpellantem, non modo non repellebas, ſed ne vultu quidē ſubtriſtiore moleſte id ferre unquam mihi viſus fueris. Reſonant adhuc in auribus meis ſanctiſſimæ illæ adhortationes & grauiſſima præcepta, quibus me aſſidue & ad bonarum literarum ſtudia & ad Chriſtianam pietatem hortabare. Cum ea ordinis grauitate qua tūc eras, etiam circa incunabula mea cum latinarum tum græcarum literarum, mecum, ut ita dicam, repueraſcere non grauareris, ut ad ea ad quæ verbis me hortabare, te ipſum ducem, & præuium nobis exhiberes. Quare nihil mihi gratius facere potuit Beſſarion noſter, quàm ut & tibi literas ad ſe meas oſtenderet, & viciſſim impetrata abs te ad

me

me epiſtola, conſuetudinis noſtræ recordationẽ renouaret. Quod vero & de eruditione & gratia, vt ais, noſtra apud omnes tantopere nobis gratularis, facis tu quidem humaniter & amice: neq; enim mirum eſt illa omnia, ſi ita eſſent maximæ ſibi iucunditati futura fuiſſe, & quod eruditionem tibi potiſſimum acceptam relaturus fuerim, & ſi quid fauore aut gratia, poſſem id totum me tibi poſſe profiterer: veruntamen alterum, in quo me fateor non mediocrem curam adhibuiſſe, vt ſcilicet non eſſem omnino ineruditiſſimus, ita mediocriter conſequutus ſum, vt magis ob curam diligentiamq; in ea re quàm ob fructum ipſum laborum mihi gratulari debeas. Alterum vero ita mediocre eſt, vt longo tamen interuallo ſuperet in ea re deſiderium meum. Et ſi enim non minimam laudis partem eſſe, maioribus viſum eſt principibus viris placuiſſe, in eoq; complures fructum ſtudiorum ſuorum collocarunt, fateor tamen non accerſitam, ſed vltro exhibitam principum virorum nobis amicitiam proueniſſe. Ex literis præterea Beſſarionis intellexi ipſum opera, conſilio, autoritate, gratia tua ſic vſum fuiſſe, vt quod ea ex ſententia confecerit, quorũ gratia a nobis ad Cæſarem miſſus fuerat, tibi præcipue ingentes gratias agat, quas & ego, nõ meo tantum, ſed vniuerſi ordinis noſtri nomine immortales ago, egregie relaturus, cũ tibi animos noſtros libuerit experiri. Sic enim tibi perſuadeas volo, nos omnes quoad noſtrum fieri poterit præclare tibi & voluntate & actionibus eſſe reſponſuros. Cæterum non mediocre in nobis deſiderium excitaſti emendationum

tuarum

tuarum in M. Tullij orationes legendi. Quod opus, coniectura ex cæteris operibus tuis facta, conijcio eſſe abſolutiſſimum: vt non modo te nunquam pœnitere poſſit in eo opere poſt eos quos nominas elaboraſſe, ſed magis futurum opiner, vt eos vehementer pœniteat quod te in eo labore prę ceſſerint. Quorum quidem Naugerum plurimum etiam eo nomine tibi debiturum polliceor, idq; pra ſe laturum. Sunt enim nobis perſpectiſſimi viri illius & integerrimi mores, & cãdor ſupra quàm dici poteſt ingenuus: eſt enim nobis in primis & amicitia & familiaritate coniunctus. Quare ſi te diutius apud Belgas immorari cõtigerit, ipſius potiſſimum opera vtemini in excudendis his quę nobis à te fuerint tranſmiſſa. Id autem te latere nolo paucis antea menſibus, Aldum ipſum immatura, & ſibi & rei literariæ morte, ereptum, triſtiſſimum nobis ſui deſiderium reliquiſſe. Vale.

Abbati cuidam. Gregorius S.

Q*Vod tibi ſummopere cordi eſſe intellexi, dedi operam vt in nouo ædificio, omnia ex ſententia tua conſtituerentur. Primumq; cœnationem illam quidem amplam & luminoſam, (erat enim longa cubitis ſexaginta, altitudo latitudini propemodum æqualis triginta cubitorum, eo artificio teſtudinata quod antiquis incognitum architecti nunc Lunulas vocant, feneſtræ quaternæ trinũ ſenumq; cubitorum) Tamen quia tibi placere audieram, in alteram ædificij partem, membrum illud promoui, vbi hinc orien-*

tem

tem hibernum ſolem, inde vero æſtiuum habeat occiden-
tem. Omnino commodior erit ad ipſam acceſſus ἐκ τοῦ κοιμη-
τηρίου haud paulo quàm prius fuerat, feneſtras paululum re
ſtrictiores humilioreſq; quam antea fieri iuſſi, in parua
enim longitudine ſexdecim cubitos ipſarum apertiones oc-
cupaſſent, quod cum deforme, tum etiam vehementer in-
commodum futurum eſſe videbatur. Ante ipſam cœnatio
nem, atrium eſt quadratum, cubitorum triginta, æquum
uidelicet cœnationis latitudini, in cuius meditullio marmo
reus fons eſt cui ſubeſt concha permagna, Lunenſis marmo
ris, duodecim palmis a labio ad labium expanſa. Superius
vas ſphæricum ex Ophite, in quod per tubulos ſubuecta
aqua, octo demum ſiphunculis effunditur, ſic fuſis ex auri
calcho ut dracones videantur, in ſublime aquam eiaculan
tes. In ſublimiori ſphære parte parua baſis eſt, et in ea Mo
ſes virga percutiens ſilicem. In ipſius conchæ fundo, delphi
nos, cetos & eius generis piſces complures eminenti ſculptu
ra fieri iuſſi, ut cum aqua repletum vas fuerit, nihil iucun
dius intueri tibi poſſe videaris. Ex atrio aditus eſt in peri-
ſtylium, ſeu mauis compluuiatum cauædium appellare, in
quo mira ſolicitudine artifices laborant, vellent enim
opus, ſanum rectumq; per comitiorum dies præſtare. Erat
porro inter me & Pannutium non mediocris diſceptatio,
quod ille non murulos inter columnas, ſed ſtamillos fieri
oportere diceret, & ſub unaquaq; columna ſtylobatã, pu-
tabat enim opus eo pacto longe delectabilius futurum. Mi-
hi ea potiſſimum ratione non probabatur, quòd ſcirem mu-

rulos:

*tulos adinuentos fuiſſe, ne ex ſtillicidijs defluens aqua,
porticus periſtylij aſpergine madefaceret, nunc ſi derelin-
quatur inter ſtamillos apertio, id incommodum nos vita-
turos non eſſe facile, omnes intelligere puto. Columnas præ
terea ſtriatas, cum adeo paruæ ſint, & præterea duplices
mihi fieri non placebat. Tu quid tibi videatur reſcribes.
Raphaelem pictorem ætate noſtra, vt noſti, veteribus
illis excellentiſſimis comparandum, conueniendum cura-
ui, vt cœnationis interiorem frontem pingeret, is ita reſpon
dit vt grauate admodum Romam ſe relicturum eſſe oſten
deret: nec ſi id faceret, maxima ſine mercede eſſe facturũ:
vt mihi videatur mille illi aureorum numum ludibrio fu
turũ eſſe. Quare alterum repperi, qui idẽ opus trecentis au
reis numis abſoluet, & ſi non Apelles, forte tamen Parrha
ſius futurus. Pauimenta inuicem prius confricatis lateri-
bus, ſic polita & coniuncta ſunt, vt cum nuſquam calcem
habeant, nihil tamen diuturnius vt opinor, excogitari poſ-
ſit: ſummæ præterea pulchritudinis quod operis reticulati
ſpeciem prę ſe ferrant. Baſes omnes & capitula dorico ope
re, nihil pene antiquitati ceſſura ſunt. In* κοιμητηρίῳ *nihil
ex priori modulo immutatum eſt, pręter ualuarum compag-
menta & epiſtolia, quæ omnino non apponentur, negant
enim id ex ſimplicitate ordinis noſtri eſſe. In bibliotheca
quo ad noſtrum fieri poterit elaborabimus, vt ea liberri-
mo cælo & plurimum luminis habeat, & ad ſaluberrimã
regionem proſpectus ſit, vti ne & libri facile tineas pro-
creent, & ſitu putreſcant cõpagines. Longa erit cubitis cen*

tum,

tum, lata autem triginta. triplici formis teſtudinata, quorum medius aliquantulum excelſior erit, ea proportione ad cęteros, quam habet in homine ad humeros caput. Columnis hinc inde nouem medius ipſe fornix ſuſtinebitur, vt ſcilicet intercolumniorum ſpacium ſit cubitorum decem. Epiſtylium ſuper capitula per totius bibliothecæ longitudinē pertinebit ſub baſibus ſtylobatæ erunt. ſic enim & ad ſpeciem decentius & cōmodius ad vſum futurum eſſe iudicatū eſt. Plutei interius exteriusq; libris farciri poterūt, a columnis ad parietis protenſi, vt tamen ambulationem duorum cubitorum derelinquant. Sub medio fornice, pauimentum expeditum relinquitur, ambulationis gratia. Tu operam dabis vt cathenulæ ex auricalcho fiant, non minus quatuor millibus. Ad pluteas præterea tabulas ex Laricis quamplurimas ſi coemeris, eas nos miſſo ad te nauigio aduerſo flumine ſubuehi curabimus. De Globis in quibus & terrarū orbis, & aſtrorum ſitus deſcribendus eſt, aliàs dabimus operam, vt quid nobis videatur intelligas. Vale.

Iacobo Ferro Philoſopho. Gregorius S.

NOndum ſatis cōſtitui moleſtius ne mihi acciderit quòd à nobis diſceſſeris, vt ſuaui illo tuo congreſſu mihi in poſterum frui non liceat, an iucundius, quod tua hinc profectio honoris dignitatisq; tantum tibi attulit incrementum, vt & amicis vtilitati & patriæ tuæ ſempiterno ornamento ſis futurus. Damnum certe quod ex abſentia tua maximum facturi ſumus, mirifica hæc voluptatis acceſſio com-

penſabit. Caue enim putes mihi aliud gratius aut iucundius nunciari potuiſſe, quàm quod vnus electus es, qui regis omnium maximi atq; potentiſſimi ſalutis curam habeas, in qua potiſſimum conſeruanda maximæ pulcherrimæq; orbis partis ſalutem contineri neminem eſſe puto, qui audeat denegare. Quare fieri nequit vt tibi non ſummopere grațuler, quod ab hoc potiſſimum electus es, cui ob incredibilem ſapiētiam nihil probari poteſt, quod non idem ſit in ſuo genere omnium probatiſſimum. Quod & ſi meam de te expectationem non ſuperat, cuius virtuti hæc omnia aut certe longe maiora ornamenta iampridem deberi intelligo, gaudeo tamen mirum in modū, cum & præclarorum virorū rationem haberi, & hac honeſtiſſimi laboris compenſatione plurimos, vt eandem virtutis uiam ingredi velint, exemplo tuo excitandos eſſe non ambigam. Enimuero ne omnino abſens tibi gratuler, mirifice accidit, vt ob quædam negocia & animum noſtrum diſtrahentia, & quæ dignitatem ordinis noſtri concernunt, mitterem ad te Ioannem Baptiſtam familiæ noſtræ monachum, quocum tanta mihi coniunctio eſt, vt per illum me tecum collocuturum mihi eſſe videar. Et quoniam ex Platonis ſententia amicis perinde atq; nobis ipſis nos natos eſſe iampridem tibi ſcio eſſe perſuaſum, reliquum eſt, vt id tibi perſuadeas eiuſmodi benefaciendi facultatem, à Deo Opt. Max. illis potiſſimum concedi ſolere, qui quadam animi celſitudine præditi, ita demum ea ſe recte frui opinentur, ſi quamplurimis benefecerint. Qua in re ſupremam illam diuinitatis bonitatem potiſſimum

tiſſimum imitantur, cuius ea propria vis atq; natura eſt, vt per omnia benefaciendo pertineat. Quare etſi in cœnobij noſtri negocijs penè ſuperuacuam eſſe opinor, acceſſionem commendationis noſtræ, quod te omni officio ſponte tua expectationem noſtram etiam ſuperaturum non dubitem, fecerunt tamen & negocij magnitudo & incredibilis meus amor in eum, qui ad te venit, vt illa ipſa tibi commendare non verear. Vehementiſſime igitur abs te peto vt opera, conſilio, autoritate, gratia tua ſic Joannem Baptiſtam adiunes, vt non tibi tantum: ſed nobis etiam acceſſionem hanc dignitatis, quæ tibi contigit, factam eſſe intelligamus. Mihi certe perſuadeo me tibi breui per literas gratias relaturũ, quod omnia quorum gratia iſtuc profectus eſt ex animi noſtri ſententia confecerit. Vale.

Gulielmo Langiæo Regis Franciæ à ſecretis. Gregorius S.

C*Vm iam reuerſionem tuam ex Africa expectaremus, teq; de rebus illis & eloquenter & copioſe narrãtem ſperarem nos propediem audituros eſſe, repẽte nobis renunciatum eſt, te adhuc Ticini apud regem commorari: Id vero, etſi etiam quod ad cætera attinet, honeſtis grauibusq; de cauſis accidiſſe non dubito, ea tamen potiſſimum ratione ſupra quam dici poteſt, nobis iucundum extitit, quod cum nunc demum ſtatuerim certum hominem ad regem mittere pro liberalibus ſtudijs in hoc cœnobio conſtituendis, video te non modo mirificum adiutorem, ſed vt græcorum*

prouerbium eſt πρώραν καὶ πρύμναν nobis in hoc negocio diuinitus præſtitum eſſe. Non enim memoria exciderunt amiciſſimæ illæ pollicitationes, quas te cumulatiſſimis officijs pręclare ſuperaturũ eſſe non dubito. Perſuadere hoc nempe mihi humaniſſimi illi mores tui, & cum incredibili eruditione coniunctus amor amplificandi honeſtiſſima ſtudia. Qua in re, & ſi fieri poteſt vt quamplurimas opportunitates tibi ſe in poſterum offerant, tantum tamen & huic inſulæ & inceptis ac deſyderio noſtro a me tribuitur, vt nullam putem accidere poſſe, quæ longo interuallo huic, quæ propemodum in manibus eſt, comparari poſſit: iuſſus eſt igitur is qui pro hac re conſtituẽda iſtuc proficiſcitur, te primum adire, te duce, te conſiliario, te patrono, ſic vti, vt in omnibus ſententiam voluntatemq; tuam ſequatur. Et ſi enim locupletiſſimis teſtimonijs iampridem nobis perſpectum eſt, quantum ob virtutes tuas apud regem gratia & autoritate valeas, honeſtas tamen huius negocij, quod vt mihi perſuaſum eſt, maximo ornamento vniuerſæ Galliæ in poſterum eſt futurum, facit vt omnia tibi & faciliora & procliuiora futura non dubitem. Ita enim omnes de maximo hoc ſapientiſſimoq; rege prædicant, vt ad cæteras animi præclaras dotes hanc præcipuam dicant accedere, vt nihil æque deſyderet, quàm vt bonarum literarum ſtudia, quæ penè funditus euerſa iacent, eius potiſſimum fauore excitentur. Peto igitur abs te maximis præcibus, atq; adeo vehementer, vt magis ex animo petere non poſſim, vti totum iſtud negocium & ſuſcipias & conficias. Si enim regis beneficio mihi

mihi contigerit, vt in hac inſula quiete & tranquillitate animi frui poſſim, in id potiſſimum omnia ſtudia meaq; cogitata directurũ me eſſe tibi recipio, vt regis ipſius præclara admirãdaq; geſta, per nos ſempiternæ memoriæ cõmendentur. Nec velim vt arroganter tibi id nos recepiſſe exiſtimes, ſi enim incredibilis amor meus ad tam pręclaram, tamq; memorabilẽ materiam acceſſerit, iam præuideo animo in eo opere me & vires & facultatem meam longo interuallo ſuperaturum eſſe. Vale.

Dionyſio monacho. Gregorio S.

Contigit hoc anno vt dicit ille, quem nos græco vocabulo παρασκευὴν appellamus, & qui anniuerſario ritu Chriſti dei & regis noſtri obitus recordationem ſingulis annis renouare conſueuit, idem eſſet qui & cæleſtis nuncij ad Deiparam virginem miſſi, memoria celebratur. Maxima admirandaq; ſunt quæ in hoc ipſo die contigiſſe communi hominum opinione perſuaſum eſt, eo nempe, orbem conditum, creatum, eiectumq; Adam, Abel a fratre interfectum, Baptiſtam ab Herode ἀποκεφαλισθέντα primum his qui ob Veritatis teſtificationem deinceps periere, exemplum hac ipſa die præſtitiſſe, quę omnia & ſi magis peruulgata hominum opinione ad nos peruenerunt, quàm quod a maioribus noſtris ſcriptis memoriaue ſint commendata, multa tamen occurrunt quare facile cuiuis perſuaderi poſſit, vulgarẽ hanc famam non longe a veri ſimilitudine abeſſe: ſed quoniam alterius omnino locus eſt ab his quæ nunc ad te ſcribere de

creuimus,

creuimus, eius rei peruestigationem in magis opportunum, magisq; idoneum tempus reijciemus. Cum igitur hac ipſa die multum temporis in ſecreto abſumens diu cum animo meo verſaſſem inenarrabilē illam amoris vim, quæ Deum Opt. Max. non hominem fieri tantum ſed mori etiam, & eo præcipue mortis genere coegiſſet, quo nullum ea tempeſtate magis contumelioſum & infame putabatur, ſic eram affectus vt in meditatione mea nō ignis modo exardeſceret, ſed oculi etiam uim lachrymarum profunderēt. Cumq; diutius in ſuaui gratiſſimoq; hoc mærore verſatus fuiſſem, cōuerti deinceps animum ad virginem matrem illam, cuius innocentiſſimi mores, illibata integritas, humilitas excelſiſſima, ipſum Dei filium ad ſe traxerunt, ſtatimq; velut, ἐνθουσιασμοῦ *æstro percitus hoc carmen effudi, quo tantum abeſt vt admirandum illud diuinitatis domiciliū ſatis hoc hymno laudatum putem, vt omnino ab eius laude ceſſaturus fuerim, ni certo ſcirem admirandæ bonitati hoc etiam accedere, vt quæ a mortalibus dantur munera non propria celſitudine, ſed eorum qui illa offerunt modulo metiatur. Alioqui ſi nihil illi placiturum eſt, niſi quod eius magnitudine dignum eſſe videatur, poſſunt iam cæleſtes ſpiritus ab eius laude ceſſare, quos longe magis ei meritis concedere non dubito, quā nos ipſis hoc in genere concedamus. Vale.*

Suaue dicite virgines
Carmen, & vario caput
Flore cingite, totus hic
Tranſeat celebris dies
Et pia prece lætus.
Splendidum uiden' ut micat
Lumen

Lumen, aduenit aduenit
Virgo quæ peperit Deum,
Sola quæ meruit parens
Virgoq; & nurus eſſe.
Qualis in Libano cedrus,
Et velut platanus virens
Explicat patulas comas,
Quæq; creuit in arduis
Collibus cypariſſus.
Et velut crocea nitet
Veſte quæ fugat emicans
Diua Luciferū, aut nigræ
Farta mercibus Indiæ
Sultat æquora nauis.
Talis hæc graditur, roſis
Vincta purpureis caput,
Quæ throno ſedet aureo
Inter candida Lilia
Et rubros amaranthos.
Hinc & hinc reſonant chori,
Spirat vndiq; cinnamum
Aura, leniter inſtrepens
Sumam per iuga montium.
Ridet vndiq; terra.
Ipſa per medios venit
Axe quadrijugo ſedens
Cana quam ſequitur fides
Et pudicitiæ latus
Seruat optima cuſtos.
Cernis vt iubar induat
Solis, vt pedibus premat
Lunā, & vt caput ambiāt
Sydera, ut dominam genus
Laudet omne animātum?
Ergo vos agite obuias
Virgini date virgines,
Splendeat rutilo chorus
Igne, thura manu pia
Lucidis date flammis.
Ne tamen maculas pudor
Vſpiam male traxerit
Sordidas, caueat rogo
Si qua virgineo cupit
Ire proxima curru.
Sentit illico virginis
Virgo ſentit anhelitum
Vt ſagax leporem canis.
Virgo quæ fuerit placet
Digna virgine ſocru.
Nam quot inueniet ſtatim
Tot nurus faciet ſibi,
Vnicum genuit quidem
Sed poteſt tamē hoc, Deus
Natus vnicus ille eſt.

Heliſæo

Heliſço monacho. Gregorius S.

ITa ne omnino alienam putas eſſe Lerinam meam a Muſis, ut, quod Flaccus ait, iratis Dijs atq; poëtis nata ſit. Ego uero ſi uſquam eſt, non Helicon aut Caſtalia, ſed terreſtris ille παράδεισος *hic potiſſimum eſſe, ut mihi uerisſimillime perſuaſerim. Ut tibi etiam ſuadere non uereor, hanc inſulam Pindarum ſomniaſſe, cum beatorum ſedem deſcriberet,* ἔνθα μακάρων νᾶσον ὠκεανίδες αὖραι περιπνέουσιν, ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει, τά μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων ὕδωρ δὲ ἄλλα φέρβει ὅρμοισιν τῶν χέρας ἀναπλέκοντι καὶ στεφάνοις. *Viros enim omni genere doctrinæ excellentis & non modo, ut ais, non* ἀμούσους *ſed cũ omni prorſus antiquitate illa comparãdos hãc ſolitudinem nutriuiſſe, ex his quæ ſcripta reliquerunt manifeſtius eſt, quàm ut hac epiſtola à me declarari debeat: nec defuiſſe præterea muſarum iucunditatem atq; facetias præclare teſtificantur Hilarij carmina, quibus ob elegãtiam, candorẽ, & grauitatem, caue ut quippiam putes eſſe in eo genere abſolutius. Ne tamẽ uel me ipſum amore loci deceptum hęc ad te ſcribere putes, uel aliter quàm ſcribã ſentientem te decipere uoluiſſe, ut ea ratione huc ad nos te attraherem. Scias uelim me ut noſti, a muſis penitus alienum, muſas hic reperiſſe, cũq; hoc ob loci amęnitatẽ accidiſſe putarẽ, ſcirẽq; munus hoc illi me deberi acceptũ referre, ſtatui primũ poëma in eius laudibus ludere. Quod genus exercitationis tum deniq; in poſterum non intermittam, ſi iudicio tuo pręſcrere* προγύμνασμα *non omnino fuerit improbatum. Vale.*

Parua

Parua ſed fœlix meritis Lerina
Qua ſtygis victo toties tyranno
Rite quingenti roſeo ſacrarunt
Sanguine teſtes.

Quæ tot ardentes pietate diuos,
Totq; inexhauſti monachos rigoris
Protulit, quot non radiant ſereno
Sydera cœlo.

Hæc Honoratum gremio recepit
Orbis inuiſos fugientem honores,
Hæc patrem demum populis, ducemq;
Reddidit orbi.

Struxit hic lectas acies Amandus
Quis diu pugnans, numeroſa fudit
Agmina inſignem referens fugato
Dite triumphum.

Maximum poſt hos ſuperantem idipſum
Nomen, an blandum eloquium diſerti
Cæſari dicam, an rigidum Conona
Polemiumúe.

Singulis obſtat numerus, ſed inter
Cæteros ſplendet duplicata Laurus
Hilari, hunc dulce eloquium et renidens
Muſa coronat.

O Satis nunquam celebrata tellus
Dulce ſolamen requieſq; cordis,
Cælitum ſedes, procul à prophani
Turbine vulgi.

Tu procelloſos aquilonis ictus
Spernis, & ſæui fremitum tridentis,
Atq; in obſtantes ſcopulos furentem.
Nerea frenas.
Ante ſublimi minitaris, alto
Iminens ponto Iouis vt ſatelles
Rupe de celſa timidis miratur
Vngue columbis.
Inter vndarum vitreos receſſus
Ludit, exultin pecus omne Prothei
Et micat, ſtringens agili rotatu
Littora Delphin.
Fertilis Citri tibi bruma ridet,
Læta lauretis paphiaq; myrto
Et tepet grato redolens December
Germine florum.
Vere gemmatos nemus omne crines
Explicat, ſpirans arabum liquores,
Et vagam Chlorim ſequitur referto
Copia cornu.
Mulcet æſtatem placidus Fauoni
Spiritus, mulcent agitata ſenſim
Aequora, exceptat nemus vndecunq;
Frigus opacum.
Quid, quod inſanos animi tumultus
Ipſa ridentis facies ſerenat
Aeris, nudas fugiuntq; cautes
Liuor & ira.

Ergo

Ergo curarum ſtimuli valete,
Qui diu tortos laniante flagro
Cæditis, gnari cupidos latenti
Flectere pœna.

Hieronymo Monferratenſi Abbati. Gre. S.

CVm me poſteaquam in hanc inſulam venimus, ſæpius hortatus eſſes, vt aliquid de diui Honorati moribus & vita ſcriberem, eo genere carminis quo nos plurimum ἐν τῷ σωάζει vtimur, id ego diutius facere renui. Non quod neſcirem & ritu & legibus noſtris non poſſe quippiam à me tibi denegari, & amori præterea tuo tãtum à me tribui debere, quantum nec recipere modeſtiæ, nec præſtare facultatis noſtræ videri poſſet: Fecit tamen rei magnitudo, coniuncta diuturna deſuetudine noſtra ad id genus ſcribendi, vt diutius ad eam rem animum non adiecerim. Sciebã præterea, quantæ eloquentiæ laudatores Honorato contigiſſent, poſt quos verba me facere velle, omnes homines non mediocri impudentiæ aſſignaturos exiſtimabam. Accedebant viri præclariſſimi admirabilia geſta, quæ cum mihi æque admirabilem ſcriptorem poſtulare viderentur, omnes etiam illos eruditiſſimos qui illi contigerant inferiorees eius meritis eſſe non dubitabam. Cumq; inter hæc dubius animi multo tempore pependiſſem, aduenit tandem dies, quæ diem honorati memoriæ dedicatam præcedit, ea vero eſt XVIII. Cal. Februarij, quo ſcilicet anni tempore acrius hiems ſæuire conſueuit, nec tum quidẽ

iuris ſui oblita, adeo horribili tempeſtate cœlum mareq; agitare cœpit, vt proſpectus tantum ex terra nobis eſſet formidabilis, ſæuire venti, himbres ruere, fluctus ad cœlum vſq; ſuſtolli, ſequi deniq; omnia terribiliora, ut poëtica Satyrici tempeſtas nobis eſſe videretur. Dolebamus omnes vehementer, quod mirifica illa lætitia nos carituros eſſe opinaremur, quam ex frequentia eorũ qui vota ſoluturi acturiq; gratias ad inſulam eo potiſſimum die veniunt, percipere conſueueramus. Nox ſuperuenit, magis magiſq; intumeſcit mare, ſæuiunt uenti, vis himbrium conduplicatur. In noctis medio de more ex ſtratis ſurgimus, nocturnas Deo laudes, ipſiq; Honorato cãtaturi. Hic vero bone Deus, quis fragor tonitruum, quis fulgurum impetus aures oculoſq; feriebant. Cũ vero iã ut illuceſceret aurora expectaretur, maiores ſe tenebræ intendere cœperunt, vt iam nulla ſupereſſet ſpes diẽ illum ſolita cum letitia celebrandi. Et ecce tibi in ipſo ſolis ortu vehementiſſimo choro expulſæ nubes, tantam ſerenitatem reliquerunt, vt ſecutus paulo poſt Zephyrus, in media hyeme ver nobis aduexiſſe uideretur, deinde tranquillitas atq; adeo malacia, vt ne ſentirentur quidem fluctus cum litoribus ludere. Tum vero innumera turba cymbarum vndiq; cõuenire cœpit, lætiſſimo quodam celeumate inſperatam conteſtans lætitiam. Porro qui mutam mæſtamq; diem illam nos celebraturos eſſe opinati fueramus, eiuſmodi primum miraculo, deinde populi frequentia excitati, tanta cum animi noſtri lætitia rite ſacris operam dedimus, vt nullus omnino hominum fuerit, qui

præter

prӕter pompam & reliquum apparatum, eiuſmodi celebritatem in ea inſula ſe aliquando vidiſſe conteſtaretur. Tūc ego quoq; veluti diuino quodam inſtinctu afflatus, mihi ipſi imperare nequiui, quin confeſtim in hymnos carminaq; prorumperem. Itaq; hac potiſſimum ratione quod ipſemet à me dudum impetrare nequiuerā, id ab inuito expreſſit Honoratus. Et ſi ita me inuitum confiteor, quicquid id eſt operis perfeciſſe, vt tamen in poſterum nec pigere, nec pœnitere me poſſit. Quod in prӕſentia ad te mitto, vt ſi quid in eo à me peccatum eſt, quod quidem accidiſſe non dubito, id omne tuo iudicio emendetur. Vale.

VNDE reſplendet iubar hoc coruſca
Luce? cur mollis zephyrus repente
Diſpulit ſӕuas hyemis procellas
Flamine lenis?
Nempe quod feſti rediere ſoles
Queis Honoratus niueis quadrigis
Inſidens, cœlum merita decorus
Fronde petiuit.
Quid prius dicam, faciles ne mores,
An decus formӕ, generis vetuſti
Stemmata, an circum redimita caſtis
Tempora vittis?
Vendicat primum ſibi iure carmen
Indoles celſӕ generoſa mentis,
Quippe, non aſſis faciens caduci
Culmina regni.

Spreuerat

Spreuerat virgas, trabeam, curules,
Et leues plauſus popularis auræ,
Atque confertos opibus penates
Te duce Ieſu.
Cui puer caſti niueum dicarat
Corporis florem, teneræq; fructus
Mentis, aucturus ſtabilem beato
Fœnore cenſum.
Quem nec annoſi lachrymis parentes,
Nec propinquorum vetuere fletus,
Quin crucem nudus tulerit, latenti
Concitus æſtro.
Credidit ſemet pelago, requirens
Dulcius quiddã patria & propinquis,
Donec audaci tetigit carina
Littus Achæum.
Hic velut languens amaranthus, ictu
Falcis exciſus, moreris Venanti
Inter amplexus lachrymasq; fratris
Luce relicta.
Qui, licet mœrens, tamen obſequente
Legibus fixis animo, ſepulchri
Iuſta perſoluit, precibus piaque
Mente parentans.
Hinc iter flectens ad inhoſpitalem
Inſulam, ſæuos precibus dracones
Expulit, iuges lachrymis dederunt
Marmora lymphas. Fregit

Fregit antiqui ſtatuas Leronis,
Dona nautarum, veteriſq; fani
Impia exurens adyta & tepentes
Sanguine lucos.
Hæc Honorati domus, hic iuuentam
Egit anfractus fugiens doloſi
Orbis; & ſolus latitans opaco
Abditus antro.
Gaudia & luſus iuuenis fuere
Sancta Ieſſæi modulata regis
Carmina, & dulci comitata fletu
Vota preceſq;.
Impetus blanda domuere carnis
Algor atq; æſtus, vigilata ſomni
Tempora, & ſumens caua dextra potū
Semper ab amne.
Vt micat tectus reparatq; lucem
Clarior, vultu rutilante Titan,
Sic nequit cęcis tenebris latere
Abdita virtus.
Fama mox vulgat periiſſe echidnas
Huius ingreſſu, fluuijs ſcatere
Dulcibus littus, ſubitaq; lucum
Fronde virere.
Cuncta feſtinat manus, omnis illinc
Æger, accepta remeat ſalute,
Neſciens Chriſtum redit expiatus
Fonte ſalubri. *Inſulis*

Inſulis demum redimitus, illud
Robur occluſumq; animi vigorem
Protulit, nulla Sathan irruentis
Territus arte.
Poſt famem, frigus, gladios, flagella
Orbe calcato ſuperauit hoſtem,
Atq; virtutis monumenta magnę
Magna reliquit.
Illius iuſſu, nimium procaces
Aeolus frendens renouauit auſtros.
Illius iuſſu, pelagi tumentis
Vnda reſedit.
Sola vox morbos variasq; peſtes
Sola vox, nitrum, lemures fugabat.
Sola fatales Lachesin coegit
Voluere fuſos.
Quin & implexos adamante nexus
Mortis exoluit, ſtygiaeq; ſęuus
Portitor cymbae, remeans ſilentes
Retulit umbras.
Nunc penes magni ſolium tonantis
Nuper optatum genus & nepotes
Proſpicit gratam ſobolem & feraci
Germine lętam.
Hanc Honorato aërij Caſini
Legifer dono dedit, hanc edaci
Tempore, abſumptas renouare leges
Sacraq; iuſſit.

Huic

Huic opi innixſus pater atq; princeps,
Ille virtutum ſpecimen, Monoeci
Arce ab excelſa veniens, labantes
Erigt ædes.
Erigit peſſum pœnitus labantem
Cœnobi cultum, reparatq; ſtata
Pro pudor luxu vitiata inerti, &
Senta veterno.
Igne felici velut arſit ingens
Ilion mutans Tiberin Scamandro
Pergamis, nunquam perituri, celſæ
Mœnia Romæ:
Sic rigor priſcus perijt ſeuerę
Ædis vt caſto renouata cultu,
Sanctior lex imbuerat ſalubri
Dogmate mentes.

Heliſæo Monacho. Gregorius S.

P*Auca illa carmina, quæ mihi amor olim expreſſit pro deſyderio Graſſenſis Pont. cum ille hieroſolymas nauigaſſet, perierant omnino, niſi tu illis in longius tempus vitam proferre voluiſſes. Quæ, vt verum, fatear diutiſſime quæſita, vix tandem ex multitudine ſcriptorum erue re potui. Opinor ea tibi ſola breuitate placitura eſſe, niſi etiam icc irco probentur, quod cum pauca ſint ę minima etiam temporis iactura in eis legendis à te fieri poteſt. Vale. Ad diuum Honoratum.*

X *Agminis*

Agminis ſacri pater atq; princeps,
Quem tremit Pluton, metuunt ſorores
Nocte prognatæ: facilis precantum
Annue votis.
Nam Lerinenſis columen cateruæ
Cui ſacer frontem decorat Tyaras
Lætus hibernis zephyris quietum
Nauigat æquor.
Heu nimis credens fidei ſilentis
Africi, iam iam decimos videbit
Voluier fluctus, tumidamq; cœlum
Lambere tethyn.
Summe cœleſtis moderator aulæ,
Cui freta & ſæui famulantur aſtris,
Omnium ſpes atq; animas in vno
Pectore ſerua.
Comprime inſanos pelagi minacis
Impetus, vrge celeres ſecundis
Flatibus puppes, radietq; fauſto
Sydere pollux.
Siſtat optata ſtatione claſſem,
Et Paleſtinas veneretur ædes
Læta mox illinc redeant, ſolutis
Carbaſa votis.

Georgio Monacho. Gregorius S.

O*Mnino melius cumulatiusq; ad ea quæ ſcripſiſti ſatis feciſſem, ſi te coram alloqui licuiſſet, cum magis lon*

ga

ga quàm ſubtili enarratione omnia indigere videantur. Nitar tamen quoad eius fieri poterit, vniuerſa breuiter epiſtola complecti. Quod primum quæris de vocabulario Ioannis Placentini, ſic enim ais, & ſi quod ad rectam ſcribendi regulam attinet, ſatis mihi eſt exploratum diligentiam ab Aldo adhiberi conſueſſe, nollem tamen virum aliquē mediocris etiā doctrinæ, eius ſcripturę inniti teſtimonio. Fieri enim poteſt, ut uel perperā impoſitus apex, uel unica litera tranſpoſita, in pudendum trahat errorem. Titubatum vero non eſſe aliquando inter tot vocabulorum millia, quis tam temerarius eſt vt affirmare audeat? Qui enim græce ſciunt, non magnopere aduertunt minuta illa, etiamſi in ea inciderint, a quibus in errorem abduci non poſſunt. At vero eos qui græce neſciunt, neceſſario conſequens eſt, nō animaduertere poſſe. Sed demus nihil erratū in eo eſſe, Quis ferre poſſet, non ſaltē probati alicuius autoris, ſed deſcriptoris illiterati teſtimonio, rē quæ in dubium vocetur, affirmari? Sunt eiuſmodi vocabulorum apud græcos collectores, quorum autoritate honeſtius vti poteris. Suidas, Pollux, Eſychius et complures alij, in quibus nihil ferè eſt quod deſyderetur. Quæ vero ſingillatim in epiſtola requiris, recte ſe omnia habere arbitror vt ſcripſiſti: οἰνόφορον enim latine ænophorum ſcribi debet, vt Juuenalis, totū ænophorū ſitiens, cōpoſitum ἀπὸ τοῦ οἴνου καὶ φέρειν, porro οἶνον fieri dicunt, ἀπὸ τοῦ ὀνίνω, vel vt Plato in Cratylo opinatur, διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιπλᾶν, quod falſis ſcilicet opinionibus mentem impleat, in ſecunda vero ſyllaba ὂ μικρὸν

 eſt,

eſt, quod præter omnino pauca, ſemper remanet in compoſitione, penultima ſyllaba mutauit ε in ο, φέρω φόρος, quod facere conſueuerunt omnia nomina quæ a verbis deducuntur, habentibus vocalem illam in eo loco λέγω λόγος, σπείρω σπόρος. At vero κήρωμα latine Ceroma tam prima quàm altera producta dici debet, quod vt noſti, oleum erat ceratũ, quo ſe luctaturi perfundebant, vnde & vnctores ceromatiſtæ dicti. Græce aũt κηρὸς, cera eſt, vnde recta deductione verbum κεκήρωμαι, & inde κήρωμα, quo fit, vt contra cõplurium conſuetudinem, ceram arbitror apud latinos abſq; diphthongo ſcribi debere. αἱμόῤῥους, ſiue αἱμοῤῥοῒς: ille enim mas, hæc fmina, iccirco duplici ρ ſcribuntur, quia compoſita ſunt ἀπὸ τοῦ αἵματος, καὶ ῥέειν, quotieſcunq; enim verba ab eo elemento incipientia in compoſitionem veniunt, illud duplicant, niſi poſt ipſum ſtatim ſequatur conſonans, vt ſunt ἀπορρίγω καὶ ἀποῤῥίπτω, eſt autem vt recte noſti, hæmorrhöis fluxus ſanguinis, & ſerpentis ſpecies ἐν τοῖς πετρώδεσι χηραμοῖς ἔχων τὰς διατριβὰς, vt ait Suidas. Illud vero te non ignorare certus ſum, quod inde nomen habeat, quod ſi quis ab eo percuſſus fuerit, tam præſenti veneno eſt, vt illico ex toto corpore ſanguis defluat. Cæterum elementum illud de quo tam multa diximus, quotienſcũq; duplex fuerit, prius tenue eſt, ſequens vero ſpiritum habet, cuius rei ratio pluribus verbis ab Herodiano aſſignata eſt. De Elegia vero integrum eſt elegëia ἀπὸ τοῦ ἐλέγου. eſt enim elegos luctus κατὰ ὀνοματοποιΐαν, ex eo ficta uox quod lugentes ſæpius ἒ ἒ dicũt, κατὰ συναίρεσιν vero eſt ἐλεγεία. Vtriusq; exemplum apud

latinos

latinos quoq; habes, Papinius, quas inter, multum petulans elegia propinquat. Et illud Ouidij, Flebilis indignos elegëia ſolue capillos. De Sophrone & Sophronio, nulla eſt dubitatio. Eſt enim σώφρον *ex eo genere nominum, quæ cum in recto habeant* ω μέγα, *in obliquis tamen ſumunt* ο μικρὸν, *ut* γείτων γείτονος, τέκτων τέκτονος: σωφρόνιος *vero præter primam ſyllabam nuſquam habere poteſt* ω *magnum, ſiue ſit a nomine* σώφρων, *ſiue a verbo* σωφρονῶ. Καλὸς *& pulchrum ſignificat & honeſtum: unde & ſub Lutiani nomine dialogum habemus* περὶ τοῦ καλοῦ. *Cicero ad atticum. O hominem amentem & miſerum, qui ne umbram quidem unquam* τοῦ καλοῦ, *viderit de huius vocabuli deriuatione, ſic ait Euſtathius* καλοὶ παρὰ τὸ καζῶ, τὸ κοσμῶ ἢ παρὰ τὸ καλῶ διὰ τὸ καλεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστον, ὡς τὸ ἀγαθὸν ἐφ᾽ ὃ ἄγαν θέομεν. *& magn. Baſilius in pſalmi 44. cōmentarijs* κάλλος δὲ τὸ ἐν τῇ συνθέσει τῶν μελῶν ἁρμοσθὲν ἐπανθοῦσαν αὐτῷ τὴν χάριν ἔχον. *Proclus vero lycius in cōmentarijs in Platonis Alcibiadem qui & ipſe* περὶ τοῦ καλοῦ *inſcribitur, dici vult* τὸ καλὸν, ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, *quod eſt demulcere, iccirco quod nihil efficacius ſit ad demulcēdum quàm pulchritudo: porro* κάλλος *duplici* λ. *diuerſa etiam inclinatione* συμμετρείαν τῶν ὁμοιομερῶν ἐν ἡμῖν δηλοῖ, *ut Suidas ait. Prius illud epitheton eſt, hoc aūt pulchritudinem ipſam notat. utrumq; autem, ſcilicet* καλ *&* κάλλος, *unico carmine Homerus expreſſit in* ρ. ὀδυσσείας, κάλλει μὲν οἱ πρῶτα πρόσωπα καλὰ κάθηρεν. *De creopoli & Creopolio nihil eſt quod mireris, & ſi enim naſcuntur a verbo* πωλῶ. *quod vtrinq; habet* ω *magnum, ipſum tamen tam in verbis quam in nominibus cō-*

poſitis, contrahit prius ω magnum in paruum ὀνηροπωλῶ ὀνηροπόλος quæ autore Herodiano ἀπὸ τοῦ πωλεῖν deriuantur. ϕρόπολος ἀμφίπολος θυηπόλος, quare & κρεόπωλος erit & κρεωπόλιον. Recte præterea ſentis multa ex græcis ſumpta, latinos immutaſſe: idem enim tecum ſenſere Quintil. & Priſcianus, cuiusmodi ſunt λάκκος & γραββατὸν: ex altero enim κ, ex altero β detriuerũt, quod aũt de Polluce et Hercule dicemus quæ penè integra ſunt immutata, cum ſint apud græcos ἡρακλεῖς & πολυδεύκης. Nam crepidam, & ſi græce eſt κρηπὶς, ſunt tamen qui à crepando dictam velint, moti ſcilicet primæ ſyllabæ quantitate. De Chiragra vero, neceſſe eſt fateri ſyſtolen à latinis fieri, quotienſcunque contrahitur, vel ex diphthongo ει, priorem literam detrahi. Oratius poſtquã lapidoſa Chiragra fregerat articulos. Eadem enim ratione conſueuerunt poëtæ græci, et præcipue dorica vtentes dialecto poſteriorem literam ex ea diphthongo detrahere, χερὸς & χερὶ dicentes. Pindarus in Olimpijs οὐ χθόνα ταράσσοντες ἐν χερὸς ἀκμᾷ. Rurſusq; ὀρθὸν ἀείροντε χέρα. Theocritus in Cyclope καὶ τὰν χέρα τὰν ἐφίλασα. De Catomide, quod ſcribis lectionẽ apud Spartianum à Beroaldo in commentarijs Apulei immutatam, ubi decoctores nõ catomidari, ſed catonudari legit. Id quidẽ mihi non ſatis probatur, cũ quod nihil neceſſe ſit lectionẽ immutari, tũ etiã quod ſi immutari deberet, ſcimus ex Fabio eiuſmodi ſemigręca vocabula derideri ſolere. Quare quid mihi ſuccurrat ad te ſcribam. Legi Romæ in Bibliotheca Vaticana Lexicon incerti autoris, in quo ſic eſt aſcriptum. Catomides cardi ferreį vel virgę nodoſæ. Videtur vero

& ipſe

& ipſe Beroaldus librum illum legiſſe, cum apud eundem Apuleium verbum diribere exponeret. Aiunt præterea hi qui martyrum hiſtorias ſcribunt, Vitum adoleſcentem catomidibus cæſum. Quare fieri poteſt, ut quomodo ab humero ſit ἐπωμὶς, in ſacris literis celebratiſſimum ueſtis genus, ſic quia præcipue humeri cederentur, ut eadem deductione κατωμίδες appellatę ſint, & inde verbum κατωμιδεῖν. Intelligemusq; apud Spartianũ decoctores illos publice theatro uirgis cæſos fuiſſe. Dici quoq; põt aliquando cõtumeliæ genere affectos, quo ea tẽpeſtate qui decoxiſſent, conſueſſent affici diciq; catamidiari, à uerbo καταμειδιᾶν, quod deridere et contẽptui habere ſignificat. eſt enim μειδιᾶν ridere & epitheton apud Homerum frequens μειδιόωσα. φ. Iliados. αὐτοῖσι δ' ἄρ ἔθηκε παρὰ οὔατα μειδιόωσα. et Veneris epitheton φιλομειδής. γ. Iliados. δίφρον ἑλοῦσα φιλομειδὴς ἀφροδίτη. Habet vero hæc præpoſitio κατὰ quotiens contingit eam componi, vim eiuſmodi ut ferme id deſtruat, cui connectitur γελᾶν καταγελᾶν φρονεῖν καταφρονεῖν. Neſcio præterea quid in mentem venerit ei de quo ad me ſcribis, dubitare prophetæ nomẽ græcúmne eſſet an hebræum, cum nihil manifeſtius ſit, quam ἀπὸ τοῦ προφᾶναι προφήτην ſic dici, ut ἀπὸ τοῦ ὑποφᾶναι ὑποφήτην. Vtunturq; eo vocabulo celeberrimi græcorum autores. Pindarus in Nemeis de Tireſia loquens: Διὸς ὑψίστου προφήταν ἔξοχον appellat. Lucianus, in Alexandri & Diogenis Dialogo οὐδὲν ὑγιὲς οὔτε ἡ μήτηρ οὔτε οἱ τῶν ἀμμωνίων προφῆται ἔλεγον. Quin & fęmininum genus ab eo fit. dicũtur enim προφήτιδες. Euripides in Ione προφῆτις ἐκβαίνουσα μαντεῖον θεοῦ. Quin & latini eo vocabulo præter

lo prȩter ſacros ſcriptores vſi ſunt. Sex. Pomp. Prophetas inquit in Adraſto, Liuius nominat antiſtites Phariorum oraculorumque interpretes.

Quod vero ad cætera attinet, uolumen paruũ, in quod multa ex græco Lexico conieciſti, percurri totum, nihilq; inueni quare mihi dubitandum eſſet, niſi forte aliquid ſubterfugit: legi tamẽ in eo pleraq; quæ vt opinor, nollent latine, ut græce dici conſueuerũt pronunciari. Si enim τύπτωμαι, Typtomæ dicamus, erit penitus latinis auribus, nõ modo inſolẽs, ſed etiã abſonũ. Accedit quod diphthongus illa αι non ſemper apud græcos longa eſt, quemadmodũ apud nos æ, quotienſcunq; enim in nominibus verbiſq; dictionem terminat, totiẽs breuis eſt, prȩterquam in modo illo, quem ipſi εὐκτικὸν vocant. Et ſi videri poteſt Vergilius grȩcum morem ſecutus, cum dixit. Inſulæ Ionio in magno. Illud tamen dici ſolet aliis de cauſis factum eſſe. Quæſiſti præterea ſit ne aliquis autor græcus, qui de ſyllabis ſcripſerit. Extãt certe, & quidem multi, Apollonius cognomento δύσκολος, eiusq; filius Herodianus. Iunior item Apollonius, Epheſtion. Maximus Planudes monachus. Theodorus Theſſalonicenſis & complures aliĳ, quod tamen in latinam linguã conuerſum ſit, nihil adhuc vidi, vt tu de Conſtantino ſcribis, quem tamen non Aldus, vt videris opinari, ſed Ioannes Craſtonus, uir græce & latine doctiſſi. Romane docuit loqui. Præterea, & ſi opus hoc tuum de ſyllabis icirco ſcripſiſti, vt ſimpliciores fratres (ſic enim ais) eo potiſſimum vtantur, nollem tamen ſcriptum aliquod à noſtri ordinis

hominibus

hominibus prodire, quod non ut minus eruditis utile, ſic etiam eruditiſſimis eſſet probatum, quorum ratio in primis habenda eſt. Quare certamina illa quæ tibi ſumis cum autoribus poſtremæ notę, ſuperuacua mihi penitus eſſe uidentur: Clam & eruditi ad eos euoluendos nunquam ut opinor ſunt acceſſuri, & qui eruditionis cupidi ſunt, ab illorũ lectione mihi penitus abſterrendi eſſe uidentur. Quare, ſi eos ſilentio præterieris, fiet hoc pacto ut uolumen illud immenſum quod ad me miſiſti, amputato inutilium illarum contentionum faſtidio, eiuſmodi ſit, ut a ſe legendo neminem ſua prolixitate deterreat. Scriberem qui autores ſunt quos à te omitti uellem, niſi & mihi perſuaſum eſſet, te facile id cõiectura aſſecuturum etiã tales eſſent ut uel nuda tantum ipſorum nomina, barbarum neſcio quid in Epiſtola noſtra ſonitura eſſent. Hæc ſunt mi Georgi ea, in quibus nos repueraſcere coëgiſti, indigna fortaſſe & ætate tua, & ſtudijs noſtris: ſed parendum fuit & eius iuſſis qui ad me literas tuas detulit, & modeſtiſſime petitioni tuæ. Imminebat certe utrinq; periculum, ne mihi nota arrogantiæ inureretur, uel ſi ſcripſiſſem, uel ſi conticuiſſem, tunc enim te docere uelle, hic te ſpernere uideri poteram: at utrunq; certe tam nequeo quàm nolo. Malui igitur ſcribendo in id crimen incurrere, quod humaniſſima epiſtola tua diluere mihi poſſe uidebar, quàm tacendo in ſuſpicionem uenire parum habitæ a me rationis uel ætatis uel humanitatis tuę. Non enim fortaſſe deeſſent qui opinarentur, me non tam neſcire quàm noluiſſe ad ea quę quæſieras reſpondere. Quo-

rum quidem ita mihi diſpliciturum fuerat iudicium, vt tamen deſyderaturus fuerim, non omnino falſa eſſe. quæ de me falſo opinarentur. Vale.

Vinçentio de Borlaſca Genuenſi. Greg. S.

AD cæteras incredibiles animi mei moleſtias, quibus poſteaquam in hanc prouinciam veni, vehementiſſime afflictatus ſum, acceſſit nuper nunciata mihi patriæ tuæ calamitas, quam tantum à me amari ob merita in me ſua, omnes intelligere credo, vt nulli ciuium in amore concedam. Cum igitur infeſtiſſimo bello totam hanc prouinciam ardere uiderem, & (quod in regno Francorum iam inde ab eius conſtitutione inauditum eſt) inteſtinis diſcordijs penitus conturbari, & ſi pene intolerabilia erant, quæ cum a prouincialibus, tum etiam ab hoſtibus perpetiebar, cum tamen cogitabam, finitimam regionem eſſe, in quam, ſi hæ calamitates maiores fierent quàm vt aliqua ratione à me poſſent tolerari, videbam tutum mihi perfugium fore, paulisper in ea ſpe conquieſcebam. Nunc autem cum uideam ſæuiſſimo peſtilẽtiæ genere Liguriã ferè omnẽ principẽq; ipſam Genuam deuaſtari, neceſſe eſt incredibiles has noſtras miſerias, non conſuetis tãtum ſolatijs, ſed omni ſpe penitus conſolationis carere. Quare, in luctu & ſquallore me aſſidue futurum eſſe dicerem, ni firmiſſime mihi perſuaſum eſſet, tantas clades quantas nunquam legimus, non ſolum Dei Opt. Max. iuſtiſsima ſeueritate accidiſſe, ſed etiam ea de cauſa, vt frequenti hac rerum commutatione admoniti, aliquando nos

do nos alterius patriæ ciues eſſe meminerimus, in qua pro tu multu bellorum, animi tranquillitas, pro peſtilentię cladibus, ſempiterna ſalubritas erit. Vtrum vero ſic eiuſmodi calamitatibus inſtrueremur, vt tandem hæc quæ nos ſpecioſo nomine bona appellamus, ſic naturali inſtabilitate ſua nos admonerent, vti ne ab ipſorum amore tantopere deciperemur. Quid enim, rogo te, facturi fuiſſemus, ſi hæc quæ tam arcte tantaq; cum oblectatione complectimur, aliquid ſoliditatis habere experiremur? Cum etiam inter vitæ huius aſſidue fluctantis agitatione, illis veluti tenaciſſimis anchoris adherere nos poſſe confidamus. Quod ſi cui generi hominum, ex continuis cladibus, rerum humanarum infirmitas in animis ſemper verſari debet, id potiſſimum fore, vt nunc ciuibus tuis accidat, mihi facile perſuadeo. Qui ſinguli ſuperiore anno ob ſæuam illam direptionem, maxima ſui patrimonij parte, expoliati, deinde vniuerſi acerrimo vexati bello, nunc etiam, ne qua detur a miſerijs intermiſſio, ſæuiſſima peſtilentia deuaſtantur. Qua cum plurimi ex amicis (qui mihi me ipſo penè cariores erant) perierint, ex vnius tamen potiſſimum Camilli noſtri interitu, mihimet imperare nequiui, quin plurimum doloris caperem. A me enim non communi cæterorum æſtimatione, ſed ea quæ mihi fortaſſe tantum perſpecta erat, & virtutis & doctrinæ excellẽtia perpendi illum neceſſe eſt. Accedit præterea damnum incredibile, quod ex laboribus eius deperditis, doctos omnes facturos eſſe non dubito. Animum enim adiecerat ad Coſmographię partes omnes illuſtrandas, & cum diligen-

tiſſime locorum omnium ſitus, & eorum quæ antiquis cognita fuerunt, & quæ nuper inuenta ſunt, nobis ſe deſcripturũ ſperaret, precipue tamen, quo olim nomine, quo nunc vnus quiſq; locus appelletur, omni ſtudio ueſtigarat. Qua in re, iam tantum profecerat, vt non portus modo, promontoria, ſinus, inſulas, fluuios, montes, vrbesq; celeberrimi nominis, ſed infima quæq; oppida ita memoriter, ut propriũ nomen tenere videretur. Quæ omnino nobis minus dolenda putarem, ſi ſpes aliqua eſſet quempiam pari doctrina & diligentia id ipſum præſtiturum eſſe. Sed quis nam obſecro erit, qui cũ exquiſita illius diſciplina, coniunctam habeat locorum cognitionem, non auditu & lectione tantum ſed pedibus oculisq; perceptam? Nauigarat enim vt ſcis, ad Tanaim, ad Phaſidẽ. Peragrarat ferme regiones omnis Aſiæ, Aegyptum, Africamq; luſtrarat. Taceo de Hiſpania, Britannia, Gallia, Germãnia, quas ſic habebat cognitas, vt digitos vnguesq; ſuos. Accedebat admirandum illud in tanto opere præſidium, quod in ea ciuitate illi naſci contigerat, in quã, cum ipſi ciues ad exteras lõginquasq; nationes quotidie nauigent, tum etiam ex omnibus mundi partibus vel negociorum, vel viſendi gratia aſſidue ſuperueniunt peregrini. In patriæ igitur tuę tantis calamitatibus, in tot clariſſimorum ciuium interitu, nec moderationis, nec prudẽtiæ tuę eſſet, propriam quandam priuatamq; felicitatem deſiderare. Sic fratrum tuorum obitus tibi dolendus eſt, vt de vniuerſæ Reip. ſtatu non deſinas cogitare, cuius honoratiſſimam partem & fidei & diligentiæ tuæ nuper creditam

fuiſſe,

fuiſſe, tu me per literas certiorem feciſti. Quod quidẽ, cum libenter audiui, tum etiam maxima cum ſpe, fore vt conſilio autoritateq; tua, in hoc communi naufragio, eiuſmodi curſum Reſp. iſta teneat, vt propediem portum aſſecuturam non deſperemus. Quod vero te ſtudio & conſiliis meis tantopere indiguiſſe ſcribis, in deliberando an impoſitum tibi a ciuibus tuis munus ſuſciperes, perſuaſum quidẽ mihi eſt ob vim quandam amoris incredibilem, nihil eſſe quod à me tibi præſtari non poſſe confidas, etiam ſi eiuſmodi ſit, vt ſuperet facultatem meam. Quod vero ad hoc negocium attinet, ſcias velim me eiuſdem opinionis in conſulendo futurum fuiſſe, cuius nunc etiam ſum in iudicando de conſilijs tuis, non potuiſſe te, ſcilicet niſi læſa pietate, vel potius abſq; maximo flagitio, munus tibi iniunctum communi ciuium tuorum voluntate, non ſolum recuſare, ſed nec etiã deprecari. Quare quod recte ordineq; feceris, talemq; te præbueris patriæ tuæ, qualem ante actæ vitę dignitati cõſentaneum erat, mirum in modum tibi gratulor. Deumq; Opt. Max. rogo, & obteſtor, vt tibi familiæq; tuæ perpetuæ dignitati ſit præſens adminiſtratio. Nam quod omnia tua teq; ipſum nobis adeo humaniter polliceris, dicerem, te id feciſſe quod veteri prouerbio fieri prohibetur, vt ſcilicet actũ ageres, niſi ſcirem infinitam quãdam amoris abũdantiam, eiuſmodi à te pollicitationes expreſſiſſe. Quare, nequaquã ęquũ erit te moleſte ferre, ſi ego quoq; de integro omnia mea officia, ſtudia, cogitationes pollicebor, quæ ad tuam dignitatem & quietem animi pertinebunt. Vale.

Raphaeli

Raphaeli Placentino Monaco. Greg. S.

ET ſi, quod tam grauiter de me conquereris, maxima eorum culpa eſt, qui nollent nos eo animo quo ſumus inter nos eſſe, nequeo tamen rationem aliquam excogitare, qua teipſum omnino à culpæ huius affinitate liberare poſſim: fieri enim poteſt, vt illorum animi, vel odio, vel inuidia antea labefactari, non ita deinde quid officium, quid honeſtas, quid communis vitæ ratio poſtulet, intelligere poſſint. Tibi vero cui iam inde, vt ita dicam, ab incunabulis perſpecta eſt non charitas modo in te mea, ſed vt veriſſime dicam, pietas, nequaquam veriſimile fieri debebat, ita nullam a me rationem amoris noſtri habitam fuiſſe, vt etiam maximis te contumeliӱs afficere cogitarem. præſertim cum antea nulla inter nos diſſidij cauſa interceſſerit, vt coniectura aſſequi poſſes priſtinam voluntatem meam, vel omnino abs te alienatam, vel ſaltem aliqua ex parte immutatam eſſe. At ſi (quod fieri omnino nequit) tibi tantopere inimicus eſſe vellem, vt poſteris etiam teſtatam relinquere memoriam parum grati animi noſtri erga te, quid erat in quo minus te ledere poſſem, quàm vt inueherer in elegantiſſimum poëma tuum, aut quo magis bonorum odium in me poſſet concitari, quàm ſi ei, qui cũ coniunctiſſime & amantiſſime iam inde a pueritia vixiſſem, ſponte mea tam acerbe fierem inimicus? Taceo hic ſanctiſſimum illud religionis uinculum, quo adeo coniunctos nos eſſe intelligo, vt nihil de honore tuo à me detrahi potuerit, quin tantundem de noſtro

detraheretur.

detraheretur. Cuius rei tantam a me rationem habendam eſſe cognoſco, ut intelligam, ſine maximo flagitio eiuſmodi aduerſus te contumeliam, ne cogitare quidem nos aliquando potuiſſe. Accedit pręterea ſcriptorum tuorum coniuncta multiplici doctrinam incredibilis elegantia, quibus ita per ſe tuta ſunt, ut tam à nullo reprehendi queant, quã à nemine ſatis laudari. Quid, quod nihil hactenus à te editum eſt, in quo non prius & iudicium & conſilium meum amiciſſime exquiſieris? Harmenias tua, ita mihi ahuc puero cognita erat, ut non tu plura carmina ex ea quam ego, poſſes memoriter recitare. Scenas uero cum nec edere quidem cogitares, deq; ea re Placentię diligentiſſime explorares iudicium meum, memini me, te ita ad ea in publicum edenda ſuadere, ut tandem id tibi multis precibus perſuaderi permiſeris. In Epigrammatis uero adeo honorifica noſtri nominis mentio eſt, ut quoad opus illud uiuet, (uiuet autem ut ſpero cum omni poſteritate) non poſſit mei memoria aliqua obliuione deleri. Sed quoniam planè, ut opinor, tibi à me declaratum eſt, non minus a uoluntate quàm a facultate lædendi tui me ſemper abſuiſſe, fieri nequit quin tecum amice expoſtulem, quòd me id aliquando cogitaſſe tibi perſuaderi permiſeris. Quod ſi non tanti apud te erat Platonis exemplum ut illum imitari uelles, ad quem cum delatæ eſſent amici in ſe criminationes conſtanter affirmauit, aut nunquam dictas, aut utile utriq; fuiſſe, ut tunc ea ſic dicerentur. Poteras ſaltem quod M. Tullius faciendum ducebat, genus illud totum orationis tollere, diſputabant, ego

contra

contra diſſerebam, dicebant, ego negabam. Hoc nempe vete ri conſtitutæq; amicitiæ noſtræ, hoc ei diſciplinæ quam profitemur, hoc religioni, hoc denią; moribus & prudẽtiæ tuæ magis erat conſentaneum. Poſſet vero quiſpiam in amicitia tuenda mei diſſimilis, ex eiuſmodi querelis animi tui coniecturam facere, ſibią; perſuadere eum qui ita facile crediderit, poſſe alium in amicitiæ rationibus peccare, æque facile & ipſum pecaturum fuiſſe τὸ γὰρ εἰς κακίαν οὐχ ἕτοιμον, μήτε εἰς ὑπόνοιαν εὔχερες, *inquit Nazianzenus noſter. Coniecturam nempe ex eo faciens, quod ferè perinde atque nos in cæteros animati ſumus, ita de ipſorum voluntate conſueuerimus proferre iudicium. Quod quidem longiſſime abs te tunc cum ad me ſcribebas abfuiſſe, ita mihi perſuadere volo, vt ægerrime etiam laturus ſim, ſi ſecus mihi ex re ipſa aliquando perſuaderi poſſet. Vale.*

Lamberto Venuſino Epiſcopo. Greg. S.

C*Vm maximum tum etiam multiplicem dolorem animo meo accepi, de viri optimi Chriſtophori Longolij interitu, qui nuper cum paucis diebus ardentiſſima febre laboraſſet, & ſi iucundiſſimam memoriam, triſtiſſimum tamen nobis ſui deſyderium reliquit. Doleo ſane pro ea re vehementer, ego enim Lõgoliũ mirifico amore proſequebar, uiciſſimq; ita me ab ipſo amari intelligebã, vt ea tantũ de cauſa illũ à me in amando ſuperatũ putẽ, quod erat longo interuallo dignior qui amaretur. Cuius amicitiæ, & ſi tu initio, cum Romæ eſſes fundamenta poſueras, reliquũ tamen ipſe poſtmodum*

poſtmodum maximis officijs ſic euexit, ut iam ad ſummum perueniſſe, nemo eſſet qui aliqua ratione poſſet dubitare. Principio enim, cum me nec de facie quidē cognitum literis ſuis & græce & latine ſcriptis ad amicitiam prouocaſſet, paucis poſtea diebus difficillimo anni tempore Roma ad Lerinam nauigauit, ea tantum de cauſa, ut mihi quem abſentem amare cœperat, totum ſe præſens alloquensq; condonaret. Quo tempore, etiam nobis ingenij artisq; plenam orationē, planeq; optimis illis antiquis comparandam, quā paulo antea Romæ habuerat, totam legit, ſicq; in ea iudiciū meum paſſus eſt interponi, ut quicquid dixiſſem, ſiue in uerborum proprietate, ſiue in oratorijs præceptis, id tanquam præſcriptum legemq; mihi obſeruare uideretur. Secuta ſunt deinde cum multa, tum etiam maxima utriusq; in alterū officia, quibus nos adeo iam deuinctos omnes intelligebāt, ut nihil ferè fieri poſſe putaretur in communi uita coniunctius. Quare niſi uehementiſſime mouear tali tantoq; amico orbatus, communi omnino ſenſus atq; adeo omni humanitate carere, merito iudicari poſſe videbor. Quod ſanè tam longe à me abeſſe uolo, ut quod antea dixi, multiplici mœrore ex eius interitu me potiſſimum affectum eſſe, omnes intelligere cupiam. Quis enim absq; incredibili dolore, audire poſſet in ipſo flore ætatis (nondum enim trigeſimum annum attigerat) in maxima omniū de ſe expectatione, in medio ſtudiorū curſu, præclarā illā ad omnes uirtutes animi indolem, illud immortalitate digniſſimum ingenium, immatura ſibi cæterisq; morte, ſic repente ereptum eſſe, ut oſten-

ſus tantum non etiam præſtitus huic ſæculo fuiſſe uideatur, & tum præcipue cum admodum pauca ſcripſiſſet, incepiſſet multa, pararet plurima, quibus ſi extremam manum per ætatem imponere licuiſſet, aliquid certe hac tempeſtate vidiſſemus, quod poſſet cum omni antiquitate comparari. Mirabamur ſiquidem in eo omnium pene diſciplinarum nõ mediocrem cognitionem, de quibus ſic elegãter & copioſe diſſerebat, vt qui audiebant dubitare ſe dicerent, quã potiſſimum profiteri videretur. Adoleſcens enim iuriſconſultus in Gallia operam dederat, grecam demum linguam didicerat, Romæ, latinam excoluerat. Philoſophiæ vero & matemathicis, Patauij nunc tanto ſtudio incumbebat, vt doctorum iudicio, eos qui magnos in eo genere progreſſus habebant, longo interuallo ſuperaret. Qui autem domeſtica hominis conſuetudine vtebantur, facile meminerunt quàm ſcienter de plantis, de piſcibus, de lapidibus, loqui conſueuerit, cum nomina, cum antiqua, tum etiam ea quibus nunc vtimur, vimq; & proprietatẽ vnicuiq; redderet. Sic igitur tibi perſuadeas velim, Gallias noſtras huius interitu tantum amiſiſſe, quantum nunquam fortaſſe antea deſyderare auſæ fuiſſent. Et ſi enim complures in ea extiterunt atq; adeo nunc etiam ſuperſunt aliqui, ingenio & doctrina excellentes, nondum tamen video candorem et elegantiam, & quod his omnibus plus poteſt iudicium incorruptum in Galliam tranſiſſe, quod cum ex compluribus facile, tũ facillime ex ipſo Longolio declarari poteſt. Sunt nanq; apud me orationes ſex, quas cum primum in Italiam venit vt ve-

vt veterem deleret infamiam qua ſe laborare intelligebat, quod puer adhuc aduerſus Italos orationem habuiſſet, maximo ſtudio & labore compoſuit, quibus ſi alia quam triennio poſt Romæ ſcripſit, conferatur, vix alicui poterit perſuaderi ab eodem homine aliquando editas fuiſſe. Paucis autem diebus antequam ex hac luce decederet, ſex aduerſus Lutheryanos actiones ſcripſerat, in quibus cum elegantia & grauitate, tum etiam amplitudine orationes Romanam illam maieſtatem aſſecutus fuiſſe iudicatur. Qua quidem in re adeo ſe nobis & gratum & facilem præbere conſueuerat, vt non modo candorem & iudicium Italis acceptum ſe referre diceret, ſed ea præcipue de cauſa Italos omnes incredibili beneuolentia proſequeretur. Communis igitur Italis, & Romanis, pręcipue qui illum nuper ciuitate donarant, communis Galliæ, cui illius natales acceptos referimus, atq; adeo Germanis, à quibus ſe oriundum volebat, hæc incredibilis iactura contigit: communis præcipue doctis omnibus & his qui bonarum literarum ſtudijs incumbunt, tibi tamem mihiq; inprimis, quos ille non amicitia ſolum, ſed familiaritate etiam ſua non penitus indignos iudicarat. Vale.

Auguſt. Grimaldo Graſs. Epiſc. Greg. S.

NIhil humana felicitate eſſe incertius, conſueſſeq; vſu hoc accidere vt quo ſtabilius pedem ſibi homines fixiſſe videntur, eo grauius ruant, ſi vnquam aliàs nuper in memetipſo, veriſſimũ eſſe expertus ſum. Qui cum iam plures annos in vna tantum re laborarim, iamque vi-

derer mihi portum eum tenuiſſe, ad quem curſum direxeram, repente tam valida tempeſtate, atq; adeo vehementi impetu reiectus ſum, vt nec à longe quidem eam quem tamopere deſyderaueram, tranquillitatem portus, ual eam intueri. Qua de re, iccirco ſerius ad te ſcripſi, quod adhuc grauibus anxijsq; curis excruciatus, nullam officij, nullam conditionis meæ, nullam deniq; tuorum erga me meritorum rationem, ex dolore animi habere potuerim. Quis enim non incredibili dolore afficiatur, qui ex tranquilliſſimo rerum ſuarum ſtatu, eo miſeriarum & ſolicitudinis deuenerit, vt præſens calamitas videri poſſit, cũ priſtina felicitate certare? Sed poſtquam veluti reuocata ad me ratione, & quis ego ſim, & quid cęteris præſtare debeam cœpi conſyderare, nequaquam mihi committendum eſſe duxi, vt quamuis a portu in maximam tempeſtatem reiectus ſim, omnino tamen dimiſſo gubernaculo in aſpera atq; vadoſa loca nauem detrudi patiar. Hoc certe mihi honeſtiſſime facere poſſe videor, vt tecum dolorem meum communicem, à quo potiſſimum ſecundum Deum non pars quadã beatitudinis, ſed integra fęlicitas, quoad hic ſperare licet nobis obuenerat. Perſuaſum mihi erat iam inde ab ineunte iuuentute, cum plura ſint honeſte viuendi genera, ætatemq; in rebus ſummopere vtilibus atq; honeſtis traducendi, ad longe omnium vtiliſſimam & honeſtiſſimam actiones meas accommodaſſe. Primum, quod relicta communi omnium hominum tempeſtate, in religionis portum confugerã, vbi niſi penitus diſſoluti & ſacrarum

rerum cõtemptores eſſe velimus, mira tranquillitas, atq; adeo certa ſalus inueniri poteſt. Deinde, quod cum in hoc genere hominum duplex ſit viuendi ratio, altera agendi, contemplandi altera, relicta priore illa, ad eam quę mihi & honeſtior & magis naturæ meæ conſentanea videbatur, totum memetipſum conuerteram. Dies noctesq; verſabar in grauioribus ſtudijs, eiuſmodi diligentia, vt non me pœniteret quantum proficerem. Tentaueram poſtremo vt Theologiæ & Philoſophiæ venuſtas orationis, tanquã duabus matronis debitus cultus & decor reſtitueretur, quo per iniuriam expolliatæ ſquallentes diu obſoletæq; iacuerant. Cumq; vidiſſem in ea re tentanda, ſtudium meum à te non improbari diligentiſſime tecum egi, vt ſi quid etiã moleſtiarum aut ſolicitudinis in hac religionis ſtatione mihi relictum fuerat, id omne & autoritate & auxilio tuo velut duabus iactis anchoris, ſedaretur. Qua in re, ita ſtrenue à te nobis nauata eſt opera, vt nihil in ea mihi deſyderandum reliqueris. Tu legatos ad principes ordinis noſtri atq; ad ipſa comitia deſtinaſti: tu magno ſumptu & labore copioſiſſima librorum ſupellectili vndiq; conquiſita, vniuerſam vſibus noſtris expoſuiſti. Tu vt nobis librariorum copia fieret, quo excribendi laborem effugeremus, rationem excogitaſti. Tu amœniſſimo in loco pulcherrimis ædibus extructis, partem in eis longe pulcherrimam atque ſaluberrimam, ad vſus noſtros accommodaſti. Tu poſtremo (quod minimum fortaſſe tibi videtur) mihi autem, ex quo patriam & ſatis amplum patrimonium ſponte relique-

ram,

ram, inſtar eſt maximarum diuitiarum, vt commode ſumptus mihi ſuppeditarētur, habita imbecillitatis meæ ratione prouidiſti. Cumq; hęc omnia iam mihi viderer certa quadam ſtabilitate poſſidere, repente inde tempeſtas extitit, vnde minime ſuſpicabar. vt non tantum ad frugem iam peruenientes ocij noſtri fructus omnes abſumpſerit; ſed & in poſterum ſpem omnem propemodum abſtuliſſe videatur, quod ex ſumma quiete in ſumam ſolicitudinem detruſus ſim. Satis enim tu ipſe noſti, quàm difficile, quam operoſum negocium ſit, quam poſtremo & laboris & periculi plenum, alienis animis imperare. Et in paſtoris morem diu noctuq; excubare pro caulibus. Accedit præterea incommodum illud maximum, quod tenuiſſima vtens valetudine, & ſi mente maxime & ingenio valerem, corpore tamen ad huiuſmodi labores perpetiendos, minime idoneus videri poſſem. Enimuero aduerſum hæc omnia, fortiſſimus opponendus eſt obedientiæ clypeus, & quem me fateor cum primum in me acerbus hic nuncius, ex improuiſo impetum fecit, penitus abieciſſe, confirmato iam animo reſumendus. Quod quidem nondum me aſſequi potuiſſe, irruentibus vndiq; moleſtijs, & confiteor & præmefero. Nec tantiſper me aſſecuturum ſpero, donec tu coram incredibili tua hilaritate & familiari vultu, accedente ad mirificam efficaciam ui maxima eloquentiæ, memetipſum mihi reſtitueris. Quod etiam à te nulla ratione fieri poſſe mihi perſuaderem, niſi ſpes aliqua ſupereſſet, fore vt amore & beneuolentia tua priſtinus ille rerum mearum ſtatus denuo à me recuperetur.

recuperetur. Cum enim tanta ſit apud principes ordinis noſtri autoritas tua, quanta profectò eſſe debet, acceſſura ſit inſuper æquitas poſtulationis noſtræ, qui non vt ad altiorē gradum prouehar, ſed vti ne omnino prouehar, peto, facile mihi perſuadeo, ſi præces tuæ interceſſerint, priorem illā vitæ tranquillitatem breui mihi reſtituendam eſſe. Vale.

F. Fregoſio. Gregorius S.

CVm te propediem Nicæam venturum eſſe ſperarem, repente acerbiſſimo nuncio de rege Gallorum euentuq́ prælij accepto, id quod à te factum eſt, fore vt omnino fieret mihi perſuaſi, vt ſcilicet iſtuc proficiſcerere, id enim & ſalutis tuę & officij ratio mihi poſtulare videbatur. Poſtremis vero literis quas Lugduni ad xij. Calend. Aprilis dediſti, iſtic te futurum intellexi per totos hoſce ieiuniorum dies, poſtea vero, voluntate quidem te in Italiam trahi, vereri tamen, (vt ſunt in tam afflictis perditisq́ rebus incertiſſima conſilia) vt neceſſitatem aliquam non voluntatem ſequi cogaris. Qua in re, non tibi conſulendum, ſed conſiliorum tuorum exitum a me expectandum eſſe cognoſco. Ego vero, cum iam (vt ad te ſcripſeram) ſtatuiſſem ad comitia noſtra proficiſci, poſtmodum hac rerum omnium perturbatione vehementer territus, non ſatis tutum fore opinatus ſum terreſtri maritimóue itineri me cōmittere, in tanta latrociniorum impunitate, & perditorum hominum licentia. Et tamen ſummopere vereor, ne hic quoque maximis tumultibus & anguſtijs affligar. Vt quod

vetus

vetus habet prouerbium, Lupum mihi videar auribus tenere, quem nec tuto dimittere, nec abſq; maximo periculo retinere poſſim. Quoniam, ſi quid moleſtiarum hic nobis impendeat, non adeo certum eſt, cum in itinere non dubia pericula ſint, omnino ſuſpicor me ex his locis tantiſper non diſceſſurum, quoad quietiora tranquillioraq; omnia in itinere eſſe nunciabuntur. Illud præterea magnopere me mouet, quod neminem eſſe credo, qui coniectura aſſequi poſſit, ea loca ad quę proficiſci decreueram, bellum pacémne ſint habitura. Quare (quemadmodum nunc eſt) magis remanſionem quàm profectionem nobis eligendam eſſe iudico. Quod ſi ſecus à me decretum fuerit, fies illico per epiſtolam certior, & ad quam diem diſceſſurus, & quo nam gentium profecturus ſim. Tu quoque, vt idem facias vehementer etiam atque etiam rogo, quando ex tuis conſilijs non parum dependent conſilia noſtra. Teſtamentum quod fidei noſtræ credideras, confeſtim acceptis litteris tuis, quando tibi ſic placere intellexi, vt erat obſignatum flammis tradidi, quare nihil eſt amplius quod pro ea re dubius animi pendeas, vt non quæcunque tibi uiſa fuerint, vel corrigas uel immutes. De libris præterea, quando me hinc diſceſſurum non eſſe confido, nec Io. Bapt. nec alij cuipiam negociũ demandabitur, ei vero qui ad nos à te literas deferet, maxima cũ fide à me reſtituẽtur. Tu (ſi fieri cõmodo tuo poteſt) interim quã creberrimas ad nos literas dabis: nihil enim cũ mihi gratius, tũ etiã ad rationes vitæ meæ expediendas accommodatius facere potes. Vale.

Raſcaſio

Raſcaſio Iuriſconſulto. Greg. S.

VIde quam ſecuri animi ſim de tenera adhuc amicitia noſtra, & humaniſſimis tuis pollicitationibus? Qui etiam inter tot difficillimas occupationes quibus neceſſe eſt animum tuum diſtrahi, non verear tibi moleſtus eſſe? Tu vero ex ea re potiſſimum animi noſtri coniecturam facere potes, nam qui mediocriter amant, viciſſim quoq; magnum quippiam de alterius in ſe amore ſibi polliceri nõ conſueuerunt. Ego autem cum tui gratia ad quaeq; maxima paratiſſimo animo ſim, rurſus idem de teipſo mihi polliceor. Et ſi non ea eſt facultas noſtra, vt beneficijs tuis ſperem me longiſſimo interuallo aliquando reſponſurum eſſe, ſed vt eſt apud Tribunianum tuum ex Homero pro auro calybem, in amore certe nunquam conceſſurus ſum. Quando te optime intelligere ſcio, non facultatis ſed voluntatis rationem in amicitia haberi oportere. Litteras igitur ad Pontificem Salernitanum vni ex noſtris tibi reddendas tradidi, vt opera, autoritateq; tua magna cum fide Lugudunũ perferantur. Perſuaſum nanq; mihi eſt, ob negociorum magnitudinem, te quotidie certiſſimos nuncios, qui illuc proficiſcantur, habere. Id ſi feceris maximum nobis à te beneficium praeſtitum eſſe iudicabo. Vale. & nos familiamq; hanc dilige.

Benedicto Theocreno. Greg. S.

MAgisne tibi gratuler, an regi omnium ſapientiſſimo, regięne ſtirpi an totius Galliae populis nondum ſa-

tis conſtitui. Tibi certe inprimis quo ad amicitiæ noſtræ cõſentaneum eſt, mirificè gratulor. Quod unus potiſſimũ electus es, cuius innocētiſſimis moribus et ſanctiſſimæ diſciplinæ futuri aliquãdo regis omniũ maximi atq; potētiſſimi, prima rudimenta cõmēdarentur: Vt egregie illius indolis, quæ omniũ ore tantopere celebratur, admirãda materia, tanquã in manũ præclari artificis deuenerit, in abſolutum quoddã & ex omni parte perfectiſſimũ opus, formari poſſit. Quod ſi tibi iam inde ab ineunte adoleſcentia, ea mente in honeſtiſſimis ſtudijs laboratum vigilatumq; eſt, vt aſſiduè præclaram aliquam opportunitatem tibi ſe oſtenſuram ſperares, in qua virtus tua poſſet eniteſcere, nunc illa certè ſe tibi eiuſmodi obtulit, vt non maiorem honeſtioremue potueris deſyderare. Fidei enim virtutiq; tuæ commendatus eſt adoleſcens in tantam ſpem natus, vt præceptis & conſilijs tuis obtemperans, omnis æui prẹſtantiſſimum ſe regem ſit præbiturus. Quo nomine, non tibi ſolum aut patriæ tuæ, ſed vniuerſæ Italiæ laudis, famæq; incredibilem acceſſionem faciendam eſſe tibi perſuadeas velim; nunc demum enim eruditionis Italicæ ſplendor ſic gentibus illis elucere incipiet, vt tandem credituri ſint, fuiſſe olim homines noſtros, tanta non innocentia ſolum & integritate, ſed etiam doctrina & eruditione, vt hi populi beatiſſimi iudicarentur, quibus partem aliquam tantæ felicitatis voluiſſent impartiri. Cum tibi non multo minori quàm Ariſtoteles fuit, hunc longe maiorem futurum quàm Alexãder, fructus omnes & indolis & ingenij

genij ſui acceptos relaturum eſſe omnes intelligere potuerunt. Quem & ipſum certo ſcio, cum non à conficta quadam Xenophontis diſciplina, ſed à ſanctiſſimis præceptis tuis ad officium diligentis & moderati imperij excultus fuerit, daturum operam, vt nomen illud Chriſtianiſſimi, quod à maioribus habiturus eſt hæreditarium, aliquando etiam per ſe partum poſſideat. Et quod Alexandro viſum eſt, magis velit ἀεὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις ἢ ταῖς δυνάμεσιν διαφέρειν. *Nequeo plane ſatis admirari regis ipſius prouidentiam atq; conſilium, qui cum Gallias videret vberrimo prouentu doctiſſimorum hominum abundare, incredibili tamen iudicio, te potiſſimum ex omnibus elegit, à quo longe maiora quàm a patre regis filium accepturum eſſe putaret. Gratiasq;, vt opinor, Deo opt. Max. agit immortales, quod tuo potiſſimum tempore natus ſit, qui quem admodum Phœnix Homericus illum docere poſſis* μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. *qua in re non vltra tibi laborandum eſſe video, quam, vt Alumno tuo patris admirabilia geſta proponas, & ad ea imitanda & æmulanda, quoad eius fieri poterit, horteris atque incites: vt aliquando cognoſcat honeſtiſſimam ſibi neceſſitatem impoſitam eſſe, illius laudi, & moribus & rerum gerendarum gloriæ reſpondere. Contigit certe ſepius vt qui maiorum præclare geſta auſi ſunt æmulari, illos demum longo interuallo ſuperauerint. Qua victoria nihil puto gratius illis contingere poſſe, qui ea ratione vincuntur. Cæterum vniuerſæ Galliæ tanquam pro certa atque adeo iam adepta fe*

Aa 2 licitate

licitate, mirũ in modum gratulor, quod eum qui præceptis philoſophiæ egregie excultus fuerit, regem etiam aliquando ſunt habiturę. Qui conſilijs atque fortitudine, æque prolatis imperij Gallorum ac Chriſtiani nominis finibus, ab extremis orbis partibus ad nos reuectus pulcherrimum ac iuſtiſſimum triumphum ſit acturus. Cum deuictis omnino nationibus quę Chriſtiano nomini ſunt infeſtæ, ſublato omni & bello et belli timore, pace terra mariq; parta non tantum uictori ipſi, quã tibi cuius pręceptis obtemperans, ad eum felicitatis gradum peruenit gratias acturi, nec minori cum admiratione regem ipſum quàm Theocrenum intuituri ſumus. Tunc etiam liberalium omnium diſciplinarum ampliſſimus prouentus, tanto fructu ſe efferret, vt non prouocaturos ſolum omnem antiquitatem, ſed ſuperaturos etiam longo interuallo nos eſſe confidam. Verũtamen quoniam propediem te viſurus ſum cætera in id tempus diſferemus, non enim mihi perſuadeo tantum hunc felicitatis curſum, aliquid in te priſtinæ facilitatis mutaſſe, niſi vt quantum uis tantundẽ amicis poſſis prodeſſe, ſuauitatẽ igitur congreſſus tui, perinde atq; antea mihi polliceor. Vale.

Hieronymo Grimaldo. Greg. S.

GRatias tibi habeo maximas, quod literas Franciſci ad me, tãta cũ diligentia reddi curaueris, longe etiã maiores habiturus, ſi viciſſim nunc operam dederis, vt noſtrę ad ipſum perferantur. Scripſit enim ad me, ſe ex quodam ciuium tuorum intellexiſſe, volumen, quo in eius ſcripta

inueherer,

inueherer, dudum à me parari. Quod & ſi nullo pacto nobis veriſimile ſit, coniectura facta ex ciuium tuorum, qui iſtic negociantur moribus, non tamen omnino mihi faciendum eſſe duxi, vt illi non reſcriberem, quod grauius de me conquerebatur, quam necdum inſtitutæ amicitiæ conſentaneum fuit; quod ſi fortaſſe verum nobis reſcribere voluerit, gratiſſimum mihi erit, ſi rurſus eadem diligentia perfeceris, vt ſumma cum fide Genuam litteræ perferantur. Vale.

Pamphilus Saxus. Greg. S.

VItam diui Geminiani huic ad me dato, quam ego compoſui, non, vt dictis facta eius æquarem. Non ſum enim tam amens, vt, quę mente non concipio, verbis explicare contendam, ſed vt quas poſſum, quando quas vellem non poſſum, gratias illi agerem. Nullum enim tam largum flumen ingenij eſt, tam ingens copia dicendi, quæ beneficia eius in nos collata, oratione complecti poſſit. Quare tam amplum eſt, quod illi debemus, vt nihil amplius ſit. Debemus enim aras, focos, arcem, corpora ſimul & animas. Quoties deuaſtati agri, depopulatæ fruges direptæ fortunę, & euerſa nobis mœnia fuiſſent? Quoties atrati in ſquallore & luctu omnes fuiſſemus? Ita me dij ament, vt non modo vrbs noſtra non extaret, ſed nec vrbis veſtigia viderentur. Quamobrem ſtudioſi omnes & præſertim hi qui litteris mitioribus (vt tu) politi ſunt iure tenentur Deo huic noſtro tutelari, maximum honorem, qui

propter

propter maxima merita cuipiam debetur, exhibere, hoc eſt, laudes cumulatiſſimas, cærimonias & cultũ præſtare. Sed de his ſatis. Lerinam tuam ad te mitto, cur enim tuam non appellauerim, quam tu, non ex putri ſemine, ſed ſincero & incorrupto genuiſti, quam nouus Iuppiter excuſſo capite, ſine matre procreaſti? protuliſtique fetum qui nulla vi, nulla iniuria frangi debilitariue poteſt. Eduxiſti illam ex tenebris in lucem, ex caligine in ſplendorem, ex nocte in diem. Igitur genuiſti. Noſtin' argumentationem? Verum te parentem probaui, quando nihil aliud eſt gignere quempiam, quam illi lucem, id eſt animam dare. Sed tu illuſtraſti eam, patefeciſti, in lumen in nitorem dediſti, quę in occulto latebat. Hæc anima hæc vita eſt. Quæ nec deleri tempore nec morbo aut ſenectute corrumpi poteſt: quando illam memoria alit ſuo nectare, & æternitas paſcit ambroſia. O quam magna & alta de te percipio, ſi vixeris. Sed viues ſi valetudinem curaueris, intermiſeris ſtudia, relaxaueris animum, et in te aliquando deſcenderis, & ad ſenſus redieris, roremque cœleſtem illum biberis, quem ego ſoleo Deum parentemque ſalutis noſtræ nõ immerito appellare. Quoniam ſine horrore remedia, ſine tormento curas, impunitam denique nobis ſanitatem gratis etiam offert. De Aquariano latice intelligo, in quo proculdubio incolumitas tua, & ſalus ſitæ ſunt. Cura igitur qua maiore potes diligentia, vt qui ſemper ſanctiſſime vixiſti, firmiter aliquando & proſpere viuas. Nec mireris ſi ſemel atq; iterum de curatione valetudinis tuæ

te admoneo,

te admoneo, tua enim cautio, mea cautio eſt, & in tua vita, noſtra conſiſtit anima. Vale.

Pamphilo Saxo Mutinenſi. Gregorius S.

SI tantum mihi deberet Lerina mea, quantum tibi Geminianus noſter, atque eo nomine ciues tui, non recuſarem, quin me & datorem lucis & parentem appellares. Video vero laudationem meam tantum ab eius loci pulchritudine ſuperari, quantum tu ad Geminiani maieſtatem ingenio & eloquentia proxime accedis. Nā vt verum fatear, tum ſuperi omnes & pie & caſte venerandi ſint, ſacriſq; & cærimonijs propitiandi; præcipua tamen quadam ratione à communi patria honoribus, quam maximi excogitari poſſunt numen hoc tutelare noſtrum afficiendum eſſe videtur. Nec ea tantum de cauſa quod ciuis noſter, quod Pontifex fuit, ſunt hæc certe maxima, ſed longe illa maiora quę tu & copioſe & eleganter enumeraſti. In quibus mihi viſus es, cum admirandis eius viri meritis, amplitudine & magnificentia orationis velle contendere. Cæterum quod tantum mihi tribuis, & tantopere de ſalute mea ſolicitus es, magis certe vim quandam amoris incredibilem in te recognoſco, & iccirco me tibi plurimum debere cōfiteor, quam in me quippiam tale videam, quale tu de me tibi polliceri videris. Vtar tamen & conſilio & adhortatione tua in Aquariano latice bibendo, omniſq; à me adhibebitur diligētia, vt ſi ea res minus ex voto ſucceſſerit, nihil tamen à me prætermiſſum eſſe conqueri poſſis, eorum quæ ad corporis fir-

ris firmitatẽ valetudinẽq; recuperandã proficere poſſunt. Magis plane ut diutius ſuauiſſima conſuetudine tua cætero rumq; amicorũ mihi frui liceat, quã vt ſperẽ quippiã iucundũ ex ea re mihi cõtingere poſſe. Quid enim eſt cur inter aſſiduas ęgritudines, totq; & noſtra miniſtrorũ incõmoda diuturnitas vitæ nobis exoptanda ſit? Niſi fortaſſe vt, quo ea fuerit longior, ſic ego quotidie magis ingraueſcẽte vi morbi acerbius torquear. Vt omnibus qui me diligunt miſerabilis magis quã iucundus eſſe poſſim. Verũtamẽ ſi ſpes aliqua nobis oſtendetur cõmodius hac ratione viuendi, quãdo in uita mea animã tuã cõſiſtere ſcribis non cõmittam, vt, & ſi tã anxia cura ualetudinis meæ cauſa mihi admodũ moleſta eſt, humano generi tm̃ detrimenti afferã, ut aliqua noſtra negligẽtia, maximo uitæ tuæ fructu morte mea priuetur. Vale.

Φιλίππῳ Σαυλίῳ ἀρχιερεῖ. Γρηγόριος.

Γνώμας τινὰς τῶν παλαι σοφῶν ἀναλεξάμενος πέμπω σοι θεοφιλέστατε Φίλιππε. εἰ δὲ μήτι τῶν ἐμῶν, ἱκανῶς ἀναβεβλήσθω. εἰσὶ δὲ αὗται ὡς ἀπορήματα προβληθεῖσαι μὲν ὑπὸ ἀμάσιδος τοῦ αἰγυπτίων βασιλέως. διαλυθεῖσαι δὲ ὑπὸ τινὸς αἰθιοπίας βασιλεύοντος. ὡς φησὶ πλούταρχος κατ' ἐκεῖνον, μετὰ ταῦτα δὲ ἐν συμποσίῳ τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὑπὸ θαλοῦ κατ' αὐτὸν Πλούταρχον. ἄλλως, καὶ ὡς ἔοικε βέλτιον ἀποδοθεῖσαι. τούτου δὲ καὶ αὐτὸς κριτὴς ἔσῃ. οἶδα δὴ γὰρ σε καὶ τῶν ἐξωτέρως φιλοσοφούντων ταῖς γνώμαις, ὡς δεῖ, χαίροντα, καὶ κατὰ τοῦτο οὐκ ἀπάδεις τοῦ τῆς καθ' ἡμᾶς σοφίας σχήματος. βασίλειος ὁ μέγας καὶ ὁ θεῖος Ἱερώνυμος, πρὸς μαρτυροῦσι τῷ λόγῳ, ὁ μὲν διδάσκων ὡς δεῖ καὶ τὰ κατ' ἐκείνους ἡμᾶς ἐσθ' ὅτε μετιέναι, ὁ δὲ γε θεῖος Ἱερώνυμος πολλαχοῦ μεστὸς φαινόμενος τῆς τῶν ἑλληνικῶν παιδείας. οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἐν οἷς διέξεισι περὶ ἀπολλωνίου τοῦ τυανέως, καὶ τῆς ἰνδῶν τῶν βραχμάνων σοφολογίας, καὶ περὶ τούτων μὲν ἅλις. πρῶτον δὲ τέθεικα τὰς τοῦ αἰθίοπος ἀποκρίσεις, πρὸς τὰς τοῦ ἀμάσιδος ἀπορίας, μετὰ ταῦτα δὲ τὰς τοῦ θαλοῦ, τοῦ τῶν ἑπτὰ, διορθώσεις τε, καὶ ἔτι ἀποκρίσεις.

ἄμασις	ὁ αἰθίοψ	ὁ θαλῆς.
τί πρεσβύτατον	χρόνος	θεὸς· ἀγέννητον γάρ.
τί μέγιστον	κόσμος	τόπος. τὸν γὰρ κόσμον οὗτος περιέχει.
τί σοφώτατον	ἀλήθεια	χρόνος. τὰ μὲν εὕρηκε, τὰ δὲ εὑρήσει.
τί κάλλιστον	φῶς	κόσμος, πᾶν γὰρ τὸ κατὰ τάξιν τούτου μέρος ἐστί.
τί κοινότατον	θάνατος	ἐλπίς, καὶ γὰρ οἷς ἄλλο μηδὲν, αὕτη πάρεστι.
τί ὠφελιμώτατον	θεός	ἀρετή. καὶ γὰρ τὰ ἄλλα, τῷ χρῆσθαι καλῶς ὠφέλιμα ποιεῖ.
τί βλαβερώτατον	δαίμων	κακία, καὶ γὰρ τὰ πλεῖστα βλάπτει παραγενομένη.
τί ῥωμαλεώτατον	τύχη	ἀνάγκη, μόνη γὰρ ἀνίκητος.
τί ῥᾷστον	ἡδύ	τὸ κατὰ φύσιν.

Θαλῆς ἔφη τὸν χρόνον οὐκ εἶναι πρεσβύτατον, τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ γεγονὸς, τὸ δὲ ἐνεστὼς ἐστὶ, τὸ δὲ μέλλον, καὶ ὁ μεθ' ἡμᾶς ἐσόμενος χρόνος καὶ πραγμάτων τῶν νῦν καὶ ἀνθρώπων νεώτερος ἂν φανείη. ἡ ἀλήθεια οὐκ ἐστὶ σοφώτατον, τοῦτο γὰρ ὅμοιον τῷ, τὸ φῶς ὀφθαλμὸν εἶναι λέγειν. ἡ δὲ περὶ θεῶν καὶ δαιμόνων ἀπόκρισις θράσος ἔχει, καὶ κίνδυνον τῷ λέγειν ταῦτα περὶ ἐκείνων. ἄλογος δὲ καὶ ἡ περὶ τῆς τύχης, οὐ γὰρ ἂν μετέπιπτε ῥαδίως ἰσχυρώτατον οὖσα τῶν ὄντων καὶ ῥωμαλεώτατον. οὐδὲ ὁ θάνατος κοινὸς, οὐ γὰρ οἱ ζῶντες αὐτοῦ μετέχουσι. οὕτω μὲν τὰ τοῦ αἰθίοπος ἀνασκευάζει θαλῆς. σὺ δὲ ταῦτα εὐμενῶς τε ἀπόδεξαι, καὶ τῷ ἀδελφῷ σου Δομινίκῳ, καὶ τῷ θείῳ ἡγεμόνι τῆς ἱερωτάτης ἡμῶν συντάξεως, ὡς δοῦλόν με σύστησον. ἔρρωσο μεμνημένος του σοῦ Γρηγορίου.

Φιλίππῳ Σαυλίῳ. Γρηγόριος.

Ἐγὼ πρὸς τὸ γράψαι ταῦτα πολλῷ τινα χρόνον ὤκνουν, ὁμολογῶ. ἡ δὲ αἰτία θεσπέσιε Φίλιππε, διὰ τὸ μὴ δύνασθαί με σοὶ χαρίσασθαι φίλων ἀρίστῳ, καὶ λογιωτάτῳ, τῶν καθ' ἡμᾶς. ἐπειδὴ γὰρ τῶν ὑμετέρων τις κόσμιος, καὶ φιλόφρων πολλάκις με προὔτρεψεν ἀφικέσθαι πρὸς ὑμᾶς, δίς που καὶ τρὶς τὸ πρᾶγμα σκεψάμενος, εὗρον ἀδύνατόν μοι παντάπασι τὰς ἐνταῦθα παρεῖναι διατριβάς. πάντα δὲ τὰ κωλύοντα μαθήσῃ παρὰ τοῦ προειρημένου. οὕτω μὲν ὅσον ὤκνουν,

ὡς ἔφην, πρὸς τὴν ἐπιστολήν. φίλον δὲ εἰδὼς ἀδικεῖν, εἰ καὶ ἄκων, καὶ ταῦτα φίλον τοιοῦτον. σὲ φημὶ τὸν θεοφιλέστατον Φίλιππον. ἀλλὰ ἀναμνησθεὶς σου τὸ φιλάνθρωπον ἐπὶ σοῦ μὲν ἀπόντος ὑπὸ δὲ τοῦ σοφοῦ καὶ θείου Διονυσίου παρόντος πάλιν ἐθάρρησα, προστατεῖς ἐπιστείλαντι. καὶ πρὸς τὸ μέλλον ἀποβλέπων σου δέομαι γράφειν τὰ ἐπιστολαί μην σοι χαρίσασθαι προσαπλοῦντι οἶδε δὲ καὶ παρῴμιοι προσέλαθες ὁσημέραι. ἔρρωσο.

Dionyſius Monachus. Gregorius S.

B*Aptiſta noſter, cum ſeſe ad nos recepiſſet, gratiſſimum nobis de tuo iſtuc aduentu nuncium attulit, niſi quod ex nauigatione, te ſolito imbecilliorem eſſe aſſerebat. Atq; ideo effectum, vt ad nos (ſicuti promiſeras) non naui garis. Scito enim reditum tuum ad nos, omnibus futurum optatiſſimum. Cuius dilatio cum omnes moleſtia afficiat, me tamen eo magis angit, quo maiorem ex conſuetudine tua fructum percipere conſueui. Tua enim ingens in me huma nitas, locataq; beneficia (vt interim de ornatiſſimis moribus ſileam) tam arcte me tibi deuinxerunt, vt ſi te non amem, non tam ruſticus aut ingratus, quàm etiam impius mihi eſſe uidear. Quare, nõ me diocriter adhibenda mihi cu ra eſt, vt eorũ memoriam (quando tibi gratiam referre non valeo) nulla vnquam aut locorum aut temporum ſpacia delere potuiſſe videantur. Tuli vero ægerrime tabellariorum tantum fuiſſe incuriam aut certe perfidiam, qua nimi rum ſit factum vt noſtræ tibi litteræ minime redderẽtur. Nam Graſſenſis tuus, cum mihi tuis rebus ſemper fauere viſus ſit, tũ vero lectis litteris tuis, quibus de tuo ad nos reditu ſententiam tuam aperiebas, perſpectus eſt à me toto animo de te ac de tuis commodis cogitare. Communica-*

tiſq;

tis q; mecum (quæ eſt eius in me humanitas) tuis litteris, atq; eius de te ſententia, reſcripſit ad te ne ſe diutius in tui deſyderio eſſe paterere. De qua eadem re, & ipſe iam binas ad te literas dedi, quibus eius quem in te habet animi admonebam. Js tibi iam ad faſtigium vſq; cubiculum ex animi tui voto extruxit. Quod omni tumultu ac ſtrepitu liberum tuis ſtudijs maxime commodum futurum non dubito. Huic hærebit ambulatio non minus iucunda quàm ab omni hominum acceſſu ſecreta & remota. Multa præterea tibi quæ ad negocium pertinent ſcribere poſſem, quæ de induſtria omitto, quòd ſperem te propediem ad nos venturum. Solum hoc addam, quod & ſi virtus tua multos tibi amicos conciliauit, caue tamen putes aliquos te aliquando habiturum, cum quibus æque libere ac iucunde agere poſſis quàm cum Graſſenſi noſtro. Cuius vel tota cura in id videtur conferri, quomodo tuis ſeſe optatis accommodet. Vale.

Dionyſio Monaco. Gregorius S.

Nihil noui nobis litteræ tuæ nunciarunt, nequaquam enim mirum eſt, aduentum meum iſtuc vobis eſſe optatiſſimum, quando is eſt meus amor erga vos omnes, vt ſi ei reſpondere volueritis, non minori vos expectatione meæ ad vos profectionis, quàm me veſtri viſendi deſyderio neceſſe ſit detineri. Non quod me cuipiam veſtrum longo interuallo comparem, aut quippiam putem in me eſſe, quod tantoperè à vobis deſyderari debeat, ſed quod eiuſmodi

deſyderia, non rei ipſius precio, ſed menſura amoris extima ri ſolere non ignoramus, recte enim Theophraſt. ait. Τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον. *Litteras vero tuas vel perfidia uel negligentia tabellariorum periiſſe, tantopere doleo, vt nihil mihi eiuſmodi iactura moleſtius accidere potuiſſe putem. Cum enim nihil magis optem, quàm vt tecum quandiutiſſime viuam, vtarq́; & gratiſſima tua conſuetudine & ſuauiſſimis congreſſibus, tãtiſper certe me allocutus fuiſſes, donec ego literas tuas perlegiſſem. Quare conſequens eſt, illud in epiſtolis tuis contingere, quod vt quæq; longiſſima eſt, ita mihi maximopere ſit iucunda. Omitto quod coniectura ex cæteris facta, certiſſime mihi perſuadeo, nihil illis litteris ornatius & elegantius fieri potuiſſe. Quo fit, vt damnum quod ex earum iactura fecimus ea ratione multiplicetur. Quod vero de Graſſenſi ſcribis, ſcito me omnino operam daturũ, vt non fruſtra tantus uir adeoq; mei amans, aduentum noſtrum diutius expectet. Mihi enim impoſitam eſſe video honeſtiſſimam neceſſitatem aſſidue cogitandi, ſi qua ratione tot illius in me collatis beneficijs opere reſpondere poſſim. Verum quia id non modo arduum & difficile, ſed pene infinitum eſſe videtur, enitar certe quoad eius fieri poterit, vt in ea re gratitudinem animi mei aliqua ratione cognoſcat. Et quoniam (vt ais) & cubiculum & ambulationem nobis tanto ſtudio parari fecit, quod ad ædificationis formam attinet ex animi mei voto, & quod maximæ mihi voluptati futurũ eſt, ab omni ſtrepitu tumultuq; hominum remotiſſimum, nihil iam apud me antiquius erit*

quàm

quàm vt ad viri liberaliſſimi meiq; amantiſſimi magnifica munera perfruenda confeſtim aduolem. Mihiq; certiſſime perſuadeo, inter tantam expectationem veſtram, me repente vobis in expectatum ſuperuenturum. Vale.

Dionyſio monaco. Gregorius S.

CVm elapſis paulo ante diebus prolixas ad te litteras dederim, nulla omnino cauſa eſſet, cur te tam frequenter obtunderem, niſi me tam etiam fideliſſimi huius nuncij opportunitas prouocaſſet, quam ſi elabi permitterem contra officium me omnino facturum eſſe arbitrarer. Breue eſt igitur quod te vt rogem meus in te amor cogit, nimirum, ne nos in tui deſyderio diutius eſſe patiare. Quāquam te id fuiſſe facturum intelligo, niſi nouum aliquod negocium iſtic adhuc dies aliquot manere te inuitum coëgiſſet. Gaudeo planè, te in animum induxiſſe, nullum eſſe locum qui honeſtiſſimis tuis optatis tam pulchre reſpondeat, quàm hic noſter, vbi literato ocio ac quiete, inſuper & iucundiſſima amicorum conſuetudine frui poſſis. Nam & ſi vbiq; multos eſſe credo, qui cum te norint amare (quod ſine adulatione dictum ſit) merito cōpellantur: nuſquam tamen facile inuenias quibus æque carus ſis ac nobis: quibuſque tui aduentus æque ſit in uotis. De me omittam dicere. Graſſenſis noſter ſola tui memoria ſe mille curas mitigaturum mihi aſſeruit, cum quo nunquam mihi eſſe contingit, quin plura de te loquentes ſpacia conficiamus. Sed tu ipſe, eius in te animum hic coràm melius perſpicies. Præterea, Auguſtinus

Seraptus,

Seraptus, qui has ad te meo nomine attulit, Graſſenſi noſtro eſt a ſecretis, hunc ſi tibi commendem, importunè ſatis me acturum puto, cum tua humanitas benignitaſque ſeſe eiuſmodi viris etiam vltro exhibeat, homo eſt cum bonis litteris, tum honeſtis moribus præditus, tuiq́; imprimis ſtudioſiſſimus. Vale.

Dionyſio Monaco. Greg. S.

NEquaquam vos hactenus ſuſpenſos habuiſſem expectatione aduentus noſtri, niſi me Federicus Salernitanus Pont. ad hancuſq; diem detinuiſſet, qui tot tantaq; beneficia in me contulit, atq; adeo vehementi amore proſequitur, ut nihil maius aut vehementius fieri poſſe mihi certiſſime ſit perſuaſum. Et quoniam dubius animi inter Graſſenſem Salernitanumq́; pendeo, vereor, ne is me ſibi totum vendicet, cui nunc me totum contingit poſſidere. Accedit quod cum tumultuoſiſſima tempora ſint, nequaquam his quibus cum hoc negocium contuli, tutum fore viſum eſt vt mari terraq; (vt nunc ſe res habent) periculoſiſſimo itineri me committam. Præterea, cum hæc ciuitas (ut noſti) factionum diſcordijs agitari conſueuerit, nuper in mentem Federico venit (vt eſt optimus atq; ſanctiſſimus) omne ſtudium cogitationemq́; in id intendere, vt ea, quæ totam ſe illi nunc credidit, patria, omnino ad concordiam reuocetur. Quæ in re id minimi facit, quod longe maximum ferè omnibus videri poſſet. Nam ſi id quod tantopere cupit aſſequetur, omnino illi dominatu atq; imperio eſt concedendũ.

Tanta

Tanta vero eſt eius erga patriam pietas, vt non abſq; imperio ſolum, ſed exul etiam & extorris (ſi ita communibus rationibus conducet) quod reliquum vitæ illi ſupererit ſit acturus, modo florentem tranquillamq; patriam derelinquat. Et quoniam maximus eſt mihi in hac ciuitate amicorum numerus, nec ferè aliquis eſt ex principibus, qui non mihi ſit coniunctus arctiſsima conſuetudine, diligentiſsime mecum egerunt, cum Federicus ipſe, cũ alij complures, quibus publica hæc concordia maxime cordi eſt, vt nihil omnino de diſceſſu meo cogitarem, ſecuturos enim eſſe quamplurimos & conſilium & adhortationem meam. Quare, nequaquam mihi integrum fuit, id negocium derelinquere, pro quo etiam ſi longiſsime abeſſem, Genuam ſtatim eſſem aduolaturus. Præterea, & ſi ſcio me tibi non iucundiſsimum nuncium allaturum, vt tamen amici memoriæ iuſta perſoluere poſsis, nullo pacto mihi committendum eſſe duxi, vt non te de ea re facerem certiorem. Scripſit ad me Petrus Bembus, Longolium noſtrum nuper, diebus aliquot continua febri vexatum deceſsiſſe. Nihil addam amplius. Tu qui eius viri virtutes probitatem & doctrinam æque atque ego cognoueras, facile cogitabis, quantopere nobis pro tam graui caſu ſit dolendum. Ego quidem ita affectus eo nuncio fui, vt nunc demum me intelligere putem amoris vehementiam qua viuentem illum proſequebar. Non igitur fraudabo amicum debito teſtimonio. Maxima & præclariſsima ingenia ætas noſtra protulit, unicus tamen mihi Lõgolius extitiſſe videtur, in quo cum virtute probitas, cum

vtraq;

utraq; ingenium: poſtremo cum his omnibus candor, atque iudicium decertarent. Cæterum, Seraptus ille tuus, quem tantopere mihi commendas, ſi bonis litteris præditus ſit, nõ ſatis ſcio, cum certus ſim illum penitus honeſtis moribus carere. Exceptus enim a me humaniter & benigne, & fratri meo qui Mutinæ erat arctiſſime conciliatus, poſt maxima beneficia accepta, ſic ab eo diſceſſit, ut me etiam ſcribere pudeat, in quantis criminibus ſit deprehenſus. Neſcio uero qua ratione accidere potuerit, ut in diuturna intimaq; conſuetudine, mores adeo damnandi à Graſſenſi noſtro detecti non fuerint. Vale.

Franciſcus de Sancto Venerio. Greg. S.

SVm miratus, quod, cum cæteris, qui eodem tempore, quo ipſe, ad te ſcripſerunt, & alijs etiam, qui nunquã literas ad te dederant, reſponderis, mihi nihil adhuc ad ea quæ volebam reſcripſeris. Quid vero eſt quare id accidiſſe ſuſpicer, niſi vel te noſtri penitus oblitum, vel te hoc mearum literarum officium damnaſſe putem? Ego tamen tui ſemper memor ero, te & præſens & abſens equidem ſemper amabo. Non enim ex eo hominum numero ſum, qui præſentes tantum amant, abſentes vero obliuiſcũtur. Nec te literis appellare deſinam, quotienſcunq; mihi ſcribere vacabit. Itaq; contemnas licet hoc meum ſcribendi officium, qui quanti te faciam quàmq; amem, vel illud certiſſimum eſt argumentum, quod de te ſummo ſtudio & diligentia ex omnibus qui iſtinc veniunt, & quos nactus

ctus ſum, ſemper quæſiui, quod nunquam tam ſedulo feciſſem, niſi te mirifica vi amoris proſequerer, qui in amore in te meo haud quaquam puto me à quoquam ſuperari, vt ex eo qui tibi literas meas reddet, diligentius intelligere poteris: quæ res eſt mihi ad breuitatem aptior. Sed de literis & de meo in te amore hactenus. Decreueram, ſi vis peſtilentiæ maior ingruiſſet, quod tamen ſperandum in melius eſt, iſtuc me conferre, vt talia tempora tecum exigerem, ſed dubitaui ne reciperer. Mihi ſane rem gratiſſimam feceris, ſi opuſculum illud, quod erat alligatum meis ad te literis, e veſtigio limatum expolitumq; remiſeris, quod certe ſcio in cauſa fuiſſe, ne literas abs te acceperim. Poſthac ero prudentior. Ego amico noſtro qui libellum à me quottidie cultũ repoſcit, intra reſurrectionis dies, me abs te accepturum pollicitus fueram: te obſecro & obteſtor, cures ad me tuto perferendum. Hoc à te ita peto & contendo vt nihil vehementius abs te vnquam contenderim. Vale.

Franciſco de Sancto Venerio. Greg. S.

A Ccidit tabellariorum negligentia, vt vterq; noſtrũ de altero conqueri poſſe videatur. Ego binas ad te literas dedi, quas ex tuis coniicio redditas non fuiſſe, cum viciſſim quoq; abs te nihil literarum acceperim. Illud certe mirum mihi videtur, quid cauſæ fuerit, quod cum cæteri omnes, ad quos epiſtolas dedi, ſumma cum fide illas ſe accepiſſe ad nos nuper reſcripſerint, tu ſolus à tabellarijs ſis præteritus. Quare diligentiſſime danda eſt in poſterum opera

Cc vt &

ut & iſtec iactura ſarciatur, & crebritate literarum omnis ſuperetur tabellariorum negligentia. Nam & ſi omnino ſilere ſtatuiſſem, excitant certe nos mirificus ille amor erga me, quem poſtrema epiſtola tua declarat. Scribis enim, te quamuis illud tuum ſcribendi officium à me contẽni perſpexeris, iccirco tamen deſiturum non eſſe nos literis compellare. Ego uero tam nequeo officium tuum hoc pleniſſimũ amoris & humanitatis contemnere, quàm tu me abſentem non potes obliuiſci. Cum enim in cęteris omnibus me abs te ſuperari facillime patiar, nunquam in mutuo amore noſtro tibi ſum conceſſurus. Cęterum mirifice gaudeo peſtilentiã iſtic remiſſius deſæuire: uix enim dici poteſt, quanta me moleſtia affecerit ciuitatis iſtius miſerabilis ſimul atq; diuturna calamitas. Quæ licet omnibus merito deflenda eſſe uideretur, parum tamen abfuit, quin inter maximos mœrores, nuncium mihi: attulerit optatiſſimum gratiſſimi aduentus tui ad nos, niſi tu inconſulte omnino ueritus fuiſſes, uti à nobis non reciperere: tantum enim abfutura fuit à nobis adeo ſæua inhumanitas, ut etiam omnes tibi obuiam fuerimus prodituri, excepturiq; publico cum apparatu cariſſimum hoſpitem. Quod præterea uereris opuſculum illud in cauſa fuiſſe, ut non literas à me antea acceperis, fateor certe me ea de re nihil omnino hactenus reſcripſiſſe. Qua enim ratione fieri poſſe putaſti, ut nunc demum primis grammatices rudimentis denuo operam darem? & quantitatem ſyllabarum pedumq; menſuram, ſic anxie examinarem, ut ſi deſyderio tuo uoluiſſem ſatisfacere, mihi rurſus fuerit

rit repuerascendum. Quare, recte facies ſi, ut ſcribis, poſthac fueris prudentior & diligenter cogitaueris, quidnam à quoq; potiſſimum ſit requirendum. Vale.

Benedictus Theocrenus. Greg. S.

ET ſi quid mihi faciendum eſſet intelligebam, cũ Chriſtophorus Longolius iuuenis eruditiſſimus, tanta cum modeſtiæ præfatione ad te ſcriberet: tamen Stephanus Saulius poſtquam tuas ad Longolium, Longoliiq; rurſus ad te literas mihi legendas dediſſet, tui erga nos amoris, qui nullius in te meriti nobis conſcij ſumus, vehementiam ita expreſſit, ut tàm alicuius audaciæ quàm ingratitudinis nota, labi màluerim. Vide, te quæſo, quanti faciam me ab homine ornatiſſimo amari, qui hac infantia maximam eloquẽtiam prouocare non verear, Cenſento ſane me alij temerarium tanquam minimum penſi habeam te ipſo literis appellando, cui ſummi viri primas deferunt, ſeque, omnem reuerentiã ſcribendo prætendentes inſinuant, dum, quantum ob iſtam optimam voluntatem debere me tibi exiſtimem, quouis dicendi genere declarem. Nos quidem præ uobis, hoc eſt, eruditis ἀνθρωπίσκοι *ſumus, ſed non continuo* οὕτως ἄμουσοι *ut non plurimi eſtimemus, quicunq; de literis bene merentur, in quo tu ordine, quem locum tenere mihi videaris, ſi dicere incipiam, magnopere timeo, ne aliquam me hinc tibi amoris gratiam oblique referre ſuſpiceris, potius quàm ita omnino ſentire. Quanquam, quas tibi laudes apertiſſime contribuit Longolius, eæ à cæteris qui te poſt Longolium laudauerint,*

rint, omnem aſſentationis aleam deprecantur, tam acri eſt ille (ut inter omnes literatos conuenit) iudicio. Sed qualiſcunq; ego fuerim, miro quodam deſyderio tui adeundi uidendiq; totus flagrare cœpi, ex quo meus Saulius aſſeuerãter teſtatus eſt, ad illa τὴν ἐγκυκλοπαιδίαν, quæ tibi, aut uni fortaſſe, aut certe omnium conſummatiſſime, hac ætate ineſt, accedere incredibilem quãdam morum ſuauitatem & candorem, quo nomine, quãto etiam impenſius te diligam atq; obſeruem, haud facile dictu exiſtimo. Vt taceam quod ultro amantem non amare atq; complecti ἀπανθρώπου, nedum ἀπαιδεύτου ſemper duxi, præſertim talem uirum & tã ſtudioſum amicitiæ. Auget te coram alloquendi ardorem tum religio, tum amœnitas iſtius fortunatiſſimi ſeceſſus, quem mihi cum Saulius, ut eſt ingenioſiſſimus, adamuſsim depinxerit, uerius tamen neſcio quomodo ante oculos poſuit, & ſpecioſiorem reddidit illud tuum carmen eruditum, facile argutum, καὶ συνελόντι εἰπεῖν Horatianum. Sordeſcerent priſcis hominibus, ſi adeſſent, cum Pythagora Croto, Metapuntus, Tarentum & demum quicquid fuit ἑλλάδος τῆς μεγάλης modo propter te inſulam inuiſerent omnium quas mare circunluat μακαρτάτην, quod ſi per Patronos meos Octauianũ et Federicum Fregoſios, quos fama tibi notiſſimos eſſe audio, ad te iſtuc proficiſci licuerit aliquando tum Corteſio amici & diſcipuli coram nomen iucundiſſime profitebor, & in uerba tua ſanctiſſime iurabo, poteris enim non minus poſtea diſcipulum abſentem docere, quam amicum mutuo amare. Vale.

Benedicto

Benedicto Theocreno, Greg. S.

SVperiore epiſtola pauca ad te de Saulio noſtro ſcripſi, ne eſſem omnino longior, quàm eiuſmodi literarum ratio poſtularet. Nunc vero (modo tibi ad legendum ocium conceda tur) longiore epiſtola narrare conſtitui, vt cumprimũ huc adueniens nobis ſe impoſuiſſe crediderit, et vt ego cor meũ oculis cõfixis, illud ei dicere potuerim. Docte Ligus patrias nequicquam lubricus artes tentaſti. Prima nanq; die eius hebdomadis, quæ Chriſti Seruatoris morti dicata eſt, dum ego ſolus in ſecreto eſſem, repente nunciatur hoſpites quoſdam Lerinam applicuiſſe, eoſq; vehementer poſtulare, vt me coram alloqui liceret. Ill ico iuſſu meo benigne intromiſſi exceptiq; humaniſſime (ſic ſe enim collegij noſtri mores habent) Deum adoraturi, ad templum deducuntur, vbi ego obuiam illis factus, eum qui mihi inter cæteros honoratior eſſe videbatur, manu apprehenſum percunctari cœpi, qui mortales eſſent, aut cuius rei gratia illuc eſſent profecti. Ille vero ad diu iam antea cogitatam fraudem deuolutus, mercatorem Genuenſem ſe eſſe ſimulat, Maſſilia illuc profectum vt per eos dies nobiſcum ſacris operaretur. Tum vrbane complexis liberum eſſe dixi, vt quandiu vellent apud nos hoſpitarentur. Dumq; eum qui hoſpitum ſuſcipiendorũ curam habet acceſſitum, expectarem, aliquot ſpacia cum Saulio ambulando confeci. Ibi vero ſtatim ille de literis loqui cœpit, & copioſe & eleganter, atque ea ratione, vt facile appareret in eo cum maxima doctrina ſummum iudicium

eſſe

eſſe coniunctum. Admirans ego, ecquid fieri poſſet interrogaui, ut & literis & mercaturæ adeo intentam operam nauaret, cum neminem ex eo genere hominum aliquando allocutus fuiſſem, qui præter accepti expenſiq; tabulas quippiam literarum ſe ſcire profiteretur. Subridens ille. Nihil inquit literarum noui: ſed cum totum pene orbem noſtrates perambulent, neceſſe eſt ut interdum etiam cũ doctis uiris congrediantur, quorum conſuetudine aliquantiſper eruditi, deinde quæ audierunt, non quæ ex libris didicerunt, loqui conſueuere. Ego tamen interim uultũ uiri, & quam appoſite de literis loqueretur conſyderans, ſtatim ſuſpicari cœpi, dolum aliquem ſubeſſe eiuſmodi tamen ut ſperarem nequaquam mihi pœnitendum eſſe, quod eo pacto deciperer. Egregia enim uiri indoles, & morum honeſtas literis condita, ut non aliud expectarẽ mihi facile perſuadebant. Sic tamen ab eo tunc diſceſſi, ut magis cum docto uiro, quàm multorum negociorum conſuetudinem mihi futuram eſſe exiſtimarem. Erat forte nobiſcum quidam ex maritima Liguriæ ora, qui, quod diu Genuæ commoratus eſſet, principes ferè omnes ciues de facie cognoſcebat. hic, cũ eodem pacto Saulius ſe ei impoſuiſſe crederet, paulo poſt me ſolum conuenit, nunciatq; eum eſſe Stephanum ex opulentiſſima Sauliorum gente, qui etiam in ordine Cardinalium fratrem habuiſſet. Tunc iuſſus eſt à me omnia ſilentio tegere, ne ea res moleſtiam hoſpiti afferret, cuius fortaſſe rationibus conduceret, uti ne à nemine proderetur. Me etenim captato tempore, hoſpiti meo perſonam illam ſimulatam detracturum.

ctum. Die quæ inſecuta eſt, rurſus cum eo diutius commoratus tandem de opulentia gentis Sauliæ ſermone de induſtria inſtituto, Stephanum cœpi de Stephano percunctari. Et primo qua ętate eſſet minimus ille Cardinalis frater, quem literis operam dare intellexeram: tunc ipſe vix riſu compreſſo, æqualis, inquit, meus eſt. Ego uero, quomodo, inquam, de ingenio moribuſq; eius ſentis? erubuit ſane, nec tamen negare auſus eſt, quin quod erat de ſeipſo ſentiret. Poſtremo tamen diſceſſurus, totum ſe nobis aperuit. Ductum ſe illuc dicens noſtri viſendi deſyderio, & quoniam mira eſſent quæ de ſacerdotum illorum doctrina & moribus intellexerat, iccirco perſonam à ſe diſſimulatam, quo liberius familiariuſq; vniuerſa explorare poſſet. Atq; vt eius teſtificatione vtar, reperiſſe ſe omnia expectatione ſua longe maiora. Iccirco daturum ſe operam, vt apud nos diu permanſurus, confeſtim reuerteretur. Velle ſe in ea ſolitudine inter viros & pietate & doctrina excellentes, triennio ſaltem literis diligentiſſime operam dare, habiturumq; Chriſtophorum Longolium & alios complures doctos viros, eius deſyderij participes. Qua quidem de re, paucis antea diebus Longolius ipſe ad me ſcripſerat. Explicui tibi ſcenam perſonati Saulij noſtri, qui nunc tam auide à nobis expectatur, quàm libenter eius conſuetudine fruituros nos eſſe ſperamus. Videre iam mihi videor, bonarum literarum ſtudia in hoc ſeceſſu ſe efferētia, vt nec Lyceo nec Academiæ ſimus conceſſuri. Quod eo libentius ad te ſcripſi, quo te maiore cum diligentia conſyderare volo, quanta fęlicitate ſis

cariturus

cariturus, ſi non omnino operam impenſiſſimam dederis, vti in hoc doctorum hominũ collegio viuere valeas. Qua in re non modo Octauianum Federicumq; principes meos, deſyderio tuo non aduerſaturos eſſe confido, ſed ſi à te præclaram hanc occaſionem negligi ſenſerint, vim etiam adhibituros, ut cum cęteris quam ocyſſime huc aduoles, quod vt libenter facias, tẽ, cum tua, tum etiam mea cauſa, vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Vitalis monacus. Greg. S.

NEſcio mihi potius an tibi gratuler pro hac dignitate tua Gregori pater, quam tibi his proximis commitijs præclariſſima virtute & ornatiſſimis moribus comparaſti. Tibi enim non mediocrem video gloriam acceſſiſſe, cui tantum honoris gradum, te præſertim inuito, & patribus vnanimiter ſuffragantibus, aſcendere licuerit, vt non minus optimam omnium de te opinionem ſuperaturum putem, quàm ſemper antea maximam expectationẽ concitaris: nec id quidem immerito. Tantam nanq; apud omnes exiſtimationem incredibili virtute tibi comparaſti, vt laus tua nõ obſcuro nec vario ſermone, ſed & clariſſima & vna omnium voce prædicetur. Mihi autem non paruã decoris & ornamenti acceſſionem factam eſſe puto, cui tali prælatione decoratum liceat habere præceptorem, qui & ſuo ſplendore omnès diſcipulos illuſtrare poſſit, & maximi autoritate, incredibili ſit futurus emolumento. Tibi igitur iterum gratulor pro hac dignitate tam maxima quàm benemerita, quam

& ſi

& ſi nunquam ambitioſe quæſiſti, ſplendore tamen virtutis, & morum grauitate promereri ſtuduiſti. Mihi quoque rurſus gratulor, quoniam et voti mei compos effectus ſum: & iam nihil aliud cupio, niſi vt te videam, fruarq; & cõſuetudine & ſuauiſſimis ſermonibus tuis. Poſtremo ſcias uelim, me vt huius dignitatis culmen aſſequereris, omnem operam & ſtudium adhibuiſſe. Quam poſteaquam maxima cum omnium gratia, fauoreq; adeptus es, primus agnoui, nouem virorum ſyngraphas, vt moris eſt, ipſe ſcrutarer. Dij te fauſtum felicemq; conſeruent, ac ad meliora ſemper digrioraq; vt promeritus es, te prouehãt, ut et tibi tuiſq; ac ſacre religioni decus immortale acquiras. Quam cum diu feliciſſimeque gubernaueris, in eius tandem ſinu, cum ſenueris, fauſtiſſime requieſcas. Vale.

Vitali Monaco, Gregorius S.

ET. ſi intelligo gratulationem tuam ab amico animo proficiſci, coniecióq; mirificam voluptatem, qua, ex eo qui mihi nuper demandatus eſt magiſtratu, affectus fuiſti: Et iccirco pro tali voluntate, fieri nequit, vt non tibi immortales gratias agam. Illud tamen te ſcire volo, nihil vnquã mihi acerbius accidiſſe, nihilq; poſthac accidere poſſe quod grauius feram, quàm moleſtiſſimum eiuſmodi adminiſtrationis onus. Nec minuit dolorem quod mihi nihil tale expectanti repente iſtuc obrepſerit, niſi eatenus quoad apud omnes conſtare gaudeo, me & voluntate & animo ab eiuſmodi curis remotiſſimum, id nequaquam ambitioſe quæſiſ-

Dd ſe, quod

ſe, quod vltro etiam oblatum mirum in modum me angit & excruciat. Quod illis certe vix veriſimile fieri poſſe puto, qui inania hæc dignitatum nomina, tanto ſtudio conſectatur, vt pro illis etiam digladiari non erubeſcant: nihil ex inenarrabili ſolicitudine adepturi pręter infinitas moleſtias & curarum incredibilia tormēta. Quodq; his omnibus magis eſt admirandum, complures eſſe intellexi, qui, cum priuate vitam agentes, vix idonei fuerint ad ſemetipſos regendos, maxima tamen ambitione vt cæteris præficiantur contendunt: vt non ſecus mihi agere videantur, ac ſi quiſpiam non ventorum modo & tempeſtatum, ſed nauigandi etiam penitus inſcius, onerariā nauem pręcioſiſſimis onuſtam mercibus, inter fluctus maximos & aduerſas tempeſtates regere concupiſcat. Quid enim precioſius humanis animis excogitari poteſt? quos cum ex huius vitæ procellis in portum ſupernæ patriæ deducēdos ſuſceperint, plerunq; facto naufragio complures in profunda demergunt. Nec abnuo eſſe aliquos, quibus tuto nauis huius gubernacula demandari poſſint; ſed eos cum pauciſſimos eſſe, tum etiam inuitos coactoſq; ad clauum regendum accedere non ambigo. Eoq; potiſſimum argumento prudentes ab imperitis diſcerni poſſe, quod priores onus maximū expēdentes, quoad ipſorum fieri poteſt, diffugiunt & reluctantur: inſcij vero illi tanta cum auiditate id appetunt, vt ſi præteriti fuerint, doloris vehementiam nequeant diſsimulare. Quare non minimam infelicitatis partem eam eſſe duco, quod nouem viri adeo vnanimes fuerunt, ad me ex priori trāquil

litate

litate deturbandum, vt nihil aliud pręter acerbiſsimam memoriam nobis reliquerint priſtinę conſuetudinis. Cęterũ inter mala quibus vrgeor, non minimum illud nobis ſolatium continget, ſi vel tibi, vel condiſcipulis tuis alicui emolumento hæc dignitas eſt futura. Qua in re, meum erit honeſtiſsimis omnium votis obſequi, ueſtrũ autem quid à me deſyderare de beatis diu multumq; cogitare. Vale.

F. Fregoſio. Gregorius S.

Cum nihil mihi gratius nihil iucũdius accidere poſsit, quàm vt diu & familiaritate & conſuetudine tuã fruar, hoc mihi præſtitit aduentus noſter ad te. Et ſi enim ęgnobij noſtri negocia imprimis huc me pepulerunt, deſyderium tamen viſendi tui, id quod cunctanter & timide fueram facturus, vt libenti animo alacriterq; à me fieret, mihi perſuaſit. In hac tamen mirifica noſtra voluptate, illud intercidit incõmodi, quod cum abſens crebras à te literas accipere conſueuerim, & illas quidẽ pereleganter & amiciſsime ſcriptas, nunc cum in illarum locũ mutua colloquia & quotidiani congreſſus ſucceſſerint, omnino ſcribendi vſu intermiſſo, ſummopere verendum eſt ne ceſſatores maximi efficiamur; & ſi nullum tibi inde video periculum iminere, quod ea ratione ſtyli poſſeſsionem vſu mancipioq; vt ita dicam, tibi propriam feciſti, vt non modo de ea depelli non poſsis, ſed & ſi ſponte illi cedere volueris, nequeas tamen quantumuis diuturno tempore, ab eius dominio dimoueri. Mihi uerò qui nullam ferme facultatem, minimo

certe vſu ſtabilitum nactus ſum, magnopere cauendũ eſt, ne ex balbo & infanti omnino mutus efficiar: Quare, non tantum patienter feres, ſi literis meis ocium tuum interpellauero, ſed & pro perſpectiſſima mihi humanitate tua, interdum etiam reſcribere non grauaberis: Et ſi enim uideo quàm impudenter agam, qui a tanto uiro id petere audeam, quod etiam ſalua modeſtia mihi poteſt denegari, fecerunt tamen humaniſſimi mores tui, vt etiam verecundiæ fines apud te tranſgredi non omnino impudentis eſſe mihi perſuaſerim. Quod & ſi eo nomine me literis tuis accuſare volueris, longe tamen mihi erit iucundius literas abs te accipere quàm moleſtum, impudentiæ nomine accuſari. Vale.

Iacobo Sadoletto. Greg. S.

QVod hactenus ad te literas non dedi, cũ multis antea menſibus abs te acceperim epiſtolam pleniſſimam humanitatis ac beneuolentiæ, nolim tibi perſuadeas id, aut negligentia, aut obliuione noſtra accidiſſe, ſed quod & difficillimo bello & belli metu aſſidue vexati, maximiſq; præterea affecti calamitatibus, vt pleraq; omnia, ſic & hoc ſcribendi officium coactus ſum intermittere. Nunc autem ob eaſdem moleſtias Lugdunum pulſus, cum apud virum tui amantiſſimum Federicum Pont. Salernitanum diuerterem, mirifice accidit, vt is certum hominem ad te mitteret, cuius opportunitatem nactus, plurimum mihi viſus ſum in amicitiam peccaturus eſſe, niſi ad te qualeſcunque has literas darem. Quibus & aliquando tibi gratias agerem,

rem quod negocium meum pro quo ad te ſcripſeram cum Pont. Max. tam amice confeceris, & me hic diutius futurum te facerem certiorem. Nam cum antea decreuiſſem Salernitani negocia tibi arctiſſime commendare, in quotidianis congreſſibus facile perſpexi, id quod antea verbis tuis mihi erat perſuaſum, adeo ſcilicet viderem atq; conſtitutam amicitiam inter vos intercedere, vt nullus tibi commendatior eſſe poſſit quàm qui a Salernitano ipſo fuerit cõmendatus. Quare cum nunc tanta ipſius res agatur, vt ſi eã pro animi ſui voto perfecerit à maximis difficultatibus, atq; moleſtijs ad tranquilliſſimum vitæ ſtatum ſit traducendus. Certiſſime mihi perſuadeo, te omnem curam atq; ſolicitudinem ſuſcepturum, vt tua in eum collocata beneficia, quæ ipſe incredibilia eſſe aſſidue prædicat, maximo hoc officio cumulentur. Propediemq; futurum ſpero, ut inenarrabili gaudio afficiar, cum tu intelligam opera autoritate & gratia tuã Salernitanum ipſam perpetuam ſibi in poſterũ tranquillitatem animi acquiſiſſe. Vale.

Χριστοφόρος Λογγόλιος Γρηγορίῳ Κορτησίῳ.

ΟΥ διὰ τοῦτο περίσταταί μοι πρὸς σὲ ἑλληνιστὶ γράφειν, ἢ ὡς σύ γε ταύτῃ ἀντεπιστέλλῃς, τοῦτο γὰρ ἂν εἴη, ὡς ἀληθῶς αἰτεῖν χρύσεα ἀντὶ χαλκείων, μᾶλλον δὲ πολλὴν σοι ἀναισχυντίαν ὀφλισκάνειν, ἢ ὅτι ἐγὼ κοινῇ τῶν ἑλλήνων διαλέκτῳ ῥᾷον χρῶμαι τῆς τῶν ῥωμαίων φωνῆς, κἂν οὐδ᾽ ἐν ταύτῃ εὖ ἔχων ἑλληνικῆς δ᾽ οὖν πῶς ἂν ἐδυνάμην βάρβαρος τ᾽ ὢν καὶ τρισὶν οὐδ᾽ ὅλοις ἔτεσιν τοσαύτην γλῶτταν μεμελετηκώς. ἐφ᾽ ὅτῳ γοῦν εἴποις ἄν, ὥς γε πείθομαι τοῖς τῶν Ὀυινουσιάτων ἀρχιερέως ἐπιτάγμασιν, ἀνδρὸς οὐκ ἧττον σοι διὰ τὴν σὴν καλοκἀγαθίαν φιλτάτου, ἢ ἐμοῦ οὐκ οἶδα πῶς κρατοῦντος καὶ ὡσανεὶ δή που ἐξουσίαν εἰς ἐμὲ ἔχοντος, ὅπερ σε χρὴ ἐγκαλεῖσθαι, εἴτ᾽ ἐνταῦθα ἐνδεέστερόν τε καὶ περισσότερον εὑρήσεις, ὥς τοι παντάπασιν ἀμφότερον εὑρήσεις, δεῖ γὰρ οἶμαι τὰ τῶν

σφαλμάτων

σφαλμάτων ἁμαρτήματα πρὸς τὸν βιαζόμενον, οὐκ εἰς τὸν βιασθέντα ἀναφέρειν. τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, ὁπότε φίλος τε καὶ κρείττων ἀνὴρ ἀναγκάζοιτο, εἰ δὲ χαλεπὸν ἐπιτάττοι ἐπίταγμα καὶ οὐ πάντῃ ἀσφαλές; ἔοικε. ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς αἰτίας τοῦ πρός σε ἑλληνιστὶ ἐπιστέλλειν ταῦτα. τίνος δὲ ἕνεκα σοὶ τὸ παράπαν φθάνοιμι γράφων, αὐτὸ τοῦτ᾽ ἐστὶν, ἵνα δὴ μετὰ σοῦ ὁπωσοῦν γενήσωμαι, ὃν μανθάνω τά τε πεπαιδευμένον, καὶ εὐσεβῶν οὐδενὶ δεύτερον ὄντα τυγχάνειν, μήτε λόγων δυνάμει, μήτε φιλοσοφίας πολυμαθίᾳ, μήτε ἱερῶν γραμμάτων ἐξηγήσει, μήτε, τὸ μέγιστον ἁπάντων, τρόπου χρηστότητι, καὶ ταῦτα συγγενοῦς σου Παύλου μιμήσει, ὃς τοὺς θεολογικοὺς ἐκείνους ἀφορισμοὺς συγγεγραφὼς ἔτι διὰ πάντων στόματος ἵπταται καὶ λογιωτάτων χερσὶν ἀεὶ τριφθήσεται, πῶς γὰρ οὐκ ἂν ἐπιθυμοίω τῇ σῇ παιδεύσει συνεῖναι; εἰ φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει ἐφίεσθαι τῆς ἀνθρωπίνης γε τελειότητος, δι᾽ ἣν καὶ ταῖς ἐνταῦθα τοσοῦτον μακαρίζῃ ὥστε καὶ ἐπεγείρεσθαι πρὸς τὸ ἐπιστέλλειν, ὀκνηρὸν ἄλλως καὶ μὴ φιλήσαντα εἰς πεδίον, φασὶ, τὸν ἱππέα προκαλεῖν, οὐ μὲν δὴ, οὔτε νῦν σε προκαλῶ, οὔτε δὴ ἀμείβεσθαι βουλοίμην ἄν, μᾶλλον δὲ τὸ ἀντεπιστέλλειν παραιτοῦμαι, ὡς μὴ δηλονότι τῷ ἀναμείβεσθαι, τὸ ἀπαίδευτον ἐμὸν πάλιν δηλώσαιμι. τοσοῦτον ἀξιῶ καὶ δέομαι σου, τὸν σὸν Λογγόλιον ἀπόντα μὲν αἰεὶ φιλεῖν σοί γε λατρεύοντα, παρόντα δὲ δεξιοῦσθαι. εἰ δή ποτε στελεῖται τὴν ἐπὶ τῆς Λήρωνος, καὶ τοῦ σου νησιδίου ἀφίξεται, ἄφθονον ἐκείνην ἡσυχίαν τε καὶ ἐλευθερίαν τὴν παρ᾽ ὑμῖν μεθ᾽ ὑμῶν καρπωσόμενος, ὅπερ ἄν σε ποιήσασθαι νομίζω. τῇ μὲν ὅτι καὶ μὴ ἴσως συμφορὰ ἐπῆλθεν, οὐ γοῦν ἐπιζήμια, τῇ δὲ διὰ τὸ σοὶ οὐκ ἀδόξως ἔσεσθαι, εἰ ἐν τῷ μουσείῳ σου διατετριφὼς ἐκεῖ τὴν κορυφὴν ταῖς ἐμαῖς μελέταις ἐπιθήσει, ἵνα ἔμοιγε δοκεῖν μόνον καθ᾽ ἡμᾶς συνῳδός ἐστι τῇ φιλοσοφίᾳ χρῆσις. οὔποτε παυσαίμην ἂν γράφων πρὸς τὴν σὴν παίδευσιν, εἰ μὴ τό τε δέος καὶ ἡ ἀπαιδευσία τὸ σιγᾶν κελεύσειεν. ὥστε μοι συμβεβηκέναι τοὐναντίον τοῦ Θουκυδίδου λέγοντος, ὅτι ἡ ἀμαθία μὲν θράσος, ὀκνηροὺς δὲ τὸ λελογισμένον ἀπεργάζεται. προσαγορεύεσθαί μοι ὁ κοινὸς τῶν καλῶν κἀγαθῶν φίλος Αὐγουστῖνος Γριμόαλδος τῶν Ἀντιπολιτῶν ἐπίσκοπος. ὅσπερ παρὰ σοῦ, ὡς καὶ σὺ παρὰ ἐμοῦ συνίστασθαι περὶ πολλοῦ ποιήσειν φησὶ Σίλβιος ὁ ὑμῶν, διὸ προσείπετο ὁ αὐτὸς παρ᾽ ἐκείνου ἐπιμελῶς. καὶ προσέτι πάντες οἱ ἐκεῖ μοναχοί σου, ἔρρωσο. ἐν Ῥώμῃ Σεπτεμβρίου ἐνδεκάτῃ φθίνοντος.

Federico Fregoſio. Greg. S.

SI poſtea quam à te diſceſſi, recto mihi itinere proficiſci licuiſſet, diu antea à me literas accepiſſes, cum primum enim ad Lerinam veniſſem, nihil mihi prius ſtatuiſſem eſſe

faciendum,

faciendum, quàm ut tu fieres de appulſu meo certior, Enim vero quoniam, non ſolum longiore circuitu facto quàm putaram, huc veni, ſed diuturna etiam mora in compluribus locis detentus, accidit, vt nunc demum ad te literas dare potuerim. Qua in re duplici ſum damno affectus, & quod ob diutinam peregrinationem nulla ſtudiorum meorum ratio conſtare poteſt, & quod tanto tempore tuis literis caruerim, quæ vt vehementiſſime à me ſemper deſyderantur, ita mihi nunquã non gratiſſime accidere conſueuerunt. Dabitur vero à nobis in poſterum diligentiſſime opera, vt creberrimis literis, quicquid iacturę eiuſmodi incommodo factũ eſt, cumulatiſſime recuperetur. Et ſi id quod magis optare quàm polliceri mihi ſolitus ſum dũ apud te eſſem, nondum me aſſequi poſſe video, vt tranquillo ocio & animi libertate aliquantiſper perfruar, ita omnia hic ſuſpenſa & trepidationis pleniſſima offendi. Accedunt præterea familiares curæ & eædem moleſtiſſimæ, quæ adeo frequentes vno impetu in me ſimul impreſſionem fecerunt, vt penè ſtupeſcentẽ obruerint. Quare, curis & negocijs mirũ in modum diſtractus, & eapropter affectus incredibili moleſtia, penè iam ſarcinulas componere ſtatueram, vt aliò tranſmigrarem, niſi huic conſilio Horatianum illud obſtitiſſet.

Quadrigis petimus bene viuere, quod petis eſt hic,
Eſt vlubris animus, ſi te non deficit æquus.

Occurrebant præterea illa, ecquid putas vſquam non eſſe curas & tumultus? Quid ſi longe moleſtiores longeque grauiores, quo te proficiſci contigerit inuenias? Nonne te

tui

*tui pudebit, cum denuo huc tibi reuertendum eſſe conſti-
tues? Noſtrum igitur illum in conſilium vt opinor adhi-
bebo, qui optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcũq;
erunt iubet. Nihil tamen omnino aut de profectione aut de
remanſione à me conſtituetur, niſi prius te de omnibus ſece
ro diligentiſſime certiorem. Cæterum quoniã nihil ad te de
ſtudijs meis ſcribere poſſum, quod aut tibi gratum aut iucũ
dum fore confidam, de tuis ſummopere audire deſydero, po
tiſſimumq; num adhuc tedia illa hebreæ linguæ, quæ Hie-
ronymum tantopere deterruerunt, deuoraueris, totumque
te immerſeris in prophetas, atq; adeo in Moſen ipſum. Cre
ſcant ne meditationes illæ tuæ in pſalmos, an fortaſſe nouũ
aliquod opus inſtitueris. Quæ ſi ad nos non grauaberis ſcri-
bere, ex duobus profecto alterum accidet, vel vt æmulatio
ne laboris tui ad priſtina ſtudia reuocer, vel exemplo ceſſa
tionis tuæ me quoq; relictorum ſtudiorum neq; pudeat ne-
que peniteat. Vale.*

Michaeli Bentino Germano Greg. S.

*CVm modeſtiſſimi tui mores & candor quidam inge-
nuus adeo me tibi deuinxerint, vt nihil omnino deeſ
ſe putem, quin ſumma tibi ſim amicitia conciliatus exiſti-
maui nos mirummodum in amicitia peccaturos eſſe, niſi iã
poſita amoris fundamenta, mutuis & literis & officijs vt
ita dicam ſuperſtructis, ad ſummum perduceremus. Cum
igitur ad Salernitanum perpetuumq; noſtrum literas da
rem. tui etiam obliuiſci non potui. Quare viciſſim tibi ope-*

ram dandam eſſe exiſtimo, vt quoniam omnium rerum quas ad beate viuendum ſapientia comparauit, nihil eſt maius amicitia, nihil iucundius, vti ne quid in ea peccare iudiceris, quod facile apud me poteris aſſequi, ſi crebris literis ſapius me inuiſes, facieſque de rebus omnibus tuis diligentiſſime certiorem. Caue enim putes quippiam mihi iucundius accidere poſſe, quàm ſi ex te intellexero, ſic conſtitutas eſſe res tuas, vt maxima cum animi libertate in ſtudia incumbere poſſis, atque adeo cæteris curis abſolutus, vt apud poſteros etiam ratio ocij tui conſtare poſſit. Habebis vero, vt opinor, in ea re mirificum adiutorem Salernitanum noſtrum, cui ſi duos tresúe ad ſummum ſimiles ætas noſtra protuliſſet, omnino neceſſe fuiſſet, ſimul etiam doctorum virorum prouentum maximum huic ſæculo cõtigiſſe. Tuas igitur literas vehementer à me expectari ſcias velim. Vale.

F. Fregoſio. Gregorius S.

E*T ſi nudius tertius ad te literas dederam, in quibus & cauſam profectionis noſtræ, & quo conſilio huc me potiſſimum contuliſſem copioſe declaraui, iterum tamen amico maximis precibus obſecranti, ut ſe tibi arctius commendarem negare non potui. Perfeciſti enim declaratione amoris tui erga me, ut omnes qui opera autoritate, & gratia tua indigent, ita denique putent ſatis ſe tibi fore commendatos, ſi ad te qualeſcunque epiſtolas à nobis acceperint. Ego vero, & ſi facile patior, eiuſmodi opinionem de*

hac mutua noſtra amicitia in animis omniũ inſidere, atque ea ratione quantopere me abs te amari putem diſſimulare nequeo, cogor tamen interdum uereri ne tibi, & in literarum ſtudijs, & in maximis preterea negotijs occupatiſſimo, moleſtæ ſint eius generis ad te literæ. Atque ea ratione ſępe iam contigit, ut verecundiæ meæ magis quàm facilitatis tuæ rationem mihi habendam eſſe putauerim. Enimuero cũ is qui à me nuper petijt, ut tibi eiuſmodi officio moleſtus eſſem, dudum inter familiares tuos annumeretur, magnopere uereor ut magis ſuperflua hæc commendatio noſtra quàm inepta eſſe videretur. Ioannes Gallus qui tantos in muſicis progreſſus habet, ut vulgo ob id præceptor appelletur, & ſi quoad eius artis dignitas patitur, honeſtum in hac ciuitate locum obtinet, magnopere tamen cupit, quibus in alijs ſpretis conditionibus, ad tui conſuetudinem aduolare. Hic vero mihi nequaquam faciendũ eſſe puto, ut de vita moribuſque hominis quippiam ad te ſcribam, quos diutina familiaritate tibi credo eſſe cognitiſſimos. Tantum dicam, ſi celeberrimi philoſophi audiendi ſunt, nihil tuis ſtudijs quæ oblectamento eſſe poſſe, atque interdum, muſicis recreari. Hac ut noſti ſomnum & depellebant & accreſcebant Pythagorei, hæc epularum, itineris comes erat: hac ipſa & occultarum cauſarum peruestigationem & ſacra omnia auſpicabantur, hac eadem affectis tedio animis hilaritatẽ priſtinã atq; adeo mẽtis trãquillitatẽ reuocabant, poſtremo ut M. Tullius ait, ſummam eruditionem ſitam græci cenſebant in neruorum vocumque

cumque cantibus, vt qui id neſciret nequaquam ſatis excultus doctrina putaretur. Cum igitur tanto vſui muſicæ eſſet poſſit, profecto hunc qui illam egregie profitetur quotidianis tuis congreſſibus adhibendũ eſſe cenſeo. Quare gratiſsimum mihi feceris, ſi huic ipſi quem tibi tantopere commendatum eſſe cupio, aliqua ratione declaraueris commendationem hanc noſtram, neq; uulgarem neque parui apud te ponderis fuiſſe. Vale.

F. Fregoſio. Greg. S.

MIrabar profecto quid cauſæ eſſet, quod tandiu pectatiſſimis litteris tuis careremus. Cumq; in temporum difficultatem culpam omnem reijciendam eſſe putarẽ, repente accepto acerbiſſimo nuncio de aduerſa valetudine tua, ita animo conſternatus ſum, vt in nulla mihi licuerit actione conquieſcere. Enimuero Deo Opt. Max. immortales ago gratias, qui non eſt paſſus me diutius incredibili moleſtia excruciari. Accepto enim eiuſmodi nuntio, ſtatim conſectatæ ſunt literæ quæ te priſtinæ ſaluti reſtitutum cum incredibili omnium amicorum tuorum gaudio declararunt. Ct ſi eam vim morbi fuiſſe aiebant, vt non modo priſtinum vigorem, ſed interdum etiam uires ipſas recuperaueris. Quare gratiſſimũ nobis omnibus facies, ſi in recuperanda incolumitate adeo diligens fueris, vt ex tam graui morbo culpa tua nulla ſequatur offenſio: relaxandus tibi eſt animus, intermittenda ſtudia. Difficillimo anni tẽpore ægrotaſti, parum etiam clementi, vt opinor, cęlo ob

vehementiam frigoris ϗ διὰ τὴν ὑγρότητα. *Cæterum ternis*
iam literis certiorem te factum eſſe non ambigo, quo conſi-
lio eiuſmodi profectio eſt aſſignanda. A Pontifice enim or-
dinis noſtri euocatus, Mantuã proficiſci ſtatuerã, ſed nouis
literis retẽtus, tantiſper hic ero, donec cœnobij noſtri nego
cia ea perfecero, quæ vt noſti, dum Lugduni eſſem, animũ
noſtrum vehementiſſime excruciabant, et quæ nequaquã
dum in Narbonenſi prouincia eſſem ob genti illi ingenitã
rerum omnium ſuſpicionem, & prohibita commercia, com
mode confici potuere. Poſt hac vero, duplicem video ratio
nem conſiliorum meorum, ſi enim te in Italiam aduentare
contigerit, dabo operam ut intellecta ratione itineris tui, ali
quo in loco tibi obuius fiam. Si vero cogitationem illã abie
ceris, ego quoque vſq; ad dies comitiorum noſtrorum hic
commorabor, deinceps Mantuam profecturus, vt quantũ
opera atq; ingenio eniti potero, ocium mihi & quietem com
parem. Interim uero crebras a te literas expecto, quibus et
de incolumitate & de profectione remanſionéue tua, fiam
in dies certior. Vale.

Io. Medices Car. S. Mariæ in Domin. Gre. S.

A*Ccepi literas tuas, quibus ſcribis te admirari conſiliũ*
meum, quod relicta urbe Roma, relictis honeſtiſſimis
ſtudijs, relicta parente, quæ iandiu vidua pudice & parce
vitam agens, in vnica ſpe progreſſus mei acquieſcebat, re-
licto deniq; te ipſo, cui pene ſacramento in perpetuum addi
ctus eram, me penitus in ſolitudinem abdiderim, petiſque
fieri

fieri certior, quibus rationibus adductus, id conſilium ſecutus fuerim: poſtremo plus amori quàm religioni concedens, perſuadere niteris, vt immutato conſilio ad priſtinum viuendi genus, & ad conſuetudinem tuam omnino reuertar. Ego uero pro eiuſmodi amore, immortales tibi gratias ago, video enim adhortationem iſtam tuam ab amiciſſimo animo proficiſci, eoq; te decipi, quod, hoc viuendi genus, vt pleriq; omnes, omnino improbandum eſſe ducis. Quod ſi & animi mei indolem memoria teneres, & ea quæ tecum ſæpius locutus ſum, nequaquam me nouum hoc genus vitæ ſequi velle, tantopere admirareris: magis autem nunc demum id me arripuiſſe tibi eſſet admirandum. Satis enim ex quo me in numero domeſticorum tuorum aſcripſiſti, à te cognoſci potuit, nihil adeo animo meo impreſſum, inſculptumq; eſſe, quàm vt omnino ex Chriſtiana pietate vitam agens, hijs potiſſimum ſtudijs operam darem, quibus & animus excoli poſſet, & ea, quam tantopere deſyderabam, vera religio intelligeretur, ad quam in poſterum tanquam ad certum deſtinatumq; locum, omnes cogitatus meos dirigere poſſem. Id vero cum perſuaſum mihi eſſet, inter hominum turbas & fori iurgia me aſſequi non poſſe, in religionis portum me contuli. Non quod in communi hac omniū hominum vita, ſalutē inueniri poſſe non ſuſpicer, ſed quod iam inde ab ineunte pueritia, prauis admodum conſultoribus vſus, ambitione ſcilicet & quærendi cupiditate, quæ quicunq; mihi erant à latere, vt animo meo altius infigerent ſummopere laborarant, eiuſmodi laqueis me impeditū

eſſe

eſſe ſentiebam, ut niſi omnino immutato uitæ genere, non ſtudiorum, non Chriſtianę pietatis, non libertatis denique ratio aliqua à me haberi poſſet, uix dum enim decimum et ſeptimum ætatis annum attigeram, cum me fratres inſignijs eius dignitatis ornari fecerunt, cui à docendo uulgo nomẽ inditum eſt, cum iam quinquẽnium iuriſconſultis operam dediſſem, ſtatimq; inter domeſticos tuos aſcriptus, curam abs te accepi audiendarum litium. Hic uero nemo melius te ipſo teſtatam animi mei moleſtiam poteſt derelinquere: ſcis enim quantopere angi conſueuerim, cum ab honeſtioribus diſciplinis & ſacrarum præcipue literarum ſtudijs, ob lites et iurgia retrahebar, bis deinde, intra menſes ſeptem, grauiſſima in morbi afflictatus, cum omnes Romanum cœlum nobis aufugiendum eſſe clamarent, Mutinam me contuli: ibi uero cum ocij ſpes aliqua ſe mihi primo obtuliſſet, repente gentilis quidam meus, qui pro Mutinenſi Epiſcopo iuriſditionis ſacrorumq; procurationẽ habuerat, e medio ſublatus eſt, tum uero me inuitum & reluctantẽ propinqui neceſſarijq;, idem munus obire coegerunt. In quo cum non corporis ſolum mentisq; laborem, ſed maximum etiam animi periculum experirer, omni ſtudio diligentiaq; cogitare cœpi, ſi qua ratione difficillimis illis laqueis me expedire poſſem; nullaq; mihi uiſa eſt oportunior, quàm ſi ex eiuſmodi tempeſtate in cœnobij alicuius portum effugiſſem, ſtatimq; ſe mihi obtulit collegium hoc Diui Benedicti Mantuani, in quo iam menſes quatuor ſolutus omnibus curis, quæ antea animum meum exedebant, totus in ſacrarũ

literarum

literarum ſtudijs, & in ſacrificijs diuinarum laudum conquieſco, fruorq; literato, & gratiſſimo ocio, a quo ſi me reuocare iterum tentaueris, ſponſę verbis ex Salomonis Epithalamio tibi ſum reſponſurus. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Et vt finem aliquando faciam, libenter omnes Romanos faſtus, libentius delitias, libentiſſime animi corporiſq; pericula vobis derelinquo, qui & generoſiore indole & excelſiore animo præditi, per eiuſmodi ſenticeta illeſi poteſtis incedere. Ego uero in minima cellula deliteſcens, preclare mecum agi putabo, ſi prioris vitæ vulneribus cicatrices a me obduci potuerint. Vale.

F. Fregoſio. Gregorius S.

INtelligo plane longe maiores vberioreſque fructus ex aduentu meo ad te, quàm putaram à me expectari debere: Nam tametſi fore ſperabam vt tantum ex eo voluptatis caperem, quantum ne animo quidem amplius potuiſſem complecti, nequaquam tamen ad eiuſmodi incredibilem iucunditatem, vtilitatem, etiam mirificam communium ſtudiorum acceſſuram eſſe ſuſpicabar. Non quod neſcirem nihil domeſtica conſuetudine tua mihi vtilius contingere poſſe, ſed quod in tam afflictis perditiſq; rebus ſubuertebar, vt magis impedimento quàm voluptati congreſſus noſtri tibi futuri eſſent. Mirifice vero accidit, quod cum & timide, & vt mihi tum videbatur, non omnino modeſtiæ legibus obſeruatis, te ad ſcribendum prouocaſſem, non modo hoc ſtudium meum non es aſpernatus, ſed inter moleſtiſſimas

*difficillimaſq; curas, quibus neceſſe eſt animum tuum in
preſentia diſtrahi, & confeſtim reſcribere nõ es grauatus,
& me vt idem ſæpius facerem, neſcio humanitate an amo
re vehementiori, maiorem in modum es adhortatus. Oſten
diſtiq; non minus nunc literis, quàm antea vultu hilari
& inenarrabili alacritate, quantopere tibi grata fuerit no-
ſtra iſthæc ad te profectio: quare niſi in tam conſtituta tãq;
veteri amicitia noſtra, gratiarum actionem ſuperuacuam
iudicaſſem, literas ad te daturus fui, quoad noſtrum fieri po
tuiſſet, & grati animi et optimæ voluntatis teſtes locuple-
tiſſimas, vt quoniam fieri nequit, vt tantis tuis beneficijs
opere & actione reſpondeam, literis ſaltem apud te teſta-
tum relinquerem memoriam tuorum incredibilium in me
meritorum. Quare gratiarũ actione prætermiſſa, te ad ſcri-
bendum inuitabo: nihil enim puto rationibus noſtris æque
conducere poſſe atq; formã hanc exercitationis. Cum enim
forenſe illud dicendi genus in quo ueteres confictis veriſq;
cauſis ſe frequẽter exercere ſolebant, omnino ſublatum ſit,
nec impedita hæc tempora patiantur vt ad longiores lucu
brationes mentem animumq; adijciamus, vnicum hoc re-
ſtat genus ſcribendi, quo in genere, ſi ſtudium noſtrum non
aſpernaberis, ut nequaquam hactenus aſpernari viſus es,
incredibilem me tibi comitem futurum eſſe polliceor. Fun-
garque (vt Flaccus ait) vice cotis, acutum redde-
re quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi. Vale.*

Perpetuo

Perpetuo Henriotto.. Greg. S.

NOn intelligo quid cauſæ fuerit, quod ex quo Lugduno diſceſſi, cum frequentes ad te dederim literas, viciſſim ego abs te nullas acceperim. Putêne tibi noſtras redditas non fuiſſe? at iſtud ipſum non accidiſſe arguunt reddita Federico literæ, in cuius faſciculos tuas quoq; conieceram. Aſſignem ne iſtud abſentia tua? Sed ſcio tibi etiam abſenti literas, quæcunq; ad Federici manus peruenerint, reddi conſueſſem. Cauſam ne fuiſſe dicam multitudinem negociorum? at mihi iandiu perſpectiſſimum eſt, nunquam te irruentibus etiam grauiſſimis multiſſimiſq; negocijs ſolere ab officio dimoueri. Fortaſſe quas ad nos dabas, ad manus noſtras non peruenerunt, ſed cur à Federico Bentinoq; datas accepimus? Cum igitur nihil excogitare poſſim, cur apud me excuſatus ſis, nondum tamen mihi perſuadere potui, id à te non optimo conſilio ſummaq; ratione factum eſſe. Diutina ſiquidem cõſuetudine, certior factus de tuo in me amore, conſequenter etiam intelligo, ſuauiſſimos illos mores, ob quos omnibus es cariſſimus, nihil poſſe in amicitia peccare. Præſertim quod non dum memoria nobis excidit, ſed nec excidet profecto aliquando, officioſa illa ſedulitas quam in rebus noſtris adhibere ſolitus es, cum à latere meo vngue latius nunquam diſcedebas, cum vicarium pro me quotidie laborem ſubires, cum deniq; ipſo die diſceſſus mei, non ſatis tibi fecerit commune illud cæterorum officium, vt me ad æquum vſq; proſequereres, ſed relictis negocijs quibus

aſſidue vrgeri ſolitus es, Viennam vſq; deduxeris. Cum talis igitur tantaq; amoris tui ſignificatio animo meo altiſſime impreſſa, & quodammodo inſculpta ſit, non committã, vt quippiam de te ſuſpicer, moribus tuis & cæteris in me officijs atq; adeo perſpectæ beneuolentiæ, non conſentaneũ. Si tamen poſthac moleſtiam hanc animi mei penitus exter gere potueris, tam nobis erit gratum quàm quod gratiſſimũ. Illud poſtremo tibi perſuadeas velim, nunquam te ſilentio tuo aſſecuturum, vt literis noſtris deſinam tibi moleſtus eſſe. Sed & ſi in animum induxiſſes, nunquam mihi reſcribere ego contra crebritate literarum eiuſmodi pertinaciam expugnarem. Sed de literis hactenus. Cæterum certiorem te fieri volo, ex quo à te diſceſſi, nullam mihi fuiſſe conſuetudinem cum libris, nec intermiſſa tantum, ſed penitus omiſſa à nobis ſtudia fuiſſe. Quod iccirco ad te ſcribo, ne fortaſſe tibi mirum videatur, quod Paraphraſem illam librorũ Ariſtotelis de moribus, nondum à nobis acceperis, cũ præterea copioſa illa noſtrorum librorum ſupellex in Lerina ſit: ego vero Genuæ, vbi ſi quid ocij datur ab aduentantium ad nos amicorum interpellatione, totum in ſcribendis epiſtolis abſumitur. Vale.

Federico Fregoſio. Gregorius S.

C*Vm Michaël Monelius Genua Lugudunum eſſet profecturus, vtriq; noſtrum non amicitia tantum, ſed maxima etiam coniunctus familiaritate, & ſi paucis antea diebus ad te literas dederam, nequaquã tamen paſſus ſum*

abſq;

abſq; literis noſtris illum ad te proficiſci. Longe tibi gratius fore exiſtimans, ſi inanem à me epiſtolam quàm ſi nullam tibi reddidiſſet. Quæ tamen omnino inanis non erit: Cupio enim abs te fieri certior, an iſtuc ad te allati fuerint libri illi, quos ante diſceſſum meum ex Narbonenſi prouincia à me maximo cum deſyderio poſtularas. Cum enim nulla mihi ſe antea obtuliſſet opportunitas eos tranſportandi mercatoribus, qui ad trimeſtrices nundinas proficiſci conſueuere, iam tum in itinere conſtitutis, diſcedens negocium demandaui Joanni Baptiſtæ; quem ſciebam mirifica diligentia in rebus tuis uti conſueſſe, curaturumq;, vt cumprimũ fieri poſſet ad te deferrentur, veruntamen, cum deinceps de ea re nihil acceperim, cupio ad te fieri de omnibus diligentiſſime certior. Scire etiam cupio, nũ ad manus tuas peruenerint, literæ, quibus Joannem Gallum muſicum tibi commendabam: dici enim non poteſt, quanto cum deſyderio tuam de ſe voluntatem expectet, qua quidem in re nihil abs te peto niſi id maximo tuo commodo fieri poſſit: noſti enim pudentis hominis eſſe, commendationis officiũ, vel eis qui mediocri amicitia ſibi coniuncti fuerint non denegare, modeſti vero id tantum ſibi polliceri ob eiuſmodi commendationem, quod amicorum commodo fieri poſſit. Quod iccirco ad te ſcribo, vt non ignores quatenus ego eius cauſa laborem. Cæterũ literis tuis, quas vnas poſt diſceſſum meum iſtinc à te accepi, ſcias uelim nos omnes in maximam tui expectationẽ à te concitatos eſſe: ſcribis enim primo vere te in Jtaliam aduenturum. Jdemq; poſtea mihi retulit Andreas Auria

 homo

homo ita tibi coniũctus, vt mihi, cum illo cum loquerer, te cum loqui viderer. Quare te vehementer etiam atq; etiã rogo, ut quicquid de ea re cõſtitueris, id continuo ad me ſcribas: ego ſiquidem cum omnino Mantuam profecturus ſim ita ad rationes itineris tui, meum hinc diſceſſum atq; iter accommodabo, vt omnino aliquo in loco tenui congredi poſſim. Vale. Et ſi noui quippiam iſtic apud bibliopolas ternis iſtis nundinis, quibus ego abfui, caſu inuentum eſſet, quod noſtris ſtudijs vtile fore exiſtimares, id vt ad nos cumprimum deferri cures te vehementer rogo. Iterum vale.

Vitali Monaco. Greg. S.

SCripſit ad me Dionyſius noſter, nullas tibi a me redditas fuiſſe, quod & ſi verum eſſe facile mihi perſuadeo, coniectura et ex temporũ iniquitate & ex alijs cõpluribus epiſtolis noſtris facta, longe tamen gratius mihi feciſſes ſi id ipſum me non ex alienis, ſed ex tuis literis voluiſſes intelligere, fuiſſet certe ea & amoris & diligentiæ tuæ locuples teſtificatio. Erat enim & facilitatis et diligentiæ tuæ, nec ſilentio meo ad ſilentium prouocari, & crebritate literarum omnes itinerum difficultates ſuperare. Nam quod ego ad te ſæpius ſcripſerim cum iſtuc veniam argumentum mecum habebo exempla omnia epiſtolarum noſtrarum, quas velut neſcio quo pacto preſagirem, ita vt accidit euenturum, omnes apud me maxima cum diligentia deſcribendo curaui. Quare tibi ſummopere curandum eſt vt prateriti

tempo-

temporis culpam frequentia literarum poſtac diluas, & enim fore non video, ut alia ratione apud me, nec Dionyſio quidem ipſo patrono excuſatus eſſe poſſis. Cæterum cum à Lerina Genuam veniſſem, eo animo ut ad vos continuo proficiſcerer, exceptus hic nouis multiplicibuſq; moleſtijs, hactenus impeditus fui, impediarq; ut mihi videre videor dies complures, ut non & deſyderio meo & complurium amicorum expectationi ſatisfaciam. Cumprimum autem per eiuſmodi negocia mihi licuerit, diligentiſſime operã dabo, ut tarditatem aduentus mei non voluntati aut iudicio, ſed neceſſitati tantum omnes aſcribendam eſſe intelligaris. Crebras tamen interim à te literas expecto, quibus & de tuis et de Benedicti noſtri rebus fiam in dies certior, quem adeo taciturnitatis amatorem eſſe intelligo, ut omnino verear, tam altum ſilentium literis noſtris interpellare. Vale & utrique Benedicto plurimam à me ſalutem dicito.

Dionyſio Monaco. Gregorius S.

COmpluribus de cauſis, gratiſſimos tibi fuiſſe negociorum noſtrorum ſucceſſus, nequaquam eſt admirandũ. Et quidẽ in primis eius Cœnobij gratia, quod à te tãtopere amatur, ut nemini dubium eſſe poſſit te nulli in amore eius loci cõcedere. Deinde ob retentam totius ordinis noſtri dignitatem, quæ una cum periculo eius negocij, quod nuper tranſactũ eſt, periclitari uidebatur, præterea quod, ut amiciſſime ſcribis, potiſſimum per nos res omnes ſint ad

mi

miniſtratæ. Et ſi poſtremum hoc nequaquam mihi, ſed cum Honorati patris auxilio, tum etiam principum Galliæ benignitati eſt aſſignandum, quorum voluntas adeo propenſa eſt ad totius ordinis noſtri conſeruandam dignitatem, vt quod hactenus abſq; cauſa factum eſt, nihil ſit deinceps de Lerinenſis Cœnobij retentione dubitandum. Accidit præterea commodiſſime, quod cum ego ob nimiam licentiam illarum mulierum reſtringendam, quarum cura nobis eſt demandata Taraſconem diuertiſſem, tuorum propinquorum conſuetudine per ocium mihi frui licuerit, qui adeo humaniter nos exceperunt, vt nulla alia de cauſa debuerit perſona tua deſyderari, niſi ea propter vt fierent congreſſus noſtri, ſuauitate morum tuorum iucundiores. Nam fratres tui adeo ſe faciles mihi exhibuerunt, vt per dies cõplures, quibus & Taraſcone & Arelatæ fui, nunquam à latere meo diſceſſerint. Quod vero ſcribis aduentum meum iſtuc tantopere à compluribus deſyderari, facilè id ita eſſe mihi perſuadeo, cum rurſus ego quoq; vehementiſſimo veſtrum omniũ deſyderio tenear, & nunquam ferè accidere conſueuerit, vti vis hæc amoris mutua non exiſtat. Veruntamen, quo modo nunc eſt, prope certus ſum, fieri non poſſe, quin dies aliquot Genuæ ſuperſedeã, non quod me & Saulius Pont. et Stephanus ſint detenturi, eſſet certe ea cauſa grauiſſima, ſed ſunt aliæ longe grauiores quas omnes ad Præſidentem noſtrum diligentiſſime ſcripſi, & quibus fortaſſe fieri poſſet, vt vſq; ad comitiorum dies hic retinerer. Habeo preterea tibi gratias, quod me feceris & de ſtudijs tuis & de optimo-

morum adoleſcentium mirifico progreſſu certiorem. Quos omnino mirũ in modum proficere admirãdum non eſt, cum ob diligentiam tuam in inſtituendo, tum ob ipſorum ſedulitatem, tum vero præcipue ob incredibiles fructus eruditionis & eloquentię, qui ex illis autoribus percipi conſueuerunt, in quibus ediſſerendis, hoc toto biennio eſt à te elaboratum, & quos omnes ita probo, vt cupiam tamen diſcipulos tuos non ignorare, Rethoricos libros ad Herenniũ, non M. Tullij, ſed cuiuſpiam alterius eſſe, longe illo & eloquentia et ingenio inferioris. Nec iccirco id ſcribo quo opus illud improbem, eſt enim elegans, eruditum, prope accedens ad antiquorum candorem. Et quod præcipue adoleſcentibus vtile eſſe, conſueuit diſtincte admodum & preſſe oratorias præceptiones deſcribit. Sed quod cupiam, vt Fabius ait, in omni lectione admiſtum eſſe iudicium. Cæterum dici non poteſt, quantę oblectationi nobis fuerint hendecaſyllabi tui, nec tãtum ea de cauſa quod perſpectum nobis antea amorem in me tuum expreſſius declarabant, ſed quod ex illis cognoui te nõdum in blandioribus muſis nuncium remiſiſſe, quod quidem tranquillæ mentis & quieti animi argumentum eſſe conſueuit. Veruntamen, & ſi carmen id venuſtum eſt, elegans, argutum, & quod potiſſimum in hendecaſyllabis commendari ſolet, candidum, & facile, iccirco tamen apud me, ὑπὸ τῇ κλειδὶ erit, quod dudum ſtatui opus, cuius fronti erat aſcribendum in lucem non mittere, non quod quippiã adhuc in eo cognouerim, quo me ſcripſiſſe aut pudeat, aut pęniteat, ſed quod quatuor iam de ea re συντάγματα ædita ſunt, me fie-

ri potuit, ut quæ à me animaduerſa ſunt ij, qui in eodem ſudarunt puluere ſaltem ſimul omnes non viderint, præſertim cum inter eos ſint aliqui doctrina & ingenio excellentes. Quare cum intelligam id nunc mihi præceptum, quod ego cæteris omnibus præripueram, non committam ut eius lucubrationis amore publice poſſim & furti ſimul & impudẽtiæ poſtulari. Vale. Et Raphaëli Placentino plurimam à me ſalutem dicito.

Euſebio Mutinenſi Monaco. Greg. S.

ET ſi iure de me conqueri poſſe videris, quod cum tu plures antea ad me dederis epiſtolas, viciſſim nullã hactenus à nobis acceperis, ſi tamen præteritorum temporum calamitates animo volueris expendere, quantiſq; hoc toto biennio moleſtijs preſſus fuerim, nequaquam, ut opinor, mirum tibi videbitur, eiuſmodi officium à me intermiſſum eſſe. Et qua es prudentia, facile coniectura aſſequi poteris, ne minimam quidem ocij partem ab operoſis illis negocijs aliquando nobis ſuperfuiſſe. Nec enim tu ſolus es à me præteritus, ſed ea ratione eiuſmodi curam abieceram, ut poſtea intellexerim, patres etiã ipſos diutius ſuſpenſo animo de me fuiſſe. Fateor certe, inter multiplices illas moleſtias tumultuſq; bellicos, ſi quam nunciorum occaſionem nanciſci potui, nullam à me fuiſſe prętermiſſam, ſed nec certo homini aliquando clare licuit, & illas ipſas quas incertiſſimis dabam conſentaneum eſt fideliter redditas non fuiſſe. Quod ſi ſpes aliqua ſe nobis obtuliſſet foris ut literæ redderentur,

tu profecto a nobis & in primis & creberrimas accepiſſes. Veruntamen cum firmior ſtabiliorq; ſit mutuus amor noſter, quàm vt, vel longinquitate temporis, & locorum, vel diuturno ſilentio poſſit labefactari, omiſſa præteriti temporis recordatione, danda in poſterum diligentiſſime eſt opera: vt eiuſmodi iactura, frequẽtia literarum recuperetur. Ego quidem diutius inter fluctus hoſce bellicos, tanta tempeſtate actus ſum, vt tandem Lugdunum vſq; compulſus fuerim, vbi menſes aliquot commoratus, confectiſque ex ſententia negocijs Cœnobij noſtri, Lerinam deinceps & poſtremo Genuam me contuli, vbi futurum me ſuſpicor, vſque ad comitiorum dies, ſi tamen voluntatem meam mihi ſequi licuerit, nam & crebris & eiſdem, vt ita dicã, imperioſis literis, quotidie Mantuam à Præſidente noſtro accerſor, quo ſi forte proficiſcar, ex propinquiore commodio req; loco frequentiores à me literas es accepturus, ſi tamen tu quoq; ad nos reſcribere non grauaberis. Cupio te nomine meo Cælium Calcagninum cõuenire, doctiſſimum ſane uirum, & vt facile ex ipſo intelliges, mei amantiſſimum, uetus certe cum ipſo atq; adeo à pueritia ipſa, nobis amicitia intercedit, quem ſic nomine meo ſaluere iubebis, vt eum tibi etiam quàm arctiſſime concilies: etenim ea eſt humanitate, vt nemo ad bonorum amicitiam ſit propenſior, ea autem eruditione, vt neminem inſtitutæ cum eo neceſſitudinis poſſit pœnitere. Ludouicum præterea Areoſtum ſi conueneris, dixeriſq; ei à me ſalutem plurimam, vtriq; noſtrum, vt opinor, gratiſſimum facies. Vale.

Io. Medices Card. Greg. S.

D*Etulit ad me Aloiſius Lottus, quem ſecretis tuis adhibere ſolitus es, te noctes dieſq; cogitare, ſi qua ratione afflictas perditaſq; res Caſinatis Cœnobij poſſis inſtaurare, ut renouato ibi diuino cultu, & Benedicti inſtitutionum obſeruatione, ſpeciem aliquam primeuæ maieſtatis recuperare poſſit, habereq; te Iulium Pont. Max. & Conſaluum Ferandum regis Hiſpaniæ copiarum ducem, eius conſilij non participes ſolum, ſed arbitros etiam & mirificos adiutores. Digna ſane cogitatio animi tui magnitudine, & anteactæ uitæ conſentanea: digna patris tui Laurẽtij atq; ataui Coſmæ religione, qui & uetuſtate collapſa tẽpla plurima priſtinæ reſtituerunt magnificentiæ, & complura à fundamentis incredibili impenſa extruxerunt. Tu uero non parietes ipſos, nõ contignationes, non cæteras partes ædificij ſanctas tectaſq; reddes, ſed religionem, ſed caſtitatem morum, ſed pietatem priſtinam, Benedictum denique ipſum ſuis ædibus hac ratione reſtitues. Huc accedit, quod cum multa celebrentur maiorumm tuorum in re publica atq; priuata geſta præclariſsime, maxime quod illorũ fauore atq; auſpicijs extincta dudum liberalia ſtudia reuixerunt, debetur quidem tibi neſcio quo pacto hæreditatis iure, pars quædam eius laudis, ſed ea ratione ut rei ſoliditate ipſis maioribus derelicta, umbram ſolum, & uelut auram quampiam tibi inde uendicare poſsis. Enimuero, ſi id quod tanta cum indole aggredi cogitas, à te fuerit confectũ,*

tum

tū demum conſequêris, ut integrā laudem conſilio pietati atq; ingenio tuo omnes aſſignandam ducant. Præterea quotquot futuris retro temporibus et penè dixerim, in omni æternitate in auguſtiſſimis illis ædibus ſacris operabuntur, illi omnes inprimis te ipſum familiamq; tuam, uel certe ſecundum Deum, tanti operis autorem confitebuntur, cum ſacrificijs laudibus continentia, adorationibus diuinum fauorem generi humano ſatagent demereri. Mouit te ad hoc ut opinor cogitandum, quod ſacerdotium id tibi cō mendatum eſſe putas, non ut ex eius annuis fructibus equorum magna multitudo, canes uenatici, uolucres ad aucupia nutrirentur: nec iccirco ut maior pompa & numero fiore caterua ſtipatus ad Pontificias ædes deducerere: non ut uno alteróue epiſcopis eſſes in equitando comitatior: quę ut Chriſtianæ ſimplicitati & bonis moribus certum eſt magnopere repugnare, ſic ab animo cogitationibuſq; tuis longiſſime abeſſe debent. Sed ut ſacerrimę illæ ædes diuinis laudibus multiplicatis, die noctuq; pſallētium uocibus reſonarent: ut quę olim ibi uiguerunt liberalium artium ſtudia reuiuiſcerent, deniq; ut ex Chriſtiana religione illic omnia adminiſtrarentur. Etenim locus ipſe, ut noſti, diuina quadam prouidentia electus eſſe uidetur, qui & bonarum artium & omnis eruditionis, ut ita dicam, officina aſſidue futurus eſſet. Sic nanq; ante exhibitā nobis à Chriſto Opt. Max. admirandam humanitatem M. Varronis Academia eſt nobilitatus. Sic deinde ſtudijs omnium diſciplinarum floruit, ut medicos, philoſophos, poſtremo Tho-

mam Aquinatem illi debeamus, inter eos qui nouum hoc Theologię genus profeſſi ſunt, facile principem. Nam de Benedicto ipſo loqui quid attinet, cum nulla ferme regio ſit, nulla ciuitas atq; adeo nullum ignobile oppidulũ, quod non & illi dicatis ędibus & eius diſciplinæ profeſſoribus ſit refertum? Ut mihi videatur acerrimus ille humani generis hoſtis, iure quodam ſuo, Caſinate Cœnobiũ præ cæteris omnibus odio & maleuolentia proſequi, quod ex eo potiſſimũ penè infiniti duce extiterint, qui collatis ſecum ſignis ſæpius victoriam exportarunt. Quare, pro eiuſmodi cogitatione tibi mirum in modum gratulor, hortorq; atq; obſecro, vti ne diutius cunctando negocium differas. Scio te & quamplurimos & acres aduerſarios habiturum, partim mentito nomine Chriſtiano Chriſtianæ religionis hoſtes acerbiſsimos, partim etiam qui iniquiſsimo animo ſunt laturi eius ſacerdotij opulentiam, non amplius ad Luxum & delicias, ſed ad diuini cultus decorem & pauperes nutriendos conuertendam eſſe. Tu vero, certe ſcio, qua animi magnitudine negocium aggreſſus es, eadem atq; etiam longe maiore ad exitum vſq; proſequere, vt nec pietas in voluntate, nec in propoſito conſtantia, nec conſilium in exequẽdo deſyderari poſsit. Qua de re, tecum pluribus aget Euſebius Mutinenſis, ordinis noſtri Præſidens, qui has noſtras, vt opinor, tibi eſt redditurus. Et cuius fidei quædam à me cõmendata ſunt ad te deferenda, vt gratiſsimum omnino mihi facturus ſis, ſi de omnibus fidem illi adhibere volueris. Vale.

Antonio

Ant. de Prato Epiſc. Galliarum Canc. Gre. S.

SI per negocia tua mihi licitum fuiſſet, vt ea quæ nunc per literas agere conſtitui, coram téq; alloquens agere poſſem, commodius certe ac maiore cum animi libertate, tum etiam fiducia à me eſſet hæc cauſa tractata, fretus ſiquidem & æquitate cauſæ meæ, & religione tua, & ſi autoritate aliquantiſper deterreri potui, cum ea tamen incredibili humanitati ſit coniuncta, opinor omnino futurum fuiſſe, vt quantum autoritas tua me deterruiſſet, tantundem prouocaret humanitas. Quid enim mihi dubitãdum fuit, cũ apud te religioni ſacriſq; ut accepi, magnopere deditum, religionis cauſam mihi tuendam ſuſcepiſſem? In qua ea ratione agi debere humana omnia diuinaq; iura ſanxerunt, vt ſi in dubium uerteretur, eſſet quæ ius controuerſum, deberet tamen ab omnibus ſecundum ipſam iudicari. Tu vero ſi parum libet animum ab infinitis illis negocijs euocare, quæ in maximo regno adminiſtrando, mentem cogitationemq; tuam, ſibi totam vendicare poſſunt, propone tibi ante oculos vniuerſam familiam noſtram, diuina re, cui dies nocteſq; pure pieq; operatur, pauliſper intermiſſa, te per cõmunia ſacra per eaſdem initiorum leges orare atq; obteſtari, ne tot ſuos labores maxima cum animi alacritate hactenus ſuſceptos, vt ſacerrimæ Lerinenſes ædes in antiquam religionem reuocarentur, caſſos inaneſq; labi patiare, ne ſanctiſſima penetralia, quæ decimo abhinc anno, verum legitimumq; Dei cultum recuperarunt, nunc demum culpa tua,

&

& ,ut libere quod ſentio loquar, propoſiti contumacia, priſtino ſquallori reſtituantur. Nobis ne id obeſſe debebit quod rerum omnium parenti naturæ eſt aſſignandum, quòd in alieno cœlo ſimus progeniti? Fateor, Itali ſumus, ſed prophetico præcepto, obliti populum noſtrum & domum patris noſtri. Sed Pauli admonitu pro eo principe ſub cuius poteſtate degimus, aſsidue Deum obteſtamur, ut tranquillam quietamq; agam vitam. Deniq; & beneficiorum memores, quæ à rege omnium maximo atq; humaniſſimo accepimus, & Gallorum genti maxima coniuncti beneuolētia. Quod ſi græcorum barbarorumq;, ut Paulus ait, idē Deus eſt, & ea de cauſa potiſſime Chriſtianorum omnium, cur qui eiſdem legibus, ſacris inſtitutū, communitate vitæ vobis coniungimur, iidem alienigenæ, externi, & ut ita dicam barbari iudicabimur? Cur diuino cultui dicatorum hominum fidem, quę iam Deo obſtricta eſt, in ſuſpicionem vocare non pudet? Sicut enim non in omni terra eadē fruges, ſic non in omni natura eadem facinora obuenire conſueuerunt. Enimuero ſi contra regis tui decretum, ſi contra uoluntatem principum omnium Galliæ, nos à te repuleris, non opinor Honoratum ipſum Pontificem à Pontifice, non numeroſam cateruam martyrum, quorum ſanguine ſacroſancta illa inſula eſt dedicata, omnino eſſe reiiciendos, qui te rogant & obteſtantur, ne ſe priſtino ſquallori reſtituas, nec cum legitime & ex pietate Chriſtianà viuendi formulam paucis annis apud ſe cuſtoditam viderint, corruptum viuendi genus, & morum licētiam iterum videre cogantur.

tur. Quod profecto accidet, niſi tu ea quæ æquum eſt pietate, atque religione, Deo dicatorum cauſam & ſuſceperis & confeceris. Quod vt facias, te per ipſum religionis ſanctum & venerabile nomen, per diuorum ſacroſanctas reliquias, quibus cœnobium illud eſt refertiſſimum, oro atque obteſtor. Ne cum religionis contemptu, qui niſi tu ei conſulueris omnino ſecuturus eſt, nationis Gallicæ infamia apud exteras nationes coniungatur. Quod ſi nobis, vt ſperamus, à te præſtitum fuerit, id tibi polliceor atque recipio, quicquid ſacrificiorum, quicquid religionis, quicquid diuinarum laudum in auguſtiſſimis illis ædibus deinceps peragi contigerit, id omne humanitati pietatiq; tuę acceptum nos relaturos eſſe. Daturoſq; operã, vt quando alia ratione à nobis tibi opera reponi non poteſt, precibus ſaltem aſſiduis Deum Opt. Max. rogemus, vt tibi, vniuerſoq; huic regno propitius eſſe velit. Id vero à te facile nos impetraturos eſſe, cum humanitas et benignitas tua, tum etiam dies hæc diuino ſpiritui ritu ſolemni dedicata mihi perſuadent, futurumq; vt propediem pro eiuſmodi negocio nõ tibi amplius porrecturi preces, ſed gratias acturi ſimus. Vale.

Michaëli Placentino Monaco. Greg. S.

D*Vm heri in Vallauriano eſſemus ego & Venuſinus Pontifex, qui Antipoli ad nos confugit ob ſæuientem illic vim peſtilentiæ, redditę mihi ſunt à Graſſenſi literæ, iiij. Calen. Mart. Monœci datæ, in quibus erat adſcriptum,*

ptum, miſſum ad ſe à duce Genuenſium Myoparonem cum certiſſimo nuntio, qui referret maxima Gallorum ſtrage de Ticinum eſſe pugnatum ad vij. Cal. Mart. Cum enim in caſtra Hiſpanorum paucis ántea diebus ſuperueniſſet pleniſſima Germanorum phalanx, ielletq; rex ab illorũ incurſu tutiorem reddere exercitum ſuum, dimiſſa Papienſi obſidione, in conſeptum locum quem Parcum appellant, copias omnes contraxerat, imminutas ſane atq; debilitatas, quod militum pars longe optima cum Albaniæ duce in regnum Neapolitanum eſſet profecta. Tum vero Hiſpani duce Federico Aterni, quam nunc Peſchariam vocant, Marchione, nocte quæ diem Matthiæ Apoſtolo dicatam præcedit, maximo ſilentio de tertia vigilia ex caſtris profecti, ut ad locum eum venere, magno cum ſtrepitu muros demoliri cœperunt, excitatiſq; cuſtodibus & rege ipſo, tumultuarieq; inſtructo exercitu, ante lucem in aciem eſt deſcenſum, conflictumq; miſerabili euentu Gallorum. Si tamen is conflictus appellandus eſt, vbi alteri tantum perſequebantur & hoſtes cædebant, alteri vero fugiebant & trucidabantur. Poſtremo is rei euentus fuit, vt Rex ipſe captiuus fuerit, & cum eo rex Nauarræ, Comes Sancti Pauli, & Sabaudiæ nothus, quem magnum regiæ domus Magiſtrum appellant. Ex Italis Federicus Gonzagha, qui honoratiſſimum apud regem locum tenere ſolitus eſt. Periere autem in conflictu Galeacius Sanſeuerinus regis ἀσπιδοφόρος, Boniuettus preterea qui ſuperiore anno cum vniuerſi exercitus dux eſſet, æque infelici euentu cum Hiſpanis bellum geſſerat.

ſerat, Dux Lanchonij, cui in matrimonium ſoror regis coniuncta eſt, audito tumultu fœdiſſimæ fugæ ſe commendauerat. Pauci præterea ex regis exercitu in acie periere, longe vero maxima pars in traiectu Ticini, vi fluminis abſorpta eſt: direpta caſtra, omni genere prædæ refertiſſima, captæ bellicæ machinæ, quorum incredibilis pene erat numerus. Hiſpani hac parta victoria, tantos ſibi ſpiritus ſumpſerunt, ut maxima licentia atq; impunitate ad radices vſq; alpium excurſiones faciant, & quod magis admirandum eſt, quaterni tantum ſ.niue ex populoſiſſimis ciuitatibus per vim captiuos abducunt, & ſi inuitis populis, non repugnantibus tamen. Nihil harum rerum adhuc prouinciales iſti noſtri intellexerunt, quare magnopere cauendum eſt, ne nos eiuſmodi rumorum primi autores fuiſſe dicamur. Tanta enim ſunt ſocordia atq; ſtoliditate, vt veluti certa victoria ſecuri, in vtranq; aurem dormiant. Tu vero velim tibi perſuadeas, omnia hæc ex Apollinis oraculo proficiſci. Omnino tibi curandum eſt, vt per omnes noctis vigilias, diligentiſſimæ in turri fiant excubiæ; & ſi enim nihildum de claſſe auditum eſt, vereor tamen nihilo melioribus auſpicijs illam Maſſilia ſoluiſſe, ac rex ipſe Lugduno diſceſſit. Meminiſti ſane quæ noſtra fuerit expectatio, & qualis ſuſpenſio animi, cum rex in Italiam proficiſceretur: cum non ſatis illi faceret de Hiſpanis & duce Mediolani atq; adeo de regno Neapolitano victoria, ſed vana quadam elatione, Hieroſolymam & Conſtantinopolim primo vere ſe petiturum iactaret. Nunc autem video in tanto

diſcrimine res Gallorum conſtitutas, ut in eo ſolum ſpem ſalutis collocare poſſint, ſi hiſpani vel neſcierint vel noluerint tanta hac victoria uti. Eadem enim, ut opinor, facilitate, Galliam Ciſalpinam ſunt inuaſuri, quo regem ipſum & cum eo totius Galliæ robur inuaſerunt. Certus tamen quodammodo ſum, illos uſq; ad ſacietatem repletiſſimos præda, nihil de ſuperandis alpibus cogitaturos, maxime cum regem captiuum habeant, à quo quaſcunq; voluerint pacis conditiones facile ſe expreſſuros arbitratur. Interim vero quotidie pro captiuis τὰ λύτρα, ut in conficiendis literis traiectitiarum pecuniarum non ſufficiant trapezitę. Vale.

Michaëli Placentino Monaco. Greg. S.

Certiſſima ſunt omnia, & longe veriora his quæ ad Sagram Rex captiuus et tãtum non coniectus in uincula, Picighitonum deductus fuit. Eſt id oppidi nomen in citeriore ripa Abduæ fluminis, natura atq; opere munitiſſimi. Ibi pluribus diſpoſitis Hiſpanorum cohortibus, incredibili diligentia aſſeruatur, cuſtode illi Larchonio dato, cuius in hoc bello longe maxima virtus fuit. Cæterum penè incredibilia ſunt, quæ de horũ militũ importunitate atq; ſuperbia narrantur, ut nulla unquã natio adeo inſolenter victoria abuſa eſſe exiſtimetur. Aiunt ex Sabaudiæ ducis cubiculo per vim quoſdam eſſe abſtractos, quod rebus Gallicis fauiſſent, qui illuc ex pugna velut in aſylum confugerant. Romæ Pontificem maximum à paucis, cum quædam

veluti

ueluti iniqua denegaret, publice affectum conuicijs. Italis principibus, miſerandã regis captiuitatem moleſtiſſimã eſſe, certiſſimum eſt, inſtructiſſimos habent exercitus, mirificos hoſce ſucceſſus imperatoris habent ſuſpectiſſimos (nec enim dubium eſt, tanto rege profligato, uictorem non quieturum) & tamen trepidi ſtupenteſq; quieſcunt. Tanquam uenientem ad ſe calamitatem non ſenſuri ſint, ſed inſpecturi tantummodo, ὦ πέπονες κάκ' ἐλέγχε' ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' ἀχαιοί. Rumor eſt, Sabaudię nothum Papiæ ex animi mærore deceßiſſe, ſerius quidem aliquanto quàm oportuit, tunc enim erat æquius illum mori, cum Galliæ regnum tanta cum auaritia expoliabat, ut nec hominibus nec diuis parceret, Claßis quæ in uadis Sabatijs diu ſtetit ad anchoras deligata, ſoluiſſe dicitur & Populoniam, uel ut complures affirmãt, ad hoſtia Tyberina proficiſci, ut Albaniæ ducem & Rencium Orſinum Maßiliam traijciat, qui eo conſilio ex regijs caſtris, cum non contemnenda manu, paucis antea diebus diſceſſere, ut motus aliquos in regno Neapolitano excitarent, nec omnino irriti cecidiſſent eiuſmodi conatus, niſi regis captiuitas & reliqui exercitus profligatio, in diuerſa parte eſſent obſecutæ. Nunc uero nihilo feliciore euentu illinc eſt regnum illud tentatum, atq; hinc Mediolanenſe. Aiunt certe intra urbis Romæ mœnia utranq; factionem Columnenſium, ſcilicet atq; Vrſinorum, pene iuſto prælio aliquot horis conflixiſſe, diſceſſumq; eſſe expugna in neutram adhuc partem inclinante uictoria, una tantum ratione Columnenſes eſſe ſuperiores, quod ea factio uictori-

bus fœdere eſt coniuncta. Horum malorum Pont. maximus ſpectator non arbiter ſedet. Veruntamen quod ad nos potiſsimum attinet, danda tibi diligentiſsime eſt opera, vt die noctuq; cuſtodes arcis nunquam ex ſpecula diſcedant: incertum enim eſt, quidnam conſilij claſſes Imperatoris & Genuenſium ſint capturæ: & ſi vix mihi perſuaderi poteſt, niſi prius in prouinciam hanc irruperint terreſtres copiæ, claſſes ad nos aduenturas. Pridie certe quam hæc ad te ſcriberem, duo Myoparones ſtationi applicuerũt, quibus Hieronymus Auria Maſsiliam deferebatur, qui aſsidue, (vt noſti) maximis pedum articulorumq; doloribus laborat. Rettulit is mihi, claſſem quę Genuæ in portu, eſt inanẽ penè eſſe, cum à militibus tum etiam à remigibus, vt nihil à nobis inde penitus ſit timendum. Nec tamen iccirco committendum eſſe arbitror, vt non diligentiſsime habeantur excubiæ. Non enim cæterorum noſtraq; ęqua conditio eſt: nam ſi quippiam à cæteris eſt offenſum, fortunæ tantum id aſsignari conſueuit. A nobis ſi quid peccabitur, experimento iam docti didicimus, fore, vt non fortuna, ſed fides noſtra accuſetur. Vale.

Dionyſio Monaco. Gregorius S.

R*Ecte atq; ordine à te factum eſt, quòd muſam noſtram ineptam ſanè atq; inuenuſtam à candidiſsima atq; elegantiſsima deduci volueris: & ſi enim politioris nitidioriſque comparatione maculæ fortaſſe omnes illuſtrius ſunt appariturę, id profecto accidet commodi, quòd qui-*

cunq;

cunq; eas viſuri ſunt, politioris tuæ admiranda pulchritu dine illecti, minus attente noſtrã intuebũtur. Poſthac tamẽ omnino tibi cauendum eſſe cenſeo, vt non ad eius generis homines carmina noſtra deueniant qui, vt tu recte de ſur nio ſentis, non Lerinam tantum, ſed gladios etiam atque ignes poſſint adhibere. Quod vero oſtendis te adeo moleste ferre, quod labores illi noſtri omnino perierint, nequaquam tibi eo nomine tantopere eſt dolendum, cum quod minimæ induſtriæ & paucarum vigiliarum opus erat, tum etiam quod in locum pleraq; aliorum longe doctiora atq; vtilio-ra ſucceſſerunt. Saulio Epiſcopo a te ſalutem plurimã dixi, qui te vehementiſſime amat, tuiq; viſendi eſt cupidiſſi-mus. Js nuper commentarios Euthymij monachi in omnes Pſalmos è græco in latinum cõuertit, opus elegans, ingenio-ſum, eruditum, & in quod ferè omnia quæ à maximis illis viris Origene, Didymo, Euſebio, Baſilio, Chryſoſtomo, in eo genere ſcripta fuerant, breuiter & miro cũ artificio ſunt conie cta. In eo elimando atq; expoliendo, nunc aſſiduus eſt, egoq; illi miniſter aſſideo. Maximam præterea græcorum librorum copiam, et eorum antiquorum incredibili ſumptu atq; induſtria nactus eſt, partim Roma, Florentia, atque Venetijs, partim etiam è media græcia allatorum, miraq; diligentia operam dat, vt eius generis ornamenta, non iam ex languenti, vt ille ait, ſed penè funditus deleta græcia, Genuam transferantur. Sunt iam apud nos ferè omnes an tiquorum in ſacros libros commentarij, in quibus legendis ea ratione afficior, vt tandem videar mihi occultiſſima

myſteria

myſteria, atque ut ita dicam adyta penitus ingredi poſſe, & nunc demum intelligo, quàm nihil ſcire poſſint in ſacris literis, qui græcæ linguæ omnino ſunt ignari. Hæc iccirco ad te ſcribere volui, ut coniectura aſſequerere me huius loci atq; eiuſmodi conſuetudinis cupientiſſimũ eſſe. Vale.

Ioannes Moronus. Greg. S.

GValterius Corbetta, vir cum utriuſq; noſtrum amiciſsimus, tum multiplici literarum eruditione (ut noſti) optime præditus, mecum tam honorifice de te locutus eſt, ut diceret, ſe multos quidem literarum & græcarum & latinarum ſtudioſos vidiſſe, in utroq; autem genere conſumatum æque, ac tu es, inueniſſe neminem. Ex quo me tam ingens cœpit deſyderium amicitiæ tuę, ut amplius diſferre nequieuerim, quin quacunq; ratione poſſem gratiam inirem tuam, atq; id, quo negligentia mea multos dies carui, nũc nouo quodam & fortaſſe temerario literarum genere mihi acquirerem. Quare te etiam, atq; etiam rogo, pro ea quam in te eſſe humanitatem ab omnibus audiui, ut his ſcriptis patiare fundamenta amicitiæ noſtræ, ita iacta eſſe, ut ſuper his (ſi tibi libuerit) exædificare poſſimus. Vale.

Ioanni Morono. Gregorius S.

ET ſi ampliſſimam teſtificationem humanitatis tibi redderant ciues mei, quos omnes ſuauitate morum & facilitate congreſſus, adeo tibi deuinxiſti, ut ipſa etiam memoria conſuetudinis tuæ nihil illis iucundius poſsit accide-

re, longe tamen ampliorem nobis reddiderunt perelegãtes literæ, quę pleniſſime & humanitatis & officij declarabãt ſingulare ingenium tuum, coniunctum pari erga me beneuolẽtia. Habeo igitur Vualterio noſtro immortales gratias, qui licet immodica noſtri commendatione, magis amoris ergà me quàm erga te fidei rationem habuiſſe videatur, eo tamen pacto maxima te noſtri prædicatione deceptum gaudeo, quod mihi incredibilem voluptatem amicitiæ tuæ conciliatione, eiuſmodi deceptio procreauit. Eius vero curã relinquam, an ea quæ de me præſtiturum recepiſſe tibi videtur poſſit repræſentare, te certe tenebo: quando nullo meo dolo malo huc es deductus, vt ſponte etiam mihi amicitiã tuam obtuleris, cuius ita facile patior fundamenta à te poſita eſſe, vt eo tantum nomine conqueri poſſe videar, quod præoccupatis partibus, quę honeſtiores ſunt, nobis difficiliores reliqueris, quando cumulatiore menſura reddi iubet Heſiodus, fruar tamen interim amore tuo & ipſius Vualterij errore, tibiq; polliceor, nũquam in mutua amicitia noſtra excolenda, me uel literis uel officijs defuturũ. Vale.

Leoni X. Pont. Max. Greg. S.

SCio fore complures qui tibi ob demandatam ampliſſimã dignitatem, maximumq; Pontificatum, mirum in modum ſint gratulaturi, idq; non ſuo ſibi tantum iudicio, ſed fortaſſe etiam cæterorum omnium recte atq; ordine facere videbuntur. Si enim cum mediocris alicuius dignitatis cuipiam, quo cum nobis vetus amicitia intercedit, fiat acceſſio

ceſſio, alienum quippiam ab officio facere videmur, ſi non perinde oſtenderimus eo nomine lætari, quaſi noſmetipſi eodem honore aucti & cumulati fuerimus. Quid eos factu ros putamus, cum tibi hæc dignitas, præſertim nec ambien ti nec expectanti, ſit demandata. Qua maior aut amplior ab homine Chriſtiano nec deſyderari quidem poſſe videtur. Habet enim ſummum illud ſacerdotium amplius quiddam atq; auguſtius, quàm vt id in ceteris dignitatibus inuenire poſſimus. Excellit qui eo fungitur communem hominum ſtatum, medius inter diuos atq; mortales eſt conſti tutus. Cæteris nempe vt ſint maximi, vt ſint potentiſſimi reges, in corpora tantum atq; res noſtras imperium exercere eſt permiſſum, vt recte à quoppiam dictum ſit, æquã eos cum cantaride vim eſſe ſortitos. Tibi vero immortalis illa noſtri, atq; adeo diuina pars, animus ipſe, ſcilicet, eſt ſubiectus. Nihil in iuriſdictione tua humanum, nihil terreſtre inuenitur, diuina omnia atq; cœleſtia ſunt. Quo fit, ut non certis limitibus, montibus, ſcilicet, fluminibus aut mari, imperium tuum terminetur, quodcunq; ab ortu ad occa ſum die noctuq; ſol aſpicit, tuis nutibus, tuoq; imperio eſt ſubiectum, nec ea ratione vt id imminui aliquando aut labefactari poſſit, quoad Romana religio, quoad nomen Chriſtianum denique, quoad Chriſtus ipſe regnabit, quod futurum eſt ad omnem æternitatem, eatenus ſummi Pont. auto ritas, maieſtas, atq; imperium perdurabunt. Hæc atq; eius generis complura ſcio eorum nomine qui tibi gratulantur, ad te quotidie perferri, aureſque tuas eiuſmodi vocibus

circunſonare,

circunſonare, vt mihi nequaquam ſit neceſſe, trito iam ve ſtigijs omnium, & conculcato itinere proficiſci. Ego vero pro hac dignitate, quæ omnium patrum ſuffragijs tibi nec expectanti nec deſyderanti eſt demandata, omnium ordinũ ſacerdotibus, principibus, regibusq́; qui eadem nobiſcum re ligione cenſentur, vniuerſæ deniq; Reip. Chriſtianæ mirum in modum gratulor. Cum enim vitam moreſque tuos ab ineunte ætate conſydero, cum caſtiſſime ſuperatam adoleſcentiam, iuuentutem actam grauiſſime atq; ſanctiſſime. Cum præterea intueor quanta animi fortitudine atque conſtantia, paupertatem, diuturnumq; exilium toleraueris, qua prudentia, errore fortaſſe aliquo, grauem tibi aduerſarium Alexandrum Pontificem Maximum, eò deduxeris facilitate tua & ſuauiſſimis moribus, vt non modo odium diſſimulare vellet, ſe etiam ad declinandam inuidiam, ſe tibi cuperet haberi amiciſſimum. Omitto hic domeſticam familiæ tuæ diſciplinã, qua nihil ſanctius, nihil moderatius, præſertim in hac morum corruptela, excogitari poteſt. Hæc atq; eiuſmodi pleraq; mihi ad memoriam reuocanti, facile perſuadetur, fore vt planè oſtendas, non te hac potiſſimũ ætate electum eſſe, vt ad corruptos huius temporis mores, hi qui te ſibi prætulerunt ſuffragia ſua accommodarent, ſed vt declararent iſtis quoque temporibus mira accidere poſſe, vt cum admodum iuuenis, nondum ſcilicet annum quintum & trigeſimum ſupergreſſus, tanto oneri idoneus es iudicatus, id ea ratione factum eſſe, quod quaſi lumen quoddam in hiſce tenebris elucere viderent ſanctitatem & pru

dentiam & magnanimitatem tuam. Praeterea te eſſe ſolum qui poſſes ad tam vaſtae nauis gubernacula, veluti in ſumma puppi ſedere, inter medios fluctus & undiq; circuſtrepētes procellas tuto curſum tenere. Quo fit, vt nunc demum ſibi omnes polliceantur priſtinos Chriſtianorum ritus, & mores ſanctiſſimos, qui ex minimis initijs in hunc ampliſſimum rerum ſtatum, Remp. noſtram prouexerunt. Tibi vero priuatim haud ſatis ſcio an debeam gratulari, & ſi enim fieri non poteſt, vt maxima te dignitate auctū, pro ea quę mihi tecum ab adoleſcentia interceßit, ſeruitute, non vehementer gaudeam, ſæpius tamen mihi venit in mentem periculi quā dignitatis tuæ. Licet enim ad maxima quæq; natus eſſe videaris, licet magnanimitatis atque innocentiæ nemo me tibi teſtis certior eſſe poſſit, tam graue tamen eſt onus quod tibi nuper impoſitum eſt; præſertim cum tibi tam lubrico infeſtoq; itinere ſit incedendum, vt nulli dubium ſit, minimum eſſe debere ſecuritati, maximum autem timori locum. Quid enim, ut in aliquo ſimili verſer, nonne paſtori timendum eſſet, cuius curæ innumeri greges, infinita armenta ea ratione commendarentur, vt capitis ſui periculo cuſtodiendā ſuſciperet, præſertim lege poſita, vt culpam omnem & periculum ipſe eſſet præſtiturus? Vigilandum vtiq; aßidue, ſui minima gregis autē maxima cura eſſet habenda. In hoc rerum ſtatu cū tibi Leo agendum eſſe videam, mihi quidem gratulor, cæteriſq; omnibus qui tuo ęquiſſimo imperio ſunt ſubiecti, tibi vero eo tantum nomine, quod poſt diuturnos maximosque labores,

res,

res, poſt pericula maxima quæ ſpero fore, vti præclara hac indole virtutibus omnibus cumulata, facile ſuperes, par tanto diſcrimini, atq; adeo longè maior merces eſt præparata: danda igitur tibi opera eſt, vt ei opinionem quam de te in inferioribus magiſtratibus concitaſti, in maximo hoc atq; ſupremo ſtudio, labore, diligentia atq; animi magnitudine reſpondeas. Et vt patres qui tibi munus hoc demandarunt, in eo admirandi eſſe videantur, quod ſi ſe ęquo animo paßi ſunt præteriri, id maximo iudicio feciſſe ſint putandi, quod ei potißimum ceßerunt, qui ingenio atq; induſtria, adde etiam moribus & ſanctitate, tantum cæteros omnes excelleret, quantum loco & dignitate eſſet prœſtiturus. Vale.

Auguſtino Graſſenſi Episc. Greg. S.

QVanti ego Chriſtophorum Longolium faciam, quantiq; ſemper fecerim, nemo, vt opinor, te melior teſtis aut locupletior eſſe poteſt. Meminiſti enim cũprimũ Venuſinus noſter Roma rediens eius literas græce ſcriptas mihi reddidit, cuius antea nec nomen quidem audiuerã, quale fuerit noſtrum de Lõgolio, deq; eius eruditione iudiciũ, cum tibi affirmare non vererer propediem fore vt elegantes literæ, orationis incorruptæ candor & puritas, & quod ijs omnibus maius eſt, ſyncerum rectumq; iudicium, tum demum ipſe ab Jtalis acceptum in Galliam transferet. Meminiſti præterea, vt opinor, me dicere, eſſe apud vos viros complures excellenti ingenio atq; doctrina, me tamen

in tantam ſpem eius iuuenis venire, vt crederem cæteros omnes ab illo longo interuallo ſuperatum iri. Cumq; intellexiſſem quoſdam Romæ eſſe, qui illi negocium faceſſerent, confeſtim ad ipſum literas dedi, quibus hortabar vt Lerinam ſecederet, operamq; & fidem noſtram benigne pollicebar. Quo factum eſt vt paucis poſtea menſibus ad nos venerit, vixeritq; nobiſcum dies aliquot, maxima cum familiaritate & amicitia. Accidit vero, vt ego eo tempore grauiſſimis moleſtiſſimiſq; curis Cœnobij noſtri diſtinerer, quod cum iniquiſſimo animo ferrem, mirificoq; arderē deſyderio ocij & quietis adipiſcendi, (quod poſtea opera & beneficio tuo nactus ſum) forte euenit vt inter quotidiana colloquia apud illum eo nomine mirum in modum conquererer, qui, vt ex te poſtea auditum eſt, re tecum cōmunicata, ſponte ſe cum Pont. Maximo acturum recepit, daturumq; operam, vt cum Pontificis autoritas tanta ſit apud patres noſtros, quanta eſſe debet, ego eius interuentu à curarum moleſtia, quæ animum meum diſtrahebant liber aliquando fierem, cumq; tu pro eo mirum in modum mihi gratularere, negaui mihi opus eſſe illius opera aut labore: habere me Romæ fratrem gratioſiſſimum apud omnes ordines: habere Sadolettum qui ſanctiſſimo patriæ vinculo & iure etiam propinquitatis mihi eſſet coniunctiſſimus, quorum gratia & fauore nihil eſſet quod Romæ à nobis confici non poſſet: vetuſtiſſimam præterea ſeruitutem mihi cum Pont. Maximo intercedere, vt nihil eſſet quod nobis de eo pollicceri non poſſem. Sed meum ſanè de ea re iudiciū ſemper fuiſſe,

vti

vti nequid niſi explorata patrum meorum voluntate fieri deberet: nolle enim me, ne ſi poſſem quidem, quippiam ipſis inuitis tentare, ne dicam tranſigere aut paciſci. Sed quod ſummopere admiror de eiuſmodi cogitatione ſua mecum nihil egit Longolius: quare accidit, vt multo etiam magis admirer, quid ita illi venerit in mentem, nunc demũ hanc epiſtolam ad me dare, cuius exemplum ad te mitto, vbi ne ſcio qua intempeſtiua grauitate, Catonem mihi agere velle videtur, ſed ſunt omnia illa οὐδὲν πρὸς Ἔπος, *ut ſuſpicari poſſis hominem Hippocratis vinculis aſtringendum eſſe. Mitto etiam ad te eius epiſtolæ exẽplum, quam ad Longolium dedi, vt tuum ſit iudicium ſatis ne moderate & abſque ſtomacho eius ineptias tulerim, qui etiam ſimulat ſe magnopere cupere, vt de ea re excuſationem eius accipiam, pro qua nihil omnino à me habuerat in mandatis. Poſtremo mihi mirum in modum gratulatur pro adepta animi quiete, hortaturq; vti hac in poſterum frui velim, cum mihi ad ſuperioris anni moleſtias nuper etiam acceſſerit, quod tu nõ ignoras, grauiſſimum onus & longe omnium difficillimum. Prorſus, vt mihi videatur, conſtricto argumento ludere voluiſſe, vimq; ingenij ſui atq; eloquentiæ, tanquam in aliqua declamatione experiri. Vale.*

Vitali Monaco. Greg. S.

ET ſi non tantum mihi tribuo, vt acerbiſſimum hũc fortunæ ictum ea qua decuit conſtantia atq; animi firmitate, me omnino toleraſſe mihi perſuadeam: illud certe di-

cere

cere non verebor inter has iniquorum temporum moleſtias & irruentes vndiq; procellas calamitatum nobis aliqua ex parte concedendum eſſe, ſi grauiſſimo hoc caſu me aliquantiſper commotum fuiſſe non diffitebor. Et enim quis tã communi omnium ſenſu priuatus, & penè dixerim ferreus exiſtat, qui primum hac rerum omnium vaſtitate, deinde creberrimis altera ſuper alteram irruentibus cladibus, vexatus atq; afflictus, nunc demum etiam domeſticis ſpoliatus ſolatijs, non paulùlum dolori concedere cogatur? Ego vero quàm rectè faciam ſi me commotum fuiſſe non negẽ tuo relinquam iudicio, literarum certe tuarum autoritas coniuncta pari erga me beneuolentia, ita omnẽ animi mei ægritudinem abſterſit, & penè deleuit, vt illis lectis penitus acquieuerim. Declarabant enim perſpectum mihi quidem antea innumeris officijs mirificum amorem tuum, nunquã tamen nobis æque gratum atq; iucundum. Cæterum quod alumni tui omnes tanta pietate eius funeri, quem ne de facie quidem cognorant iuſta perſoluerunt, totum illud tibi acceptum refero, in cuius gratiam id factum eſſe neminem puto fore qui ambigat. Video enim te apud ipſos ita teſtata eſſe voluiſſe argumenta tuæ erga me pietatis, vt quæcunque mihi ab ſe tributa fuiſſent, perinde tibi grata fore ſuſpicarẽtur, ac ſi tibi ipſi parentiq; tuæ eſſent perſoluta. Nec ea tamen de cauſa minores illis habeo gratias, cum nequaquam fieri poſſe opinor, vt eum quem à te tantopere amari cum verbis tuis, tum etiam reipſa didicerunt, non & ipſi quoque mirifico amore proſequantur. Quare nihil alienum ab

ea quæ inter nos pietate intercedit factурum me eſſe ſuſpicor, ſi eos maximopere obteſtatus fuero, ut ab hac parentalium obſecrationũ religione eatenus non deſiſtant quoad mihi genitriciq; meæ putauerunt eſſe ſatisfactum, quod quidem tum demum accidet, cum illi ea fide ſe intelligent obſecrare, quæ iuxta diuina pollicita, à Deo Opt. Max. nihil obtinere non poteſt. Vale.

Paulo Sadoletto. Gregorius S.

FAcile ex epiſtola tua intellexi, quanta orationis ubertate, quantaq; eloquentia copioſiores materias tractare conſueueris, qui nullo etiam (ut ais) propoſito argumento, in his literis quas ad me dediſti, tantum abfuerit, ut rerum aut verborum copia deſtituereris, ut nihil etiã uberius luculentiúsue excogitari poſſe videatur. Mihi vero illę ipſę literæ unicum argumentum ad te ſcribendi reliquerunt, ut ſcilicet tantis tuis progreſſibus gratularer, quantos te ex ipſis habere cognoui, quantoſq; ab ineunte pueritia tua, & mihi & patri tuo de te aſſidue pollicebar. Non enim ei argumento locum reliquiſti, quo potiſſimum uti debuiſſem, ut te ad bonarum artium ſtudia incitarem atq; adhortarer, quem egregia quædam atq; admiranda indoles, tum etiam mirifica diligentia in optimis ſtudijs, poſtremo patris & patrui domeſtica exempla adeo prouocarunt, ut te non incitandum putem, ſed teſtimonio literarum tuarum imitandum alijs proponere debeam. Cuius quidem rei communis eſt nobis cum patre tuo, atq; æqua oblectatio, cũ

quo

quo mihi vetus & multo antea quàm tu natus es conſtituta amicitia intercedit. Et cui nequaquam conceſſurus ſum, vt maiore quàm ego de te ſucceſsibuſq; tuis voluptate ſit afficiendus. Nec huius animi mei quiſpiam illo teſtis certior eſſe poteſt, qui vt me quàm maxima iucunditate afficiat, epiſtolas omnes hendecaſyllaboſq; tuos non minus venuſte quàm eleganter ſcriptos, ſimul atque accepit confeſtim ad me legendos defert, quem optime nouit ingenio atq; eruditione tua mirum in modum oblectari. Nuper etiam epigrammata ad Venerem atq; Dianam, in quibus & acumen & inuentionem ſicuti græcos imitantia, ita nequaquam illis concedentia cognoui. Quorum omnium cum ob ipſorum mirificum candorem, tum ob tuum amorem erga me & buccinator & præco fieri non verebor. Tu vero perge per Patrui tui veſtigia eo contendere, quo & indoles tua & illius ingentia beneficia te ducunt: illumq; tibi propone quẽ colas, quem imiteris, cuius vitæ integritatem & mores ſanctiſſimos æquæ atq; eruditionem ſingularem vno omnium ore celebrari vides. De me vero ea tibi pollicearis velim, quæ ab eo proficiſci debent, qui te vnice amet, qui ſtudijs tuis mirum in modum faueat, qui denique ingenio atque doctrina tua, ſupra quam dici poteſt oblectetur. Vale.

Vitali Monaco. Gregorius S.

Multa fuerunt in poſterioribus literis tuis, quę me incredibili voluptate affecerunt, & primum quidem

dem quòd amorem atq; beneuolentiam tuam erga me facile recognoui: & ſi enim mihi à primo ætatis tuæ tempore nihil magis perſuaſum fuit, quàm me abs te uehementer amari, præſeferebant tamen illæ ipſæ literæ incredibilem quandam vim mirifici amoris, ſiue quòd propoſita materia qua me mærentem atq; afflictum conſolabare, idipſum poſtulare videretur, ſiuè quòd penè æque dolendo ea occurrerunt quæ ad leniendum dolorem meum erant aptiſſima. Grata præterea nobis fuit maxima illa diligentia, quod non contẽtus literis quas ad me prius dederas elegantiſſimis ſanè ſimul atq; amiciſſimis, præclarum illud officium nouo hoc beneficio cumulaſti. Poſtremò, feſtiua illa excogitatio qua à nobis literas exprimere conatus es eiuſmodi fuit, vt non ſolũ omnem à me dolorem potuerit auferre, ſed inuitum etiam & reluctantem compellere ad ſcribendum. Enimuero cùm his potiſſimum de cauſis humanitatem tuam magnopere ab omnibus commendari debere videam, illud certe nequaquam commendatione dignum exiſtimo, quòd tanta pertinacia ſilentio ſtudere decreuiſti, vt nihil apud te officium, nihil pietas valitura fuerint, niſi ego conſolatione tibi ſummopere egere vſus fuiſſem. Quanquam enim legifer ille noſter, cuius autoritas apud te tãta eſt, quãta profectò eſſe debet, ſilẽtium non ſolum maximopere commendat, ſed decretis ſuis etiam ſanctum atq; inuiolabile facit, cum tamẽ eius mores vitamq; intueor, quibus nihil abſolutius aut perfectius nec cogitari quidem poſſe uidetur, facile cognoſco, nũquam illum intemperato ſilentij amore ea ratione ab officio

fuiſſe deductum, ut Pythagoreorũ ineptias ſequi vellet, qui, ut de Apollonio Philoſtratus teſtatum reliquit, magis ſilendo præceptoris ſui placita obſeruare voluerunt, quã concitatè ad ſeditionem ciuitatis iram atq; tumultum paucis verbis interrupto ſilentio temperare. Noſter autem hic perpetuam cum ſorore noctem inter diuinarum rerum mutua colloquia duxit inſomnem. Et id quidem, cum nocturnas potiſſimum horas inuiolabili ſilentio obſeruari ſanxiſſet. Quare nihil eſt quod poſthac tantopere taciturnitati ſtudere velis, ut dum alterum declinas vitium, imprudens in alterum, & illud quidem longe maius atq; deteſtabilius, incurras. Porro, quod tãtopere conquereris à me tuis literis non eſſe reſponſum, ſcio id non noſtra, ſed tabellariorum culpa contigiſſe, qui fortaſſe ob infeſta undiq; itinera iſthuc ad vos peruenire non potuerũt, vel certe, ut eſt id genus hominum alienum ab omni urbanitate, taciti prætererierunt. Mitto igitur ad te exemplum eius epiſtolæ, qua prioribus tuis literis reſcripſi: non enim conſilium fuit alienis literis noſtrum nomen apponere, ne cum facultatem noſtram dicendi longo interuallo ſuperent, ſiquid in poſterum ad te ſcripſero, noſtras illas infantiæ ſimul atque temeritatis accuſent. Vale.

Dionyſio Monaco. Greg. S.

E*T ſi non dubito omnem apud te excuſationem noſtram ſuperuacuam fore, idquè pietati, quæ mutua inter nos intercedit mirum in modum eſt conſentaneum, non commit*

tam

tam tamen, ut vel tacita cogitatione peccati alicuius in tã conſtituta beneuolẽtia noſtra me accuſare poſſis. Cum enim moleſtiſſimis occupationibus noſtris factum ſit, ut ſerius ſuauiſſimis illis tuis literis reſcripſerim, quibus me de matris meæ obitu mœrentem conſolabare, omnino ſubuerebar ne me vel parum tu memorem vel officij oblitum ſuſpicareris. In eiuſmodi autem tempora incidimus, tantiſq; rerũ turbationibus impedita, & in his potiſſimum locis, in quibus ego degebam, ut ne dicam apud te virum ſumma prudentia, ſed nec apud propemodũ rerũ humanarũ expertes, excuſatione me egere ſuſpicer, ſi in ſcribẽdis epiſtolis paulo fuerim negligentior, magis fortaſſe mirum videri debeat, me nunc demum etiam ad eius generis literas animum adiecisse. Cæterum tibi perſuadeas velim, hoc meo tempore nihil mihi tuis literis neq; gratius neq; iucundius accidere potuiſſe. Cum enim pleriq; ſoleant magis ex conſuetudine quã ex animo eiuſmodi officijs ſatisfacere, ob id potiſſimum incredibilem accepi conſolationem, quòd te velut in proprio luctu perinde affectum mœrentemq; intellexi, quaſi nunc demum, tu etiam maternis eſſes ſolatijs deſtitutus. Rurſus eiuſmodi rationibus vſus es, ut me afflictum iacentemque excitares, ut pene nefas putarim conſilijs tuis verioribus neſcio, an grauioribus non obtemperare. Fuit certe acerbiſſima nobis eius matris amiſſio, quæ altero iam & quadraginta annis vidua perſeuerans, cum me quadrimulo minorẽ, orbatum patre educandum ſuſcepiſſet, filios præterea complures tanta cum charitate et diſciplina enutriuit, ut nul

lum nobis locum reliquerit patris deſyderio. Quare ſi vera ſunt quæ Paulus ſcribit, vt vera ſunt profecto, honore eas affici debere, quæ vere viduæ ſunt, rectiſſime omnino à te ſcriptum ſuſpicor, illam iam pro vitæ integritate & caſtrimonia, proque ſanctiſſimis moribus beata perfrui immortalitate. Habeo vero tibi immortales gratias, quod tanta pietate illi iuſta perſolueris quæ cum me filium haberet, eam tu quoq; matris loco à te mirifico honore proſequendam eſſe duxiſti. Etenim ea ratione græcum illud ſemper in amicitia noſtra à te cuſtoditum eſt. τὰ φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα, *vt merito me te eſſe alterum exiſtimare debeam. Vale.*

Amico cuidam.

Binas ad te ſuperioribus diebus literas dedi, quæ quoniam certiſſimis hominibus commendatæ fuerunt, coniectura aſſequor, tibi redditas fuiſſe. Cumq; vt à te nobis reſponderetur mirifico arderem deſyderio, obtuliſſetque ſe nobis rurſus certi hominis commoditas, non ſum veritus tertijs etiam tibi moleſtus eſſe, eoq; libentius id feci, quod is ad nos, confectis iſtic aliquibus negocijs, confeſtim eſt reuerſurus. Primus igitur à te ſummopere flagitabam, uti ne ad me reſcribere grauareris, qua nam ratione machinam illam confici poſſe putares, quam ab Euclide nobis oſtenſam fuiſſe ſcripſiſti in globi definitione. Et ſi enim intelligere mihi uideor te ex circunductione ſemicirculi, in lignea æreaue materia, ſic tornatilem globum fieri poſſe opinari, quemad-

modum

modum ex circini circunductione fit circulus, quo tamen pacto id fieri debeat, cuperem ut à te illuſtrius eſſet declaratum. Cum enim nulli dubium ſit, rem ipſam ſeiunctam à materia conſyderanti, quod ſuum proprium eſt mathematicorum, Euclidis definitionẽ intelligi poſſe, in materia certe, cum in eo diu & torno & aſcia laborarim, nondum tamen id quod volebam ſum aſſecutus. Quid vero obſtet, tum facilius à te intelligetur, ſi non cogitatione tantum, ſed inſtrumentis etiam volueris experiri. Ego ſane adhibitis eius generis artificibus admodum peritis, non difficilem ſolum, ſed eiuſmodi ut omnino confici non poſſit machinam illam tuam inueni. Et niſi deſcriptione aut certe verbis id à te nobis illuſtrius fuerit expreſſum, omnino me aſſequi poſſe deſpero. Alteris porro literis petebam, ut ni tibi moleſtum eſſet, locum de Iride quem in Meteorologicis Ariſtotelis, penè intactum reliquiſti, diffuſius explicares, idq; non mea ſolùm cæterorumq; ſed tua etiam præcipue cauſa. Cum enim ais præteritum à te locum, quod difficiliori quadam ratione tractandus eſſet, vereor, ut doctis à te ſit eo pacto ſatisfactum, quorum præcipue ratio in his quæ ſcribimus mihi habenda eſſe videtur. Si vero rudium etiam gratia te tantum ſcribere profitereris, nunquam tamen in difficilioribus locis ſic eſſent illi deſtituendi, ut nihil præter ea quæ omnino cognitu facilia ſunt, intelligere poſſe cederentur. Cum vero nihil ſit in Meteorologicis oſtenſione illa Iridis ingenioſius, ſit etiam à græcis potiſſimumque ab Alexandro, planiſſime demonſtrata, opinor te rudioribus

illis

illis gratiſſimum facturum, ſi non perinde de ipſorum ingenio deſperaris, quaſi nihil difficile obſtruſumq; labore aut diligentia ſint aſſecuturi. Doctioribus vero hac ratione occurri à te poterit, qui, vt ſe habent plerunq; mores, nõ iccirco fortaſſe à te prateritum locum iudicabunt quod rudioribus conſultum volueris, ſed quòd nondum à te ſatis fuerit intellectus. Quare, ſi denuo curaueris vt paraphraſes illa imprimantur, opinionem, quam de te apud omnes concitaſti, eo pacto ſuſtinere poſſe videberis, ſi ea quoq; pars ut pleraq; omnia planè dilucideq; : addo etiam mathematicis demonſtrationibus à te fuerit explicata. Hæc illa ſunt quibus à te reſcribi magnopere deſyderabam. Quod quidem ſi vt facias, poteris animum inducere, id humanitati facilitatique, addo etiam doctrinæ tuæ erit conſentaneum. Sin autem ſecus à te fuerit cõſtitutum, ea quoq; de re vt me certiorem facias te vehementer etiam atq; etiam rogo, ne & ego poſthac fruſtra in ſcribendo ad te laborem inſumam, & tibi ſim fortaſſe moleſtior quàm aut tu velles, aut moderationis & communis ſenſus ratio poſtularet. Vale.

Vitali Monaco. Gregorius S.

COmmodum Mutina literas acceperam, tetra atq; horribilia nunciantes, intra mœnia ſcilicet rerum omniũ inopia, tributorum exactionibus, militum licentia mirum in modum laborari. Extra uero ob incurſiones barbarorum cædibus, incendijs, rapinis, & agrorum depopulationibus,

ómnia fœde miſceri, quibus ita affectus ſum, ut dolorem diutius nequirem diſſimulare, non enim tantum angebar ſenſu præſentium calamitatum, quantum timore atq; expectatione impendentium cruciabar: Cum ecce ſubito a te epiſtola elegans ſanè & grauis, & qua viciſſim adeo ſum recreatus, ut (quòd vix credibile ſit) omnem pene ex animo meo dolorem abiecerim. Gaudeo equidẽ mirabiliter te animum induxiſſe, ut crebras in poſterum ad me eius generis literas dares, quæ tantum abeſt ut mihi moleſtę futuræ ſint, quod ſubuereri uidebaris, ut nihil aptius eſſe poſſit ad leniendas animi mei ægritudines. Cum enim ſint ſuauiſſimi amoris atq; beneuolentię tuæ erga me pleniſſimæ, ob mirificum præterea candorem adeo ſunt venuſtæ & elegantes, ut in illis mihi videatur humanitas cum eloquentia pugnare, & cum utraq; iudiciũ. At enim quod vir ille omnium mortalium, ut rectiſſime ſcribis, lepidiſſimus & amãtiſſimus utriuſq; noſtrum, adeo opportune tibi literas noſtras reddidit, cum ad ſenatum iſtum, de grauiſſimis negocijs eſſet relaturus, ut te cum in diſceptando, tum etiam in dicenda ſententia promptiorem ingenioſioremq; fecerit: agnoſco equidem animi tui moderationem, qui id literis noſtris volueris acceptum referre, quod tu & rerum uſu et ingenij deſteritate iampridem es aſſecutus. Nec tamen id oneris ſumam, ut te decipi de me coner oſtendere, cum literis noſtris tantum tribuis quantum nec à me cognoſci nec à cæteris intelligi poſſe non dubito. Erit profecto tuus hic error eiuſmodi, ut mihi & utilitatis & voluptatis plurimum.

plurimum poſſit afferre, quando hac ratione crebe rrimas à te literas ſum expreſſurus. Vale.

Seuero monaco Ciſtercien. Gregorius S.

CVm me dudum per literas in ſpem maximam adduxiſſes fore, vt M. Tullij orationes opera & ingenio tuo ad vetuſtiſſima exemplaria emendatæ, breui ad me deferrentur, ita muneris tui pollicitatione ſum incenſus, vt nihil à me potuerit maiore cum deſyderio expectari. Cũ quod id opus fœde omnino laceratum, priſtinæ à te reſtitutum integritati intellexeram, tum præcipue quòd mihi perſpectiſſimum eſſet, nihil à te proficiſci poſſe, quod non idem eſſet in ſuo genere abſolutiſſimum. Quare diligentiſſime operam dedi, vt illi ad quos rerum Aldi procuratio eius morte deuenit, opus ipſum ſimulatq; Venetias delatum foret, ſumma fide & diligentia excuſuros ſe eſſe reciperent. Jd enim ex literis tuis te vehementer deſyderare intellexeram, deq; ea re feci te continuo per epiſtolam certiorem. Tanta vero & temporum iniquitas, & rerum omnium perturbatio eſt conſecuta, vt nec noſtras tibi redditas fuiſſe ſuſpicer, & te fortaſſe quod deſperaueris inter has temporum calamitates id poſſe confici, omnem eius rei curam penitus abieciſſe. Nunc vero cum Hercules Genſiagus Mantuę Pont. qui optimorum ſtudiorum, iure ſuo quodam, patrocinium ſibi ſumpſit, idem ex me cognouiſſet, mecum egit diligentiſſime, vt ad te denuo de ea re accurate ſcriberem, ne & nos diutius tanta vtilitate careremus, quantam ex eo opere perci-

pi poſſe certiſſime intellexit, & tu fruſtra laborem & induſtriam inſumpſiſſe videreris: futurum enim, vt eius fauore & gratia noſtræ ad te literæ deuenirent. Et ſi orationũ volumen ad nos dare voluiſſes, uraturum ſe, vt ſumma fide & diligentia redderetur. Quare maximis precibus te oro atq; obteſtor, ne nos diutius eius rei deſyderio & expectatione torqueas, quam, & tu prior debere voluiſti, & nos tanta cum animi voluptate excipiemus, vt nunquam pro eo munere pares tibi à nobis gratias relatum iri poſſe putemus. Tibiq; recipio, non ſolum me, ſed ipſum etiam Herculem, qui, ut merito eſſe debet, Venetijs apud omnes ordines gratioſiſſimus eſt, diligentiſſime curaturum, vt primoquoque tempore labores iſti tui in publicos doctorum uſus prodeant, cum maxima veriſſimaq; ingenij & induſtrię tuę teſtificatione. Vale.

Franciſco Bellincino Iureconſul. Greg. S.

EGo uero, mi Franciſce, nondum ſatis conſtituere potui, iucũdiorne mihi ſit, an acerbior, recordatio priſtinæ cõſuetudinis noſtræ. Cum enim præclaram indolem tuam, ſuauiſſimos mores, multiplicem atq; adeo in omni genere literarum, mirificam eruditionem conſydero, fieri profecto nõ poteſt, vt acerbiſſimum non ſit, perſpectis iam mihi atque etiam paulisper deguſtatis bonis, plurimis iam diebus caruiſſe. Contra vero, incredibili me affici voluptate neceſſe eſt, recordatione amoris tui erga me, iucundiſſimiq; cõgreſſus. Plus tamẽ omnino iucunditatis quàm acerbitatis eiuſ-

modi recordationem habere, ea potiſſimum de cauſa nunc demum ſtatuo, quod viuit adhuc vigetq; certiſſima ſpes fore vt breui ad oblectationem maximam vberrimoſque fructus conſuetudinis tuę reuertar, qua quidem ſi deſtituerer, vehementiam tanti deſyderij ferre non poſſem. Cæterum, & ſi me non diutius iſtinc abſuturum certiſſime ſcio, vt tamen nihil de die certum polliceri audeam, faciunt iniquiſſimi huiuſce temporis motus & perturbationes, ob quas non ego ſolum de remanſione profectionéue ſuſpenſo animo ſum, ſed maximi etiam & potentiſſimi reges coguntur de ſtatus ſui ratione dubitare. Nuper quidem certe cũ maximæ et inſtructiſſimæ copiæ Venetorum ad Padi ripas conſederint, quæ, vt certiſſimis coniecturis aſſequimur Hiſpanos, Germanoſq; conſecuturę, extructo iam nauibus ponte, de traiectione cogitant, tutiſſimum uiſum eſt eatenus me itineri partim, ſuſpecto, partim etiã certiſſime infeſto non cõmitere, quoad a militari tumultu fuerint omnia tranquilliora atq; ſedatiora. Eo enim potiſſimum, vt noſti, conſilio Mutina diſceſſi, vti ne inſolentium hominum, & (quomodo nunc eſt) in vi & audacia omnia poſita eſſe exiſtimantium, iniuriam et contumelias cogerer perpeti, quod experimento didiceram, paulo me eſſe delicatioris in eo genere ſtomachi, quàm vt ea deuorare abſq; nauſea poſſem. Eſſet vero inſipientis & inconſyderati, cum plurium menſiũ iacturam æquo animo tolerauerim, nunc demum rebus propemodum conſtitutis, paucorum dierum expectationem ferre non poſſe. Vale.

Guliermo-

Gulier. Langiço Regis Franciæ Secr. Gre. S.

Cum vix fieri poſſe putarem, vt non modo tibi congredi, teq; coràm alloqui poßem, ſed etiam vt ſi quas ad te dediſſem literas, eæ aliqua ratione reddi poſſent, ob tẽporum iniquitatem, atq; infeſta, vndiq; itinera, repente mihi allatum eſt, te in Italiam aduentaſſe, eo potiſſimum conſilio ab rege optimo, & (quæ veriſſima præfatio eſt) Chriſtianiſſimo miſſum, vt non nutantibus tantum, ſed penè funditus iam euerſis Chriſtianæ religionis rebus, ſtudio, atq; dexteritate tua opem ferres. Quo quidem nũcio, nihil iucundius, nihil optatius nobis accidere potuit. Ex quo enim primum mei in te amoris fundamenta poſuit vir optimus, & vtriuſq; noſtrum amantiſſimus Venuſinus Pontifex, cum à nobis in Lerina Longolij orationes deſcribendas accepiſti, nullum à te pretermiſſum officium eſt, quo ſingularis tua in me beneuolentia illuſtrius aut expreſſius declarari poſſet: nec enim mihi memoria excidit, ſed nec profectò excidet aliquando cùm tu mihi Lugduni gratiam, conſiliũ, autoritatem tuam, ita ſine vlla exceptione, aut laboris, aut occupationum pollicitus es, vt tamen ampliſſimas pollicitationes opera & ſtudio ſuperaueris. Acceſſerunt deinde fratris tui uiri ſanctiß. atq; innocẽtiß. innumerabilia in me merita, quibus factũ eſt, ut cũ omnino mihi perſuaſum ſit, nequaquã fieri poſſe, vt tantis ueſtris in me beneficijs aliquã do reſpondeam, non tamen verear, longe maiora mihi de vobis in poſterum polliceri. Ea nempe ratione à maximis

viris beneficia collocari conſueuere, ut ea non facultate accipientium, ſed dantium magnanimitate æſtimentur. Accidit vero incommodiſſime, quod tu eo præcipue tempore Mutina iter facturus es, quo ego ob longe difficillima, mihique mirum in modum moleſta negocia, abſens eſſe cogor, ut nō te coram alloqui, tuisq; illis ſuauiſſimis congreſſibus perfrui poſſim. Et ſi enim te grauiſſimis negocijs pro ſuſcepta prouincia aſſidue diſtineri certiſſime ſcio, mihi tamē adeo perſpecta eſt morū tuorū incredibilis facilitas, pari ingenio cōiunctæ, ut mihi perſuadeam futurum etiam fuiſſe, ut inter tantos negociorum (ut ita dicam) fluctus, te per ocium perfrui poſſem. Quod quando iam ne ſperandum quidem mihi eſſe videtur, conſilium fuit, certum hominem ex collegio noſtro ad te mittere, qui mihi exploratiſſima omnia de te referret, quiq; eius cœnobij, quod fidei noſtræ creditum eſt, ea ratione tibi negocia commendaret, ut certo ſcires, quicquid ſtudij & operis in eo tuendo collocaſſes, te non in alienis rebus, ſed in ijs quæ iure optimo, & tanquam mancipio & nexu tuæ ſunt, te collocaturum eſſe, quod ut libenter facias, meq; in poſterum eius ſpei uſura ſinas perfrui, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

Paulus

PAVLVS PAPA III.

Dilecto filio noſtro Gregorio Corteſio S. R. E. Preſbytero Cardinali.

DIlecte fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hodie in his ſacris Ieiunijs, atq; in Conſiſtorio noſtro ſecreto, inducti ſingulari tua probitate, religione, integritate, ac doctrina, te Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyterum Cardinalem cum Dei nomine, de Venerabilium fratrum noſtrorum, eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, creauimus: firmiter ſperantes, quod his difficillimis temporibus, tua opera & conſilio nobis & ornamento futurus ſis & adiumento. Cui noſtræ ſpei, vt (quemadmodum te dignum eſt) reſpondeas, vtq; à nobis pileum rubrum Cardinalatus inſigne, iuxta veterem & probabiliorem morem præſens accipias, te hortamur, tibiq; iniungimus, vt primo quoque tempore venire matures ad nos, qui te libentiſſime videbimus. Interea, has noſtras literas teſtes ac nuncias tuæ dignitatis, vnà cum birreto rubro de more à nobis benedicto, per dilectum filium Cornelium Bellenzinum nepotem tuum, ad te mittimus, quas tu debita cum reuerentia recipies. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 11. Iunij M. D. XXXXII. Pontificatus noſtri, Anno octauo.

Paulo

Paulo III. Pont. Max. Gregorius S.

Vix fieri poſſe credidiſſem, vt oculis S. veſtræ in ſupremo rerum vertice conſtitutis, inter tot graues, tamq; multiplices, curas quibus in Chriſtianæ Reip. gubernatione animum eius neceſſe eſt diſtrahi, ego in infimis poſitus, & velut in abdito quodam deliteſcens, aliquando poſſem occurrere: Præſertim cum memetipſum penitus intuens, nihil cognoſcerem, quod à longe quaſi lumen aliquod elucere poſſet. Enimuerò cum fama primum, deinceps com pluribus nuncijs, poſtremò honorificis S. veſtræ litteris factus ſum certior, me in Sacroſanctum Cardinalium Collegium cooptatum, equidem ſic exhorrui, vt vix longo demum interuallo animũ potuerim recolligere. Ab eius enim rei expectatione adeo longe aberam, vt nec mihi aliquando in mentem venerit, tale quippiam ſuſpicari. Præclareque mecum agi putabam, ſi in inferiori ordine & gradu conſtitutus, ea quæ mei muneris eſſent præſtitiſſem. Cum uero intellexi id etiam ea ratione factum, quod ſpes aliqua eſſet, me S. veſtræ opera & conſilio iſtis difficillimis temporibus & ornamento & adiumento futurum, grauem mihi aduerſariam cõſtitutam eſſe perſpexi, concitatam de me expectationem: quàm decipere quodammodò nefarium, ſuſtinere autem longe difficillimum eſſet. Ego certe P. S. cum nec ob iſtud veſtrum de me inditium obſtrictum videam memoria beneficij ſempiterna, & non modo ad referendam gratiam, ſed nec ad habendam quidem aut prædi-

candam

candam ſatisfacere poßim, quod vnum poſſum polliceor, eximium, ſcilicet, ac ſingulare ſtudium, fidemq; erga S. Sedem Apoſtolicam, vniuerſamq; S. V. cognationem. Quæ in re, & ſi fortaſſe cæteris ordinis noſtri ingenio, eruditione, & vſu rerum, amore tamen, diligentia, atq; fide nemini certe ſum conceſſurus. Quod vero ad profectionem meam ad urbem attinet, quam vt ampliſsimę huius dignitatis inſignia præſens accipere poßim, primo quoq; tempore S. V. aggredi iubet, & ſi obtabiliter nobis iter illud eſt ineundũ, quo ad beatorum pedum oſcula, ad agendas gratias, & ad munus noſtrum exequendum ocyßime aduolem, attamen ſi S. V. à ſe impetrari permittet vt iſthæc noſtra profectio in Calendas Septemb. reijci poßit, iſtud profecto multis de cauſis rationibus noſtris conducere videretur. Primum quidẽ, quòd celeberrimi huius cęnobij, cui præfui quinquẽnio rebus conſtitutis, rationes omnes confectas ſolidataſq; relinquam. Deinde quod cum proxima hieme & vere toto ſatis vehementer ægrotarim, tum demum valetudine melius confirmata, iactationem, cæteraſq; itineris moleſtias, abſq; omni periculo ſuſtinebo. Poſtremo, quòd ęſtiuis caloribus mitigatis, quibus imbecillia corpora maxime tentari ſolent, expeditius & maiori cum ſecuritate iter conficiam, Qua in re, ita demum conſilium noſtrum S. V. probatum eſſe cupio, ſi nulla ex parte ab eius animo & voluntate diſcreparit. Cum enim ad hanc ætatem, omne vitę meæ curriculum, ita ſemper dirigendum eſſe duxerim, vt quaſi ſignum mihi eſſet propoſitum, ad quod omnes actiones

nes

nes meas intenderem, ſuperiorum meorũ in primisq; Beatitudinis veſtræ voluntas, nunc eo magis enitar, vt omnes obedientiæ numeros, parteſq; impleam, quo quaſi membrum proxime capiti adiunctum, totam uiuendi rationem, tamquam vitalem ſpiritum potiſſimum à Sanctitate veſtra petere haurireque debeam. Jncolumen Sanctitatem veſtram Deus Opt. Max. ſeruet. Ex cœnobio S. Benedicti Mantuani iij. Jd. Junij M. D. XLII.

Paulo III. Pont. Max. Gregorius S.

CVm in hoc extremo rerum omnium diſcrimine atq; in iſtis difficillimis tẽporibus mirificos ſedis Apoſtolicæ labores, ancipites variosq; caſus intueor, rurſusq; excelſi conſtantisq; animi Beatitudinis veſtræ magnitudinem, neminem adeo impium fore arbitror, qui denegare audeat, diuinitus iſtud procuratum fuiſſe, vt qualia pericula quantiq; labores futuri erant Reip. Chriſtianæ, talis etiam tantuſq; propugnator & conſeruator exiſteret. Vt enim à maximis periculis initium ſumam, quis non videt iam inde à Chriſti ſaluatoris noſtri obitu, cuius tu vim nomenq; ſanctiſſime refers, nunquam uno eodemq; tempore, tot prodigioſis dogmatibus, tot monſtris opinionũ verã ſanctamq; religionem nõ oppugnatam modo, ſed debilitatam propemodũ fractamq; fuiſſe. Cum interim uniuerſo Chriſtianorum nomini bellum violentiſſimus hoſtis indixerit, & ferè omnium qui aliquando fuerunt, rex maximus atq; potentiſſimus, longeq; præterea ſæuior & pernicioſior peſtis adhæ-

reat uiſceribus. Crudeliora namq; inter ſe bella Christiani reges hactenus geſſerũt, quã à Turcarũ imperatore ipſis Christianis fuerint illata. Quantos vero contra hæc omnia labores S. V. ſuſceperit ſatis declarant, ætate iam ingraueſcente ſæpius ſuſcepta itinera, ut ad congreſſum eorum perueniret, quorum animis recõciliatis, pax intus, foris victoria futura eſſe ſperabatur. Nec te aliquando ab eiuſmodi laboribus aſperitas viarum, aut longitudo itineris retardauit. Quo vero ſtudio, quãue laboraueris diligentia, vt eos qui in ignorãtiæ dicam an magis pertinaciæ tenebris errãt, ad veritatis lucem reuocares, teſtes ſunt viri doctrina & ingenio excellentes, quos maximis ſumptibus paternaque ſolicitudine ad eos, velut ad oues perditas, ſæpius deſtinaſti: teſtes indicti conuentus, ad quos vniuerſos chriſtianorum ordines, edictis publicis, publicoq; præconio tamquam è ſublimi quodam excelſoq; loco conuocaſti. Sunt iſta quidem maxima Pater Beatiſſime, Dei Opt. Max. Vicario digniſſima, quæq; Chriſti ſaluatoris noſtri animũ pietatẽq; referant. Eſt tamen aliud quiddã longe maius, quod mirificis laudibus vno omnium ore celebratur, quoq; non ſolũ cęteros omnes qui ante te fuerunt, ſed te ipſum etiam, tuaſque præclaras actiones longo interuallo ſuperaſti, admirandus ſcilicet ille virorum delectus, quos in ſacroſanctum Cardinalium collegium cooptaſti, in quo, tãtum abeſt ut aliqua ſubſit opinio ſordidi, illiberaliſq; quęſtus, ut admirabili etiam diligentia ipſam Italiam, omneſq; exteras nationes animo menteq; ſæpius peragraueris, vt vitæ ſan-

 ctimonia,

ſtimonia, doctrina multiplici, vſu rerum, ingenioq; praſtātes viros, velut è tenebris eductos ad lucem, ignaroſque omnino eius rei ad ſummum gradum, ordinemq; proueheres, eſq; id eo conſilio aſſecutus, vt quaſi pratum quoddam multiplici florum varietate, ſuauiſſimis odoribus, coloribuſq; diſtinctum, ſic ampliſſimum iſtud collegium omni virtutum, omni doctrinarum genere ornatum refertumq; intueamur. Cum vero hęc ſapienter diuinituſq; geſta, non modo tacitus mecum admirarer, ſed maximis etiam laudibus celebrarem, repente nec ſperantibus, nec opinantibus nobis reddita ſunt S. V. literæ, quibus me quoq; in Sacroſanctum illud Collegium, inter tot Chriſtianæ religionis lumina, aſcriptum cooptatumq; refers. Qua in re, & ſi nefas omnino iudico de Beatitudinis veſtræ conſilio iudicare, cum tamen meipſum penitus cognitum perſpectumque habeam, videamq; omnino futurum, vt tantæ de me expectationi quantam in eiſdem literis cōcitatam fuiſſe S. V. ſcribit, minime ſim reſponſurus, ſummopere vereor, atq; adeo pertimeſco, ne maximæ illi prouidentiæ quà hactenus vſa eſt in eiuſmodi delectu habendo, aliqua in eo nomine macula inuratur, quod acceſſione iſta dignitatis tantum mihi onus impoſitum cognoſcent omnes, vt facilius opprimi poſſim, quàm illud valeam ſuſtinere. Sed quoniam in re loco; admodum difficili verſatur oratio: & fieri nequit, vt S. V. præceptis non obtemperem, quam diuino inſtinctu agi mihi certiſſime perſuaſum eſt. Illud tantum habeo polliceri, me quidem cæteris ingenio, eruditione, & rerum experientia

perientia conceſſurũ. Sed neminem fore qui præceptis S. V. obſequentior & ad omnem nutum paratior inueniri poſſit. Quod nolim tamen arroganter dictum existimari, ſiquidem cæteras morum, intellectuſq; virtutes concedes multis, ſi illud mihi aſſumpſero quod diligentis obedientiſque proprium eſt: quoniam ſedulo ſtudioſeq; in eo ab adoleſcentia verſatus ſum, iure illud meo mihi quodammodo vindicabo. Reliquum eſſet, vt S. veſtræ pro iſto de me iudicio proq; ampliſſimo honore delato, gratias agerem: ſed quoniã quibus id verbis, quáue ratione ſit faciendum ne cogitari quidem à me hactenus potuit, & quæ debetur gratia minime à nobis prædicari aut celebrari poteſt, habebo certe & immortalem & quantam animus noſter capere poterit.

P. Card. Bembus. Greg. Card. Cort. S. P. D.

HEri te in noſtrum Cardinalium Collegium à Paulo tertio Pont. Max. incredibili totius ordinis conſenſu, cooptatum fuiſſe, valde lætor. Quod quidem tametſi ſerius factum eſt, quàm opportuit, quamq; ipſe crediderãm futurum: nam cum anno ſuperiore apud illum hac ipſa in cauſa plurimum de te ſermonem habuiſſem, ſic ab eo diſceſſi, vt confiderem cum iјs, qui paucos poſt dies eundem honorem aſſequuti ſunt, te renuntiatum iri: tamen cum ſit is vniuerſi Chriſtiani orbis concilium, hieme proxima concelebraturus, à Deo Opt. Max. te in hoc tempus reſeruatum facile crediderim, vt tibi ad hoc muneris accerſito, ſtatim quaſi campus latiſſimus pateat, in quo ſe virtus laudabili-

ter oſtendere & exercere poſſit tua. Quare de eo non tibi ſoli gratulor, cuius nomen doctrina tua excellens, religio, pietas, incomparabilis prudentia, tam clarum iam apud omnes gentes reddiderunt, vt poſtrema hæc dignitas, nõ tam priorem tuam dignitatem auxiſſe, quàm ad illam acceſſiſſe videatur, ſed & collegio ipſi noſtro, quod mehercle te addito valde erit poſthac ornatius; & toti plane Reip. quam quidem es ab ijs hominibus, qui eam hoſtiliter inuadunt, tuo illo prope diuino ingenio et ſapientia & reliquarũ virtutum plurimarum, tamquam acie ac robore peropportune defenſurus, eiq; magnæ tum gloriæ, tum vtilitati futurus. Me quidem habebis eundem in poſterum, quẽ adhuc multos ab hinc annos habuiſti, amantiſſimum & cupidiſſimũ tui: & præterea, quoniam in eodem collegio erimus; & in conſilijs capiendis, & in ſententijs dicẽdis, & in omni vita tecum imprimis coniunctiſſimum. Vale. iij. Non. Jun. M. D. XLII. Romæ.

Greg. Card. Cort. P. Cardinali Bembo S.

F*Acit tua ſingularis humanitas & perſpecta erga me beneuolentia, vt eadẽ tibi cæteriſq; de me audeas promittere, quæ ego de teipſo, ſummiſq; tuis virtutibus, tuto ac veriſſime polliceri poſſem. Hæcq; potiſſimum cauſa fuit, vt tantam operam curamq; ſuſceperis, quantam & tu in literis tuis ſcribis, & mihi certiſſime eſt perſuaſum, vt ego in iſtum ampliſſimum ſacroſanctumq; ordinem cooptarer. Qua quidem in re, cum ita à te laboratum ſit, vt nullam rationem*

tionem præteriens ornandi mei, vereor ſanè, ne me tantis præconijs & eiuſmodi laudibus, maximo tuo periculo obligaris, & cum ego ſoluere nequeam, tibi dependendum ſit, quod Paul. tertio Pont. Max. cæteriſq; pro me adeo prolixe ſpopondiſti. Reciperem fortaſſe me omni diligentia omniq; ſtudio poſthac curaturũ, vt quoad poſſem, maximæ illi expectationi à te potiſſimum concitatæ, aliqua ex parte reſponderem, niſi cernerem, ſacroſanctum iſtud collegium viros ferè omnes doctrina, ingenio, vitæ ſanctitate, cæteriſq; animi virtutibus adeo illuſtres, eximioſq; habere, vt nullus non inſcitiæ modo, ſed nec, vt ita dicam, mediocritate virtutis in eo locus eſſe videatur, nihilq; niſi ſublime & exceſſum de ſe ipſis cum polliceri, tum maxime præſtare eos oportere, qui in illum ordinem, gradumq; deliguntur, cum etiam quod ad concilium attinet, quod proxima hieme celebrandum ſcribis, pleroſq; in iſto collegio videam ita eloquẽtia, multiplicibus linguis, & eruditione ſacrarum literarum præditos, ita deniq; in omni doctrinarum genere excellentes, vt nihil præterea oportuerit deſiderari, niſi Paulus Max. Pont. admiranda quadam ſapientia, & penè diuino conſilio, ſi quid vſpiam eſt adeo perfectum, quod omnes in ſe habere numeros virtutis videatur, illud totum ampliſſimo iſti collegio deberi exiſtimaret. A quo quidem ego tam longe abſum, vt ad id etiam niti quod aſſequi nequeam, ſuperuacuum & temerarium videatur. Verumtamen, quoniam tecum propediem futurus ſum, quo cum omnia quæ me maximis curis afficiunt communicare potero,

breui

breui quod nunc inſtat expediam. Jta tibi velim perſuadeas, nihil mihi gratius iocundiúsue futurum, quàm aſſiduam tui conſuetudinem, & in omni vita coniunctionem. Vale. Ex Monaſterio S. Benedicti Mantuani iij. Cal. Julij M. D. XLII.

Cardin. Rodulphus. Greg. Car. Cort. S.

GRatulor tibi vir optime, quod eum honorem, qui probitati, virtutiq; tuę iampridem debebatur conſecutus ſis: Deumq; Opt. Max. teſtor, tantam me cępiſſe ex hac tua dignitate voluptatem, quantam capere debet, qui cunq; bonos in pretio eſſe, ac virtutem ipſam honori eſſe lætatur. Noueram quidem ipſe ingentem doctrinam tuam, ſummamq; animi tui moderationem & probitatem, tacitusq; prope indignabar, quod tam ſero in noſtrum hoc ſummorum patrum collegium aſciſcereris; id quod ego propterea deſyderabam, vt tua ipſa virtus nobis quidem ornamento, Chriſtianæ vero Reip. vtilitati eſſe poſſet. Vides enim in quæ tempora incidimus; quæ tam ſæua, tam aſpera ſunt, cum vbiq; diſcordiæ vigeant, atq; vndiq; arma metuantur, vt niſi viri ſapientes clauũ in hac noſtra Rep. teneant, magnum illam diſcrimen ſubituram eſſe exiſtimare debeamus. Quod intelligens ſummus, idemq; optimus, & ſapientiſſimus Pont. viros vndiq; ſapientia & virtute præſtantes accerſit, quorum opera atq; induſtria, in hac chriſtianæ Reip. adminiſtratione vtatur. Cum autem qua tu ſis probitate, qua rerum omnium peritia ornatus, et inſtructus

inſtructus, nequaquam eſſet obſcurum: quomodo enim late re virtus poteſt, quæ velut ignis ſeſe ipſa prodit atq; aperit? eo factum eſt, uti te in hoc dignitatis gradu, qui poſt pontificium numeratur, atq; ampliſſimus habetur, collocarit, ut te ſcilicet lateri ſuo hærentem, aſſidue conſulere atq; ex tua, ſicuti ex cæterorum ſententia de maximis quibuſq; rebus ſtatuere poßit. Quod cum omnibus nobis gratißimũ acciderit, mihiq; imprimis, qui te propter tuas innumerabiles virtutes tot annos amo; ſtatui quod præſens facere non poſſum, per literas tibi de iſto honore; quem cum tanta tua laude conſequutus es, gratulari. Neque id ſolum, ut meæ, ſed ut aliorum etiam erga te voluntatis teſtimoniũ tibi darem: quam cum veneris, tam egregiam cognoſces, ut ab aliquo noſtrũ nihil ſis præterea requiſiturus. Vale. Romę Id. Junij M. D. XLII.

Greg. Card. Cort. Cardinali Rodulpho S.

QVod mihi pro hac ampliſſima dignitate eloquenter & beneuole es gratulatus, id non tam rei ipſius cõtemplatione mihi iucundum fuit, quàm quod ex epiſtolæ tuæ alacribus, lætiſq; verbis, et crebritate ſententiarũ facile intellexi, propenſum animi tui erga me affectum, ingenſq; ſtudium, quandoquidem ipſius veritatis ſententia eſt, orationis copiam ex cordis vbertate ſolere proficiſci. Illud quidem perſæpe accidiſſe video, atque adeo in memetipſo multotiens ſum expertus, ut alicui arctißime afficerer, qui me rurſus inſcium ignarumq; eius rei, pari beneuolentia proſequeretur.

ſequeretur. Tibi enim perſuadeas uelim, me multis ab hinc annis, quodam intimo animi ſenſu, ob præclaras, eximiaſq; tuas virtutes, ſingulari obſeruantia tibi fuiſſe coniũctum. Quod et ſi frequentiori conſuetudine, apertioribuſq; ſignis à me nunquam eſt declaratum, id ſolum ob diuerſa inſtituta, longiſſimeq; diſpares dignitatis gradus accidiſſe certiſſimum eſt. Nunc vero mirifica hac occaſione oblata, dabo diligenter operam, vt quod in ſola mentis agitatione verſabatur, aliquando foris exprimam, & quanti te tuaſq; præclaras uirtutes faciã, aperta declarem ſignificatione. Quod vero me in iſtum ampliſsimum ordinem cooptatum ita gratularis, vt pene ſero id fieri aliquando apud temetipſum lamentarere, id ſolum ab animi tui candore quodam eximio, intelligo proficiſci, cum nullius tam egregiæ virtutis mihi ſim conſcius, vt ea à te, tuiſq; ſimilibus præſtantiſſimis viris queant deſyderari. Equidem cum eiuſmodi veſtras de me prædicationes mecum ipſe reputo, cogor non tam lætari quod à vobis lauder laudatiſſimis viris, quàm dolere quod iſtis veſtris laudibus, & huic tantæ de me expectationi minime ſim reſponſurus. Te tamen in poſterum à me omnia ſumma in te ſtudia officiaque expectare velim, quæ ab amiciſsimo coniunctiſsimoque poterunt proficiſci, quod quidem amoris tantum mei teſtificandi gratia, velim dictum exiſtimes. Vale. Ex Monaſterio S. Benedicti Mantuani, iij. Cal. Julij. M. D. XXXXII.

G. As.

G. As. Car. Cam. Greg. Card. Cor. S.

CVm omnes Cardinales hoc ipſo nomine, & hac ſanctiſsimi muneris ſocietate, magno apud me in honore eſſe debeant: tum ſi quis præterea aliqua inſigni virtute præditus eſt, quales iam in noſtro collegio plerosque videmus, is mihi in parentis ac plane domini loco ſemper habetur. Exiſtimo enim id quod re ipſa experior, horum hominum laudibus non modo ipſos frui, verum etiam vniuerſum ordinem ornari: quatum cum in me quoque nonnulla pars redundet, tum communi nomine, tum meo ac proprio, plurimum illis me obligatum duco. Itaque nihil mihi gratius aut optatius accidere poteſt, quàm cum talibus viris noſtrum collegiũ frequẽtari video. Qua in re, cũ S. D. N. ſingularis ſapientia, ac plane diuina mens, ſicut in cæteris extiterit, ſiquidem hoc genere laudis facile ſuperiores omnes ſuperauit, tum in te legendi multum perſpexiſſe ac nomini Chriſtiano conſuluiſſe exiſtimatur. Omnes enim de doctrina, de ſapientia, de religione tua ea prædicant, vt his præſtantiſsimis virtutibus, cuiuis clariſsimorum virorum te parem eſſe confirment. Quamobrem tibi primũ, vt debeo gratulor, nec ſolum quod Cardinalis factus es, quãque id eſt maximum, verumetiam quod ego non minoris æſtimo, quod omniũ approbatione ac plauſu factus es. Quã dignitatem tibi vniuerſæq; Chriſtianæ Reip. (id quod ſpero) Deum fortunare volo, omne meum ſtudium tibi polliceor ac defero, vt quod ætas noſtra, tuaq; ſumma virtus

poſtulat, in te colēdo patriam mihi obſeruantiam ſtatuam, vt tibi hoc affirmē, neminem neq; noſtri neq; alterius vllius ordinis, magiſquàm me, in tua poteſtate vnquam futurum. Vale. meque commendatum habe. Poſtr. Non. Junij, M. D. XLII. Romæ.

Greg. Car. Cort. G. As. Car. Cam.

SVnt quidem omnes Cardinales iure, vt ſcribis, apud te in honore maximo, cum ſinguli ob eximias virtutes, tum præcipue vniuerſus ordo, quo nihil auguſtius, nihil ſanctius excogitari poteſt. Quid enim illi ordini conferri debet, in quem mira prouidentia, prudentiſſimoq; delectu ita omnes aſſumuntur, vt in Reip. gubernatione Pont. Max. quaſi membra capiti adiuncta, adiumento, ornamentoque ſint? Jllorum potiſsimum integritati, innocentiæ, & conſilijs, ſi quid vſpiam eſt religionis, ſi quid pietatis, ſi quid fidei, ſecundum Deum aſcribi debere, nemo eſt qui ambigat. Jpſorum attentione & vigilantia, qui Dei Opt. Max. vices, poteſtatemq; referunt, non humana ſolum, ſed diuina etiam vbique terrarum procurari adminiſtrariq; debent. Quo fit, vt tuum ſingulare iudicium, egregiāq; indolem, ſatis admirari nequeam, quod magnam in te partem earū laudum redundare putes, quibus ſinguli eius ordinis afficiuntur. Nunquam enim adeo illorum, vt ais, laudibus te frui arbitrareris, niſi quadam virtutis ſimilitudine, non nomine ſolum, eiſdem eſſes coniunctus. Videmus etiā Paulum III. Pont. Max. propter eam potiſsimū cauſam, vno

omnium

omnium conſenſu celebrari, quod pleroſq; præſtãti ingenio, excellenti doctrina, omni demq; virtutum genere præditos viros, in ſacroſanctum illud collegium cooptarit. Fecit vero hoc Pontificis Summi in cæteris deligendis penè diuinum conſilium, vt ego quoque, qui nec de nomine quidem tibi fueram cognitus, non diſsimilis eorum exiſtimer, qui hactenus admirando iudicio, ſolertiq; examinatione, in ampliſſimum illum Senatum cooptati fuerunt. Cuperem ſanè vt me talem ipſi, cæteriſq; præſtare poſſem, quale illius fuit de me iudicium; ne quod hactenus prudenti conſilio feciſſe putatur, nunc demum meo potiſſimum nomine minus probari poſſit. Sed quoniam plurimum abeſſe ſentio, quàm ut ego tantæ de me expectationi reſpondere poſſim, eoſdemq; intelligo futuros eſſe iudices inſcitiæ meæ, qui nunc magnum quiddam de me ſibi polliceri videntur, dabo poſthac diligẽtiſſime operam, vt deceptæ huius expectationis incommodum, aliorum officiorum compenſatione leniam, ſtudiumq; omne meum ad ſingulos eius ordinis ſuſpiciendos colendoſq; conuertam. Inter quos cum tibi plurimum debeam, non ob eam ſolum de me expectationem, qua me potiſſimum oneratum ſentio, ſed ob amoris tui erga me ſingulare teſtimonium, & maxima beneficia, te etiam inter cęteros mihi propoſui, quem obſeruantia, cultuq; præcipuo venerarer. Qua in re, niſi animum hunc meum aſpernatus fueris, polliceri tibi poſſe videor, nihil ita domi tuæ tibi paratum fore, quàm omnibus in rebus ſtudium ſeruitutemq; meam. Vale. Mutinę Calen. Jul. M. D. XLII.

Io. Card. de Saluiatis. Greg. Car. Cor. S.

Optaui equidem antea omni tempore pro mea tũ ſumma erga te beneuolẽtia, tũ honorificentiſs. de tua virtute opinione, ut peruenires ad hunc dignitatis gradum, virtutiſq; tuæ hoc premium, quod eſſet ampliſſimum aliquando reciperes. Proxime vero fatebor ingenue, ut multo id magis optarẽ, faciebant ſummæ perturbationes, atq; incõmoda, quibus res & religio Chriſtiana tot annos adhuc vexatur, & ſi enim Pontificis præſertim optimi ac maximi Pauli III. cura & virtute collegium noſtrum nunc habet clariſſimos ac ſapientiſſimos viros, quorum virtus & prudentia mirifice opportuna & ſalutaris ipſo Paulo III. Duce Religioni Chriſtianæ poteſt eſſe, tamen videbã ſi te quoq; ſocium in conſulendo & ſubueniendo Reip. recepiſſemus, quantum eſſet ipſa Reſp. fructum atq; vtilitatẽ acceptura. Nunc igitur cum ſis adeptus hunc honorẽ, quem admodum cupiebam, potes iam tua ſponte intelligere, quanto ſim affectus gaudio, & ſi tua quidem virtute, popularis quodammodo & accepta omnibus tua dignitas eſt, mihi autem hoc magis quod te præ cæteris amaui: ſic mihi enim perſuadeo, & plurimi ſemper feci, quam quidem voluntatem erga te conſeruabo continenter, ante hac, & quibuſcunque officiis potero, ſemper, ut debeo, colam. Sed ut illuc reuertar, his de cauſis, quas modo commemoraui, hæc tua dignitas maximam, incredibilemq; mihi lætitiam attulit. Itaq; quod ſequitur, gratulor tibi magnopere, optoq;

vt

vt hunc tibi honorem fortunet Deus immort. & ſicut illum tu ſumma cum tua gloria conſecutus es, præclaro & inſigni iudicio de te facto, à ſapientiſſimo Pontifice, clariſſimisq; ordinis noſtri viris, ita etiam in futurum tempus gloriæ is tibi et ornamento ſit, quemadmodum fore ſpero, adductus prudentia & virtute tua: quod reliquum eſt, ſi tibi ſtudium, officiũ, res omnes meæ vſui poterunt eſſe unquam, & tu omnia tibi prolixe pollicitus de me fueris, curabo enixe, cum certiorem me feceris, vt opinioni tuę reſpõdeam, quoad potero, & ſatisfaciam voluntati. Vale. Romæ iiij. Non. Iunij, M. D. XLII.

Greg. Card. Cort. Io. Card. de Saluiatis.

CVperem certe, vt quale de me ſemper fuit iudicium tuũ, donec in inferiori gradu, ordineq; conſtitutus, te maxima cum veneratione, & colebam & admirabar, talem nunc adepta hac inſigni, ampliſſimaq; dignitate, tibi cæteriſq; me præſtare poſſem. Ea etenim ratione ſperarẽ me id fortaſſe aſſecuturum, quod tibi de me, vt video, polliceris, ſed quoniam memetipſum penitus intuens, nihil inuenio quo tibi præclara non expectanti ſolum, ſed etiam prædicanti reſpondere poſſim, video ſane te ſingulari eruditione & modeſtia præditum, idem tibi de cæteris facile perſuadere, quod de teipſo cognitum perſpectumq; habes, & ex proprijs virtutibus, aliorum facere coniecturam. Ego vero cum ſacroſanctum illud collegium animo menteq; perluſtro, in quod nec ſperans nec ea de re, aliquid ſuſpicãs, Pau

li III. Pont. maximi multorumq; doctrina & ingenio ui rorum illuſtrium fauore gratiaque cooptatus ſum, veriſſime mihi perſuadeo, maximam hanc dignitatem mihi magis oneri quàm ornamento futuram. Quod quidem ita demum intelligi poterit, cum inter tot præclara chriſtianæ religionis lumina, inter tot viros eruditione, vitæ ſanctimonia, cæteriſq; tum corporis, tum animi virtutibus admirabiles, ego qui nullam illarum partem aſſecutus ſum, quod quidē hactenus in hac ſolitudine occultari potuit, cogar omnino quàm longe abſim à tanta omnium de me expectatione declarare: qua quidē in re, ſi qua mihi ſpes conſilij præſidiiue in aliquo hominum collocanda eſt, ea omnis in tua humanitate, prudentia, & naturæ bonitate eſt conſtituta. Mihi enim nequaquam ſit veriſimile, vt quem in inferiori ordine poſitum, & penè dixerim in nulla re tibi coniunctum, adeo humaniter es complexus, nunc in eodem collegio in dicenda ſententia & ferè in omni vitæ ratione coniunctiſſimum, tuo fauore tuiſque paternis conſilijs priuare velis. Si uero quippiam in poſterū acciderit, quod tibi vſui, ornamento, uoluptatiue ſit futurū, quod opera noſtra confici præſtariue poſſit, tibi omnia officia, ſtudia, curas, cogitationeſq; polliceor, & illa etiam quæ ab obſequentibus ſeruis expectari, deſyderarique poſſunt. Ex S. Benedicto vj. Calen. Junij M. D. XLII.

D. Card. S. Marcelli. Greg. Card. Cort. S.

EGo vero domine, licet nō ſim tibi de facie cognitus, mirum tamen in modum gaudeo, cum mea tum collegij

noſtri

noſtri cauſa, quod proximis comitijs Cardinalis renuntiatus es Reip. item vehementer gratulor, cui tanta facta eſt de tui honoris acceſſione, dignitatis acceſſio. Ea enim eſt tua iam diu apud omnes laus & fama, ea prædicantur tam inſigniter exornatæ ornamentis omnibus literæ, is animi, vitæque candor & puritas, vt ſummum Pauli Pontificis auctoris noſtri iudicium, in mentibus hominum, hoc ſit factum illuſtrius, & gradus culmen hoc noſtrum quod merito conſcendiſti, conſilio, pietate, & virtute tua iam credatur eſſe munitius: ſed his omiſſis, de me ſic tibi perſuadeas velim, quod Jacobo excellenti fratri tuo dixi, me quem tibi Religio, habitus, uotum cæteris alijs proximiorem facit, aditum hunc ad te, & quaſi fœliciter apertas ſeruitutis meæ fores perlibenter intraſſe, & eas fideliſſime ſemper obſeruaturum eſſe, ita vt honeſtiſſimum hunc galeri apicem, exiſtimem fructum meritorũ ac laborum tuorum, atq; ſperem eum Senatui bonis omnibus, Rei denique publicæ ſigillatim et vniuerſim magno vſui, ac voluptati fore. Vale. Romæ die V. Junij, M. D. XLII.

G. Car. Cort. D. Car. S. Marcelli.

ET ſi mihi gratiſſimę fuerunt in hac publica omniũ gratulatione, plerę que literæ illuſtrium virorum, quæ beneuolos illorũ erga me animos declarabãt, nulla tamen nec gratior, nec iucundior, tua illa & graui & eloquentiſſima Epiſtola ad nos peruenit. Ea etenim humanitatis officia nobis iucundiora accidere conſueuerunt, quæ ab illis proficiſcuntur,

ſcuntur, qui nobis propinquiori ſimilitudine ſunt cõiuncti: Cum vero ſint complures qui eiuſdem iure collegij nobis arctiſſime copulantur, propinquior tamen & fere eadem, vt recte ſcribis, & concepti voti, & ſeuerioris inſtituti profeſſio, longe arctiori beneuolentiæ vinculo nos colligãt, atq; conſtringunt. Et quidem huic tantæ coniunctioni quaſdam etiam acceſſiones fieri poſſe cõfido, paribus, ſcilicet ſtudijs, vitæ conſuetudine, communicatione conſiliorum, & cæteris eiuſmodi, quæ amicitiam iucundiorem, ſuauioremque efficere conſueuerunt. Quo in genere, ita tibi omnem operam, omneq; ſtudium meum polliceor, vt omnino nemini in te amando obſeruandoque ſim conceſſurus. Vale. In Sancto Benedicto.

Collegium Mutinenſium Canonicorum. Greg. Card. Cort. S. P. D.

QVod à Deo Opt. Max. ſummis ſæpe precibus contendimus, id iam te conſecutum cum tuarum uirtutum plurimis ornamentis, quibus præditus es, tum ipſius imprimis ſaluatoris noſtri benignitate, cui maximas agimus gratias, tibi, vt par, eſt, gratulamur maxime, nobiſq; gaudemus, & eo magis, quod in extrema Chriſtianæ Reip. tempora, tuam in collegium Cardinalium cooptationem, ab eodem Ieſu Chriſto patre noſtro, collatam eſſe, omnibus exploratum eſt: nobiſq; maxime, quibus quidem nihil præter opinionem accidit. Is mehercle vere appellãdus eſt honos, qui non ſpe futuri beneficij, neq; remunera-

tione

tione præteriti, ſed ſummis viris ſola virtute defertur ac datur: Hinc profectò ipſius Summi Pontificis Pauli, tum in labenti Reip. conſulendo prudentia, tum liberalitas in omnes virtutibus ornatos, facile cernitur. Nunc qui religioſe in literis verſantur, quid ſperent habent, nunc aureum illud ſęculum rediturum conijci poteſt, ſed fortaſſe plura, quàm putaramus: quare reliquum eſt, vt tibi qua voluntate in te affecti ſimus, ſignificemus, quæ quandò in te maxime propenſa eſt, cum nos ipſos, fortunaſq; noſtras tibi, tuiſq; offerimus, tum omnia quæ ad tuam amplitudinem & gloriam, pertinere arbitrabimur, ſummo ſtudio facturos pollicemur. Quod vt experiare à te vehementer (maius enim ſignum amoris erga nos tui nullum dare potes) noſtrum vniuerſum collegium etiam, atq; etiam contendit: ſimul Deum orat, vt quàmprimum omnia ſumma conſequaris. Vale. Mutinæ Id. Iun. M. D. XL II.

Greg. Card. Cort. Vener. Collegio Canonicorum Mutinenſium. S. D.

ET ſi dudum compluribus humanitatis officijs, ſummus erga me amor, & ſingularis iſtius venerandi collegij beneuolentia mihi adeo perſpecta erant, vt neq; teſtimonio, neq; confirmatione aliqua egere viderentur. Proximis tamen literis, quas & eloquentiæ & grauitatis pleniſſimas accepi, ita animum mentemq; veſtram, mihi uideor perſpexiſſe, vt nihil neque expreſſius, neq; illuſtrius potuerit deſyderari, cum etiam antea, & nuncijs, & fama deferente,

rente, intellexiſſem votis, ſupplicationibus, omni denique ceremoniarum genere, Deo Opt. Max. velut in publica letitia noſtro nomine redditas eſſe gratiarum actiones. Quæ quidem animi noſtri declaratio, uoluptati magis nobis, quã admirationi fuit. Nec eam tantum ob cauſam, quod mihi vobiſcum omnia coniuncta ſint, quæ ciuibus inter ſe eſſe cõſueuerunt, ſed quod in ſinu quodãmodo veſtro educatus, ſi quod in me meritum eſt, quo ampliſſimam hanc dignitatem conſequi potuerim, id me vobis totum, veſtriſq; inſtitutis acceptum referre, & profiteor & præ me fero. Sed quoniam genere ipſo gratiarum actionis recte à vobis eſt declaratum, vos ſatis intelligere, Dei ſolum id fuiſſe munus, nihilq; in ea re noſtris aut meritis, aut virtutibus tribuendum, rogo obteſtorq;, vt quod hactenus ſponte à vobis factum eſt, vt Deum Saluatorem noſtrum, modis omnibus nobis propitium facere niteremini; idem rogatu noſtro, frequentius, cumulatiuſq; faciatis. Maiorem porrò facit iſtam gratiæ referendæ obligationem, incredibilis quædam & admiranda lætitia, quam in incremento dignitatis Pontific. noſtri patris & domini Cardinalis Moroni, uos omnes percepiſſe mihi perſuaſiſſimum eſt, in eaq; re, facio animorum veſtrorum ex animo meo coniecturam. Quare ſummis aſſiduiſq; precibus à Deo petendum eſt, vt quem nobis ducem cuſtodemq; animarum dedit, eũdem etiam velit eſſe diuturnum. Poſtremo ita vobis de me velim polliceamini, vt ſi qua nobis facta eſt, fietue in poſterum acceſſio dignitatis, aut gratiæ, eam potiſſimum Vener. iſti

Collegio

Collegio arbitremini eſſe factam. Dabo enim diligentiſſime operam, vt fide, amore, & ſtudio omnium veſtrum ſuperem expectationem.

Iacobus Sadolettus Ca. Greg. Car. Cort.

MVtua noſtra vetuſq; beneuolentia, quam ſancte & fideliter ab vtroque noſtrum cultam eſſe intelligo, facit vt in mei maximis rebus, quæ nunc quidem in bonarum, & ſacrarum literarum ſtudio omnes mihi conſtitutæ ſunt, tuum in primis amorem, tuamq; eximiam excellentemque doctrinam mihi requirendam eſſe putem. Cum enim, vt tute ſcis, comentarium quendam de peccato originali iampridem confeciſſem, hacq; maxima re & poſtulatione facultatem in has regiones reuertendi à ſummo Pontifice eſſem conſecutus, quod me quoad poſſem ociũ & tranquillitatem nactum; literis & ſcriptis ſanctam fidem catholicam decuſq; & auctoritatem Apoſtolicæ Eccleſiæ defenſurum pollicitus eſſem; ſtatui mihi vt primũ huc me retuli, eundem eſſe de originali peccato librum accuratius retractandum. Quod cum diligentiſſime feciſſem, addidiſſemq; non pauca, quæ mihi ad rem uberius explicandam idonea viſa ſunt, illum tanquam meæ diligentiæ teſtem Pontifici ipſi Maximo auctori mei ocij dedicandum putaui, ſcripſiq; ad Ampliſſimum Farneſium, vt eum quibuſdam ex collegio noſtro, tibiq; in primis legendum conſiderandumq; permitteret. Quod factum fuiſſe, etſi certi nihil dum ſcio, vt confidam tamen adducor. Nunc alterum ὑπο-

γράμμα, iam elucubratum in manibus habens, nondum illud quidem dolatum & expolitum, quemadmodum & res ipſa, & mea diligentia poſtulat, ſed tamen eiuſmodi, ut in eo quanquam imperfecto, velut in quadam forma proſpici iã et cerni poſſit, quid ego habeam de Purgatorio perſuaſi atq; certi, quę res una omniũ maxime hoc perturbatiſſimo tẽpore ab Eccleſiæ hoſtibus oppugnatur, in quo ego catholicæ ſuffragor Eccleſię, quod ſane mihi in omnibus meis & curis & actionibus ſemper eſt propoſitum, ſtatui id mittendum ad te eſſe, ut tu, mi optime doctiſſimeq; Corteſi, pro tua in me beneuolentia, proq; ea fide quam ego tibi habeo, ſummam laborum meorum, multarumque vigiliarum partem aliquam mecum atque onus communiter ſubeas, meq; adiutum velis opera & ſapientia tua: primum ut quæ ſcribuntur à me, ea ſancte & recte, & ex integra veraque religione ſcripta ſint, deinde quæ pertinent ad politiores literas, quando utriuſq; facultatis ſummum tuum eſt iudiciũ de his etiam me admoneas, neq; patiaris quæ apte & ornate imprimis oportet ſcribi, ea me barbare, et incõdite ſcribere: quanquam hoc alterum leuius fortaſſe eſt, illud primũ grauiſſimum, ut ne quid prorſus à nobis effluat, quod cuiq; bene intelligenti queat vel minimum aliquem ſpiritũ peruerſæ religionis afflare. Et ſi enim ego in hoc quidem offirmatiſſimo ſum animo, ita ut corpus & vitam potius, quã ſtudium veræ pietatis amittere paratus ſim, idemq; cum Catholica eccleſia arctiſſime ſum coniunctus, propter tamẽ imbecillitatem ingenij mei, debilitatemq; doctrinæ diffide-

re

re mihi cogor, et doctiorum ac ſapientiorum quàm ego ſim, noſtrique præſertim ordinis iudicia implorare. Quo e nume ro cum tu mihi precipue occurras qui conſulendus ſis, mihique iam diu perſuaſum ſit, te & velle mea cauſa & pro ſingulari doctrina qua es præditus, poſſe plurimum mihi opis & ſubſidij afferre, omni animi ſtudio te obteſtor, vt quicquid futurum eſt negocij & laboris in legendis duabus hiſce noſtris lucubrationibus, eiſq; ſeuere animaduertendis ac notandis, id ne te pigeat ſummo tuo in me beneficio ſuſcipere ac preferre, cum honoris mei, tum aliorum etiã vtilitatis cauſa, cum omnes qui in gradu tanti honoris locati ſumus, hæc aut agere ipſi, aut agentibus adeſſe, fauereque debeamus. Vides tempora, vides hominum mores, vt quiſque noſtrum aliquid edit in publicum, quod aut contra falſas religiones, aut pro veris ſcriptum ſit, non modo qui palam aduerſantur nobis & repugnant (nam hi fortaſſe minus pertimeſcendi ſunt) verum etiam qui noſtrarum ipſarum ſunt partium, quaſi ex inſidijs repente egreſſi circumſiſtunt, accuſant, inuehuntur, ue luti proditionis inſimulant, nec quicquam hoc tempore periculoſius eſt, quàm de rebus bonis ſanctiſque diſſerere: à quo genere ſcribendi ſi abſtinere velimus, cautiores forſitan ſapientioreſque iudicabimur, iuſtiores certe & meliores non erimus. Non enim qui talentum condidit ſub terra, ſed qui id exercuit fructumq; ex eo quæſiuit, is à Domino in Euangelio laudatus eſt: quem quidem ego negociatorem bonum, ſtudeo imitari, ita animo paratus, vt omni-

bus

bus iјs qui me redarguunt, meaq; mihi errata faciunt manifeſta, modo ut ipſi ſine contumelia id agant, non ſolum non ſuccenſeam, ſed ultro magnarum illis gratiarum debitorem me confitear. Neq; enim quicquam facere erga me poſſunt, quòd mihi accidere queat vel utilius vel gratius. Quamobrem mi optime Corteſi, cum ego & iudicio tuo plurimum, & voluntati erga me omnia tribuam, ſimq; ipſe ut tute noſti, ſemperq; fuerim tui cupidiß. & amantiß. da mihi hanc operam quæſo, & in hac re officio veræ amicitiæ inſerui, ut meę lucubratiunculæ tua ſint doctrina & lima emendatiores. Quem ad laborem curamq; corrigendi ut tibi adiungas homines noſtri ordinis grauiſſimos & eruditiß. Polum Burgen. Saluiati. Moro. Bembum, & ſi qui aliј eiuſmodi ſunt, qui bonas artes literaſq; ſectentur, magnopere etiam a te peto. Nam qui in alio quodam genere doctrinæ verſati ſunt, neq; attigerunt muſas politiores, eos te arbitror exiſtimare minus ad noſtra hæc diiudicanda idoneos eſſe poſſe, qui ſoleant vos non tam ad catholicæ fidei ſanctæq; vniuerſalis eccleſiæ inſtituta atq; decreta, quibus propenſe, & ſine cunctatione ulla parendum & obediendum eſt, quàm ad ſuos quoſdam nimium litigioſos, & parum graues magiſtros iudiceq; reuocare. Sed de his ſatis. Illud quoq; te rogo, quoniam ego ex Italia diſcedens ampliß. Cardinali Sanctæ Crucis pollicitus fueram, me hanc compoſitionem de Purgatorio cum primum habuiſſem confectam, illi eſſe miſſurum, vt eam tu cum acceperis continuo cum illo communices, quo meæ promiſſionis fides apud eum con-

conſtare poſſit; Vale, & nos dilige. Ex S. Felice V. Id. Iun. 1544. Facies hoc quoq; mihi gratum, ut cum Ambroſio Catherino meum hunc libellum conferas.

Amico cuidam.

ET ſi ratio officij poſtulabat, ut poſt tuum a nobis diſceſſum crebras ad te literas darem, quibus, & de rebus publicis, & de priuato rerum mearum ſtatu fieres certior, Hoc enim & cõſtitutę inter nos amicitiæ, & maximis multiplicibusq; beneficijs in me tuis fuiſſet conſentaneum. Neſcio tamen quo pacto factum eſſe dicam, ut cum dies nullus eſſet quo non id facere cogitarem, omnes tamen re, ut ita dicam, infecta elabebantur. Cum vero tandem nos diuturni ſilentij ſuppuderet, conſtituiſſemq; omnino in poſterum eiuſmodi negligentiæ maculam Epiſtolarum delere frequentia, repente redditus eſt mihi à te faſciculus, in quo, non ſolum ad me & ad complures amicos literæ fuerunt, ſed elegans etiam de Purgatorio loco libellus, cuius, ut facile intellexi, maxima apud omnes expectatio, iam antea concitata erat, quod dum tu Bononiæ eſſes, neſcio quid de ea re, & doctis & tui amantiſſimis fuiſſes pollicitus, viſum eſt nobis nihil opportunius accidere potuiſſe. Quod enim prius, nullo ferè propoſito argumento facere cogitaram, ut ad te ſcriberem, nunc tali ſubiecta materia, longè facilius mihi videor eſſe facturus: licet hactenus quidem mecum acciderit incommodiſſime: tanta enim fuit flagitantum moleſtia, ut vix ſemel libelli legendi, et id ipſum curſim, facultas nobis data

fuerit.

fuerit. Qui enim literas tuas reddidit, neſcio qua ratione, intellexerat librum in eundem faſciculum fuiſſe coniectum; cumque id palam prædicaret, non potuit a me amicis poſtulantibus diutius denegari, præſertim illis ipſis, de quibus ad me ſcripſeras. Ex eo tamen quod primis (ut aiũt) labris guſtare licuit, intellexi, maxime obſcuritatis locum, & a nullo antea ſatis diligẽter tractatum, & neſcio an omnium qui nunc præcipue in controuerſiam venere, longe difficillimum, a te & tractari commode, & luculentiſſime explicari. Qua de re, tamen, non ſolũ quid ego ſentiam, cum ex amicorum manibus librum recuperauero, ſed & quid ipſi iudicauerint ſumma fide & diligentia te faciam certiorẽ. Nunc ea tantũ de cauſa ad te ſcripſi, ne fortaſſe, vt nunc ſunt tempora, ſuſpicareris literas tuas, ad nos non perueniſſe. Quod ad publica attinet, ſcias velim omnium animos ex rerum euentu, hic ſuſpenſos eſſe, nec quieturos aliquando, donec ad huius miſerrimi belli exitum perueniatur. Et ſi enim nõ magnopere adhuc Romæ tumultuatum eſt, Summ. Pont. cõſilio, & pene diuina prouidentia, cum tamen omnia armis vndiq; circunſonent, vix fieri poteſt, vt ex aliorum calamitatibus non cogamur de proprijs periculis cogitare. Tu quando honeſtiſſimum ocium nactus es, & in ea potiſſimũ ciuitate, in qua, & tui ſacerdotij munera præſens obire potes, & quã cœli clementia et amœnitate locorũ, maxima te poteſt afficere iucunditate, partem velim credas magnam felicitatis te eſſe aſſecutum. Præſertim cum prope omne tempus inſumas in opprimenda, extinguendaq; perditorum hominum

minum impietate, qui non iam, ut antea, occultis cuniculis, ſed aperte, arcem ipſam caputq; totius religionis inuaſe re[illegible]. Vale. Et recuperato ab amicis libello, longiores à me literas expecta.

Iacobus Sadolettus. Greg. Card. Cort. S.

SIgiſmundus Albanus Vrbinas, ex eo videlicet genere hominum, qui tuę fidei, iuſtitiæ, religionique crediti & commiſſi ſunt. Idemq; præſtantiſſimi Cardinalis Farneſij familiaris: hic nunc apud nos procurat negocia quædã; quæ ad dominum ſuum, & ad Summum Pontificem pertinent; quorum ipſe agendorum & curandorum cauſa, dedita opera ab illis in hæc loca miſſus eſt. Procurat autem eo modo, ut quantum perſpici adhuc à nobis, & cognoſci potuit, neque integritatẽ in eo, nec prudentiam deſideremus. Quod hoc magis etiam à nobis omnibus animaduerſum, et ſumma laude dignum viſum eſt, quòd eiuſmodi habet ille mandata, quæ nec temporum nunc quidem, nec rerum perturbatio facile patiatur, ad effectum ſuum perduci. Is à me in amicitiam ſtudioſe receptus, & mihi factus perfamiliaris, rogauit me, uti cauſam quandam ſuã, & ſeipſum unà literis tibi diligenter commendarem. Non enim dubitat quin pro noſtra mutua, inſigniq; beneuolẽtia, magni momẽti apud te mea commendatio eſſe debeat, in ea re præſertim etiam, quam ſi minus mihi eſſet tecum quàm eſt, tamen ab æquitate atq; humanitate tua ſperaremus poſſe impetrare. Ea porro huiuſmodi eſt. Sacerdotia eccleſiæ tuæ Vrbinatis,

quę Canonicatus uocamus, ea conditione eſſe idem Sigiſmũ. dus affirmat, ut ſi quod forte uacet illorum, pertineat nõ. ui ſacerdotis cooptatio ad collegium illic canonicorum, quos habere iam diu dicit & ius & conſuetudinem cooptandi: quorum Sacerdotiorum nuper unum cum eius morte, qui id obtinebat uacauerit, ipſeq; iure expectatiuę, quæ ſibi à Summo Pontifice dudum conceſſa conſenſu etiã & cooptatione collegij totius ſit comprobata, aditum ſe habere confidat ad eum Canonicatum, iure optimo poßidendum: tamen intellexit nec ſine aliqua quidem mea ſuaq; moleſtia, te aliter de ea re ac nos uellemus ſtatuiſſe, inq; demortui locum alterum in illo ſacerdotio canonicum ſuffeciſſe. Quod & ſi optimo animo abs te eſſe factum arbitramur, nec ut cuiq; ius ſuum eriperes, ſed ut tuum conſeruares, tamen quoniam negocijs Principum ſuorum non ſolum, ſed utilitatibus etiam & bono huius prouinciæ hic nunc apud nos Sigiſmũdus detinetur, quòd eam multis rationibus perturbatã ipſe dat operam, me quidem hortante & adiuuante, quoad poteſt, ut pace & concordia ſedet ac leniat: ob eamq; rationem abſens nequit tibi coram cauſam ſuam exponere; & ipſe abs te hoc deſiderat, & ego omni animi mei ſtudio & conatu te rogo atq; oro, ut quoad ipſe redeat in Italiam, quod proximo Septembri menſe omnino facere conſtituit, uelis ita trahere & ſuſtentare rem, ut cum eum audiueris, cauſamq; omnem cognoueris. Namque alium neminẽ Sigiſmundus pręter te totius iuris ſui iudicem & diſceptatorem habere uult, ſit tibi integrum quod uerum tunc & honeſtum

honeſtum tibi fuerit viſum ex conſueta tua uirtute, prudentia, æquitateq; decernere. Non enim dubitamus, quin acturus omnia ſis, quæ ab integerrimo & Sapientiſſimo homine expectanda ſunt. Porro Sigiſmundus ipſe eo animo eſt, tantiq; ęſtimat gratiam & beneuolentiam tuam, vt etiam ius ſuum poſteaq̃ tibi probauerit, ſit tamen paratiſſimus, ſi tu ita iuſſeris anteponere tuam voluntatem cuicunque commodo ſuo. Ego vero qui illius cauſa laboro non ſecus quàm facerem mea: aut hoc etiã amplius quòd honeſtius eſt pro amici vtilitatibus, quàm pro ſuis curam & laborem capere, peto à te optime Corteſi, vt in hac re in qua nihil tibi detrahitur, tantum benignitas & comitas tua à nobis flagitatur, velis omnibus ijs qui fortaſſe neſciunt oſtẽdere, plurimi à te fieri & voluntatem & commendationem meam. Quod cum feceris, & mihi egeris gratiſſimum, & Sigiſmundum ipſum, qui te ſummo cum honore & colit & obſeruat, hoc tantæ humanitatis tuæ ſigno atque officio, tibi in perpetuum obſtrinxeris. Vale. Ex S. Felice. prid. Cal. Jul. M.D.XLIIII.

Eiuſdem DD. Gregorij Corteſij Cardinalis, Aduerſus negantem Petrum Apoſt. Romæ fuiſſe.

Adriano VI. Pontifici Max. Greg.Cor. Mutinen. Caſinas Monachus. S.D.

ET ſi mundum, quæq; in eo ſunt vniuerſa maximo conſilio, prouidētiaq; diuinitatis regi, & adminiſtrari: iam ferè vniuerſo hominū generi perſuaſum eſt, id ipſum tamen præcipuè in Republica Chriſtiana tam certum eſſe videtur, tamq; expreſſum, quàm ea, quæ ſenſibus experimentóue percipi conſueuere. Vt enim miranda illa omittam, quibus hiſtoriæ omnes iam inde à Chriſti obitu ſunt refertæ, ex quibus manifeſtis coniecturis aſſequi poſſumus, exhorrenda tempeſtate, irruētibusq; procellis, ſolo diuinitatis gubernaculo Petri nauim ſępius, & receptam, & conſeruatam: illud certe diuinitus procuratum fuiſſe, neminē adeo prophanum fore arbitror, vt negare audeat, qualia, ſcilicet pericula fuerint, quantiq; labores Reip. Chriſtianę, acq; etiam tales, tantoſq; propugnatores conſeruatoreſq; extitiſſe. Sic in initio naſcentis Eccleſiæ non defuerunt, qui aduerſus Nerones, Domitianos, Decios, Dioclitianosquè cum animi robore, tum etiā proprio ſanguine decertarēt. Pace demum à Tirannis vndique parta, cum in ipſo ſinu Reip. pernicio-

ſa dogmatum diſſidia quotidie orirẽtur, aduerſus Arrium, Manicheum, Eunomium, cæteraſq; eiuſmodi peſtes; Didimus, Nazianzenus, Baſilius, Hieronymus, & pleriq; alij, doctrina, & ſanctitate excellẽtes, Dei optimi Maximi beneficio ſunt cõceſſi. Jam verò quis non vidit miſeris illis tẽporibus, quibus Italiam omnem longobardorum furor, impetusq; deuaſtabat, prius Benedictum apud Caſinum mõtem, deinde verò Romę Gregorium ſumma diuinitatis prouidentia, in ſolatium tantæ calamitatis, repentè, velut è cœlo delapſos eſſe? Et in Gregorio quidẽ ea magnitudo animi, ea vis conſilij viguit: vt cùm vitam eius moresq́ue conſidero, intueri mihi videar par illud pulcherrime compoſitum, fortem ſcilicet virum cum aduerſa fortuna decertantem. Ab eo vero tempore, cum iã leges ex hoſtibus ſerui Chriſti effecti eſſent, nec in dogmatum varietate vlla amplius eſſet controuerſia, vt pleraq; mortalium ſe habere cõſueuerunt, diuturnum otium, & tranquillitatem, morum corruptio, & vitæ luxuria ſunt conſequuta. Quæ mala, tamq; animorum caligines, vt facilius diſſipari poſſent: Dominicus, & Franciſcus repente exorti, velut duo ſoles, vniuerſum orbem aduentu ſuo exhilararunt. Jam verò noſtris iſtis temporibus, cum omnia calamitatum genera, veluti repentino terræ fœtu, de improuiſo ſimul eruperint, in eam rerum omnium non difficultatem modo, ſed pęne etiam deſperationem peruentum eſt, vt omnibus Reip. membris peſſimè affectis idoneum ſatis remedium non adhiberi modo, ſed nec excogitari quidem poſſe videatur:

Remp.

Remp. Chriſtianam oppugnat violentiſſimus hoſtis, et poſt Macedonas Romanosq; omnium qui aliqñ fuerũt Rex maximus, atq; potentiſſ. At verò longe ſęuior, pernicioſiorq; peſtis adhæret viſceribus, crudelibus nanq; inter ſe bellũ Chriſtiani Règes gerunt, quàm à Turcharum Imperatore ipſis Chriſtianis inferatur. Peſtifera inſuper contagione, & inopia ità ferè in vniuerſa Europa laborari ſcimus, vt penè altera peſtis alterius ſolatium futura videatur. Nuper verò pulcherrimã Bæticæ partem prius terremotu concuſſam, abſorptam, deinde repentino terrę hiatu, nemo ferè eſt qui non audierit. Qui mores autem ſint omnium ordinũ, quæ in Deum pietas, quæ religio, non minus dolore, quàm verecundia ne dicam abſterreor. Nam, vt fidem attingã, nemo eſt qui neſciat, quàm pernicioſa dogmata, quàm nefariæ in ſacris ritibus opiniones, nuper emerſerint, ut auſi etiam fuerint quidam, Petrum ipſum a Romano Pontificatu deturbare. Inter tot clades, et erumnas, tibi potiſſimũ Hadrianæ ſexte, Põtifex maxime, Chriſtianum orbem adminiſtrandum communi ſuffragio Patres conceſſerunt. Et ea quidem ratione, vt nemo tã vehemens hoſtis prouidentiæ exiſtat, qui id diuino factum conſilio audeat denegare. Ignarus ſiquidem, et in extremis orbis partibus agens, ad ſupremum dignitatis faſtigium es euectus, quam tibi potiſſimum illi commiſerunt, quibus liberum erat præſentem, & ex ſe ipſis Pontificem creare, cum ne nomine dicam, certe fère nemo eſſet, qui te de facie cognoſceret. Quid vero ex mira hac electione ſtatim omnes ſperare cœperint, ità

vulgò

vulgò iactatum eſt, vt citrà notam aſſentationis, quę tam ab auribus tuis, quàm ab inſtituto noſtro abeſſe debet, litteris commendari poſſit. Pollicentur ſiquidem ſibi de te omnes animi magnitudinem, vitæ innocentiã, prouidentiã in adminiſtrandis: in conſtituendis verò rebus ſolertiã, pacem poſtremò illam Auguſtam. Quantum deniq; aſſequi poterimus ſi Deum opt. Max. in cuiuſui, et poteſtate Regum, Imperatorumq; animi ſunt, humano generi prius conciliaueris. Nec id quidem dico, vt te admoneam qui hactenùs munus tuum tàm præclare obijſti, quàm mirificè tibi antea commiſſum fuit: ſed vt ope diuinitatis noſtra quoque ætate par. tantis erumnis pręſidium conceſſum eſſe aliorum tẽporum exemplo ſperare non dubitemus. Cùm vero multa ſint & infinita, in quibus tibi elaborandum eſſe video, illud potiſſimùm dignum arbitror, in quo neruos omnes intẽdas, & animi, & ingenij tui, vt noua pernicioſaq; dogmata, quibus perpetuam Chriſti veſtem quidam lacerare nituntur a Chriſtiano orbe conſilio auctoritateque penitus extermines. Qua in re, cùm viderem quoſdam arcem ipſam caputq; totius religionis Chriſtianæ tormentis, machiniſq; oppugnare, eo potiſſimum, vt opinor, conſilio, vt penitus abrogata Ro. Pont. auctoritate, reliqua corporis pars trunca capite inanis, penitusq; inutilis abijceretur, niſus ſum pro virili huic vlceri peſſimo, & iã latius ſerpere incipienti, ſalubre medicamentum apponere. Non quin illa ſuprema Ro. Pōt. Maieſtas, & vi ſua, quæ opi diuinitatis innititur, & omnium gentium opinione ſatis firma perſiſteret,

ret, ſed quòd pleriq; ſacrarum literarum ignari, commenti tijs fabulis decipi poſſe videbantur. Id verò mihi præcipue illuſtrandum eſſe proprio quodam iure ſum opinatus, quòd ab ipſa iuuentute in Caſinatẽ Familiam nomen dederim, quæ à Romanis primũ Pontificibus plantata, eiſdem ſecundum Deum robur incrementumq; præſtantibus, in eã diuinorum, atque humanorum amplitudinem creuit, ut meritò de referenda gratia quòad ipſius fieri poſſit, debeat cogitare. Tuæ igitur cenſuræ opus ſubijcio, quod nuper aduerſus eum ſcripſi, qui primus negare auſus eſt, Petrum Apoſtolum non modò Ro. Pontificem fuiſſe, ſed omnino in ea vrbe deceſſiſſe, quam aliquando videre non potuerit. Et ſi ſuſpitionem mihi inijciebat, non tam ex animo id eum feciſſe, quòdq; ipſi ita perſuaſum foret, quam vt tali facinore nomen, & famam apud poſteros proderet, conſilium ſiquidem, animumq; ſuum viſus eſt ipſemet declaraſſe, cũ fronti operis vulgata illa carmina inſcripſit.

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignum:
Si vis eſſe aliquid, probitas laudatur & alget. Vale.

Aduerſus

Aduerſus negantem Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe.

CVm me ſæpius complures maxima pietate, et ingenio viri hortati eſſent, vt in nouo hoc Theologiam profitendi genere: quo iam conſtituti ritus, receptæ cerimoniæ, fundatæ ſtabilitæq́; conſuetudines, velut quibuſdam machinis adhibitis frangi debilitariq́; videntur, iudiciũ meũ interponerem, multis grauiſſimisq́; de cauſis diutius id facere renui. Quamquàm enim me omnino imparem tantò oneri fore non ambigebam, duplici præterea ratione, non tutum modò, ſed honeſtiſſimum etiam ſilentium noſtrum fore arbitrabar. Ea ſiquidem, quæ hactenus diſputata fuere, partim eiuſmodi ſunt, vt utrinque ſacrarum literarum auctoritati inniti uideantur; vt nec diligentiſſime intuenti, facile ſit in alterutram partem iudicium; quæ & ſi ſecus nemini perſuaderi debent, ac paſſim inſtitutis, moribusque eccleſiæ ſunt recepta, non tamen, qui alterutrum defendere velit ex ſacris litteris certum omnino iudicium proferre poteſt. Partim verò eiuſmodi, vt magis aſſuetudine, ritibusq́;, quàm diuinis libris, aut exemplis Apoſtolorum inniti videantur. Quæ cum cognoſcerem, non magis ambigua, quàm difficilia explicatu, honeſtius mihi videbar, quod neſciebam, fateri neſcire, quàm temere arroganterq́; in grauiſſimis rebus iudicium meum interponere. Præſertim cũ mihi ſemper perſuaſum fuerit, quamlibet priuatim cõplures diſputent, & diutius eaſdem quæſtiones conterant, nũ

quam tamen futurum, vt hoc attritu flamma veritatis eluceat. Sed ita demum controuerſias omnes auferri poſſe, ſi (quod alias ſæpè factũ eſt) communi Patrum omnium totius orbis Chriſtiani decreto, de his omnibus ſtatutum fuerit. Nemo enim eſt qui ambigat, iure in dictis, habitisque conuentibus; pro fidei pietate non pro contentione ſummi ſacerdotij (quod poſtremis ferè omnibus cõcilijs factum eſt,) Remp. Chriſtianam inſtitutis legibus, placitis, auctam, ornatam, ſtabilitamq́; fuiſſe. Illud quoque magnoperè vt ſilerem hortabatur, quod inter eos qui hactenus hæc tractarunt, non tam exemplis, rationibusq́; actum eſt, quàm conuitijs, & maledictis. Nec chriſtiana pietate: ſed (quod quidam dixit) canina facundia, vt mihi in animum induxiſſe videantur, ita demum ſe victores in cauſſa futuros, ſi in maledicendo fuiſſent. Nec iurgiis modò, ſed quod dictu quoque nefas eſt, in grauiſſimis rebus, iocis, & ſcõmatis libros referſerunt. Enimuerò, qui veritatis in dagandæ ſtudio ſcribunt, mites, modeſtosque ſeipſos exhibent Chriſti exemplo, qui cùm ipſa eſſet veritas, in ſe ipſo quoque mãſuetudinem prædicauit, tantumq́; abfuit, vt vltrò maledixerit, vt etiam quod Petrus ait, maledicenti nõ minaretur: ſimus enim ità affecti oportet, vt nec inferre iniuriam velimus, nec ſi acceperimus referre. Iam verò ſi ſanctiſſimos, doctiſſimosq́; viros enumerare velim, qui cùm aduerſus apertos fidei hoſtes ſcriberent, à Chriſtiana tamẽ modeſtia non receſſerunt. Illis opinor mirum videbitur, qui remotis iurgiis, & obtrectationibus, ipſum verum nec ſatis rectè

inquiri

inquiri, nec facilè inueniri poſſe arbitrantur. Scribũt Origenes in Celſum, Euſebius in Porphyrium, Baſilius, Nazianzenus in Iulianum, quem Græci παραβάτην vocãt. At quos Hoſtes, quàm acres, quàm impios bone Deus? Arguunt illi quidem inſaniam, furorem oppoſita ratione, veluti quibuſdam catenis iniectis, compeſcere nituntur, hoſtem deniq́ue appellant, ea tamen ratione, vt non ſtomacho indulgere, ſed pietatis rationem habere videantur. Nec tamen aduerſus eos ſcribebant, qui diuerſo ſenſu atq; cæteri quippiam in ſacris litteris interpretarentur, aut qui diuinos libros impietati ſuæ patrocinari vellent, ſed eos, qui tamq̃ furijs exagitati, aris, tẽplis vniuerſęq́; Reip. Chriſt. bellũ indixerãt. Paulò forte vehemẽtior Naziãzenus cuipiã in Iulianũ videatur, verũ atmẽ in tã impio hoſte, tãq́, doloſo, nihil erat, quod leuius dici poſſe videretur, qui non tormentis aut armis, ſed dolis, inſidijs, & aſtu viros innocentiſſimos perſequebatur. Cùm vero contra Eunomianos ſcriberet, qui ſe Chriſtianos dici volebãt, tũ σπλάγχνοις πατρικοῖς moueri ſe conteſtatur, deinde etiam φίλους καὶ ἀδελφοὺς nominat. Quid? nonne Baſilius in eundem Eunomium, tantum abeſt vt contumelijs vtatur, vt feſtiuis, etiam interrogationibus vrgeat τίς καὶ τοῦ μύρμηκος φύσις: Sic Baſilij frater Greg. in Apollinarium, in Eunomium; in Manichæum, Tertullianus aduerſus Valentinianum & omnes Hæreſes, Auguſtinus in Manichæos, in Donatiſtas, in Eutychen: Leo, aduerſus alios, alij, longum eſt enim omnes enumerare. Sciebant enim facilè pro maledictis maledicta referri, ſed ratione

pugnare, id verò longe eſſe difficillimum. Quare non defuerunt, qui non ſatis probarent Hieronymi in Ruffinum, rurſuſque Ruffini in Hieronymum actiones, quod alienum quippiam à Christiano more habere viderentur. Auguſtinus certè cum ipſos ad pacem reuocat, nè ea aſpergant, obteſtatur, quæ deinceps delere non poterunt. Cùm igitur diu tius in eadem opinione perſtitiſſem, detulit ad me Ottobonus Fliscus libellum, qui Petrum non modò non Romæ mortuum, ſed nec aliquando Romam vidiſſe affirmat. Quo lecto, cum dixiſſem (quoniā in capita diuiſus eſt) quæ Autor perſuaſiones appellat, id ipſum nequaquàm mihi illis perſuaſionibus perſuaderi: rogarunt me complures amici, potiſſimumq; is qui librum attulit, & ſtudio ſacrarum litterarum oblectatur, vt quid ità ſentirem, ſcribere non grauarer. Quod quidem omnino facere renui, timens ſcilicet, nè huic aſſertioni, vt puto, veriſſimæ, pro rationibus iurgia, pro teſtibus maledicta rependerentur. Quòd ego viciſſim facere, vt fortaſſe poſſim ſi velim, certè non velim etiam ſi poſſim, cùm id tam à moribus meis, quàm ab inſtituto ſit alienum. Verumtamen cùm illi inſtarent, egoque ſæpius quidnam id operis eſſet perſcrutarer, caſu incidi in
,, hæc verba: Candidum lectorem admoneo, ne protinus ip-
,, ſo libri titulo offendatur, & rurſus cōſcientiam meam ob-
,, teſtor, nullas hic fraudes, nulla mendacia, nec dolos, me in-
,, trudere voluiſſe. Tum verò intra me metipſum cogitare cæpi, cum qui candorem ab alijs expoſceret, viciſſim quoq; ſe candidum exhibiturum. Dixiq; contra aliorum opinionē

non rationibus: ſed iurgijs, & maledictis pugnare non cādidi eſt, non ingenui, non docti, ſed inerudití, petulantis, inuidi, & eius, qui bellum indixerit veritati. Porrò rationibus miſcere contumelias, perinde eſt, ac ſi puriſſimæ lutulentā aquā miſcueris, quò fit, vt vtraque lutulenta euadat. Cùm igitur ab eo ipſo qui illa conſcripſit, candoris, ac conſcientiæ pignus haberem, ſubito mutata voluntate ad ſcribendum acceſſi, quòd mihi viſus ſum non dubiam, ſed illuſtrem; non difficilem, ſed perſpicuam cauſam habere. Accedit etiam, quòd nihil mihi gratius, nihil iucundius accidere poteſt, quàm in ſacrarum litterarum ſtudijs, cum exercitatis hominibus aſſidua exercitatio. Sic enim facile, quod verum eſt, inueniri poteſt. Præſertim ſi, vt nunc fore confido, nihil aliud quàm veritas, immo Deus ipſe quæratur, quem ipſum verum eſſe ex ſacris litteris didicimus. At verò lectores admonitos velim me, nihil de Pontificis Romani auctoritate, nihil de donatione Conſtantini, nihil de Petri inter cæteros apoſtolos loco diſputaturum. Non quin id copioſe facere queam, præſertim cùm nihil ſit, hoc tempore clarorum virorum ingenio, tritum, elaboratumq; magis; ſed eo potiſſimum conſilio, quòd cum ea proprium opus deſiderarent, non id tantum quod nuper in eo libello in controuerſiam vocatum eſt, fuerit ne aliquādo Romæ Petrus, accepimus diſcutiendum. Prior verò ante perſuaſorem in hac opinione fuiſſe videtur, celebri ille impietate Marſilius Patauinus, qui in Lodouici Bauari gratiam à Io. XXII. diris, execrationibusq; ab Imperio deiecti, opus edidit contra

Ro. Pontifices, quod & ſi belli maximi ſeminarium, ipſe tamen pacis defenſorem appellauit. Quare id ſolum quærimus: potuerit ne Petrus Romam aliquando proficiſci, vt ex eiuſmodi profectione nihil contrarium, nihil pugnans, ijs quæ in ſacris litteris habentur, omnino reſultet. Quod cùm (vt ſpero) dilucidè oſtenſum fuerit, reliquum erit tãtum, vt illorũ auctoritatibus innitamur, qui proxime ad Apoſtolos accedunt, & tempore, & ſanctitate, qui vno ore eiuſmodi profectionem ad vrbem Romã tàm verè quàm conſtanter aſſeuerant. A Chriſti morte ad annum poſtremũ Imperij Neronis, quo demum Petrum cruci affixum fuiſſe auctores ferè conſentiunt, ſeptem & triginta anni fuere, paucis menſibus detractis. Si quidem Tiberius annis viginti tribus in Imperio vixit, quorum decimo octauo duobus Geminis Rubellio et Fuſio Conſ. paſſum fuiſſe Chriſtũ, nemo ferè eſt qui ambigat. Nam Tertulliani opinio, in libro quem aduerſus Iudæos ſcripſit, manifeſtè repugnat teſtimonio Lucæ. Scribit enim, quinto decimo anno Tiberij, Chriſtũ actum fuiſſe in crucem, habentem annos, vt illius verbis vtar, quaſi triginta, cùm pateretur: Lucas verò quo tẽpore a Ioanne baptizatus eſt, quod accidit anno quintodecimo Tiberij Cæſaris, Jeſum ſcribit tùm demum annum trigeſimum attigiſſe: cùm tamen ex Euangelij hiſtoria certum ſit, eundem poſtea vixiſſe annis tribus, vt, quemadmodũ diximus, eius mors inciderit in decimum octauum annum Tiberij, vt ſuperſint ad mortem Tiberij integri anni quinque. Tiberius enim ſeptimo, Chriſtus octauo calendas Aprilis

lis deceſſere. His adde Caij cognomento, Caigulæ, trienniũ, & menſes decem, quaternos denos Claudij & Neronis annos, ſimul omnes, plus minus ſeptem & triginta colliguntur. In quibus non ſemel tantum, ſed iterum, ac tertiò, potuiſſe Petrum Romam proficiſci, manifeſtiſſimis argumentis conuinci poteſt. Sed quoniam primam eius profectionẽ in ſecundum Claudij annum reijcit Hieronymus, qua ratione id fieri potuerit, diligentius inquirendum eſt. Cùmq́; omnes conſentiant, Paulum anno primo à Chriſti morte euocatum fuiſſe ad fidem, ijdem anno quarto Hieroſolymas veniſſe, & vidiſſe Petrum concedant, neceſſe eſt. Si quidem triennio poſt illam euocationem (vt ipſe ait) aſcendit Hieroſolymas, & manſit dies quindecim, anno ſcilicet Tiberij vigeſimo ſecundo. Ad quam diem, varijs coniecturis aſſequi poſſumus Petrum ex Iudæa, & finitimis locis non diſceſſiſſe. Statim verò, dimiſſo Paulo, profectus eſt Lydam, vbi Aeneã Paraliticũ ſaluti reſtituit: accerſitus deinceps à diſcipulis, Ioppẽ, Tabian mortuã reuocauit ad uitã. Cũq́; dies aliquot, apud Simonem (vt Lucas ait) coriarium hoſpitatus eſſet, accitus Cæſariam, à Cornelio Centurione primus, ex gentibus trophæum erexit, ſic enim appellant ſacræ literæ eos, qui ex Judæorum ſecta non erant: Anno demùm ſeptimo rurſus Hieroſolymas derelinquens, Cæſaream profectus eſt, cum Simone ſamarita diſputaturus. Paucisq́; eiuſdem anni interpoſitis menſibus, peruenit Antiochiam, vt refert Clemens in primo recognitionum libro. At verò mira incrementa, vera religio acceperat Antiochiæ, iam inde ab

de ab obitu Stephani, eò enim peruenerant diſcipuli profugi ex Judæa, quo deinde quoq; iuſſu Apoſtolorum, profectus Barnabas, adiũcto ſibi Paulo qui à fuga ex Hieroſolymis, ad eam diem in Cilicia ocioſus ſederat, eiuſmodi adiumentum, iam inualeſcentibus rebus, præſtitit, vt primò Antiochiæ ſint appellati Chriſtiani, Ibi verò hoc eodem ſeptimo anno à Chriſti obitu, ſacerdotii Cathedram, Petro erexerũt diſcipuli, vt in poſtremo decimo libro eiuſdem operis idem Clemens teſtatur, vt verò conſtat Paulum eo tempore Antiochiæ non fuiſſe, quippe, quem non deinceps viderit Petrus vſque ad annum duodeuiceſimum à Chriſti morte, ſic rurſus à pleriſque dubitatur, quot annis ipſe Petrus Antiochenam ſedem tenuerit, nam ſeptennium illud Damaſi, et Platinę, ſalua auctoritate grauiorum hiſtoricorũ, defendi non poteſt. Ego verò quinquennio ab ea die Petrum in Aſia ſe continuiſſe, non dubito, & eas regiones circuiſſe, quas ipſe in epiſtola ſua enumerat, cum interim tamen Pontifex Antiochenus haberetur. Vnde cum rurſus vndecimo poſt Chriſti mortem, anno, Hieroſolymas veniſſet, ea acciderunt, quæ de Iacobo fratre Ioannis ſcribuntur in Apoſtolorum actis. Quod ſecundo Claudij anno eueniſſe credo, & rationem quare ità credam afferre poſſum. Duo fuerunt eodem tempore, cognomento Herodes, alter Antipas Tetrarcha Galileæ, eius filius, qui pueros trucidarat. Hic Chriſto illuſit veſte alba, hic violato ſanguinis & hoſpitij iure, vxorem Herodiadem, à fratre Philippo abduxit, hic denique humana, diuinaq; per-

permiſcens,

miſcens, in Macherunte caſtello iugulauit Baptiſtam. Alter natus Ariſtobolo, filio Herodis regis, & Marianne Agrippa in gratiam generi Auguſti Cæſaris appellatus à Caio Caligula, Rex Judeæ, ſimulq; Philippo defuncto, Tetrarcha Jtureæ, & Traconitidis regionis conſtitutus. Poſtremò etiam Abellę tetrarchiam, quę Lyſanię dicebatur obtinuit. Jnter hos Herodes, diu occultæ inimicitiæ, odiaque interceſſerunt, nutriente potiſſimum Herodiade alterius ſorore, vxore alterius, femina vehementis ingenij, et ſupra muliebres ſpiritus. Poſtremò tamen Antipa à Caio tetrarchia multato, pulſoq; cum Herodiade, Lugdunum in exiliũ, pars quoq; ea Syriæ, ceſſit Agrippę, qui primus poſt Herodem Idumæum, partem Syriæ longe maximam, ſolus obtinuit. Hic quò munitior eſſet ad omnes caſus, contra vim, dolosq;, et ſororis, et Antipæ, ſi populariũm animos ſibi conciliaret, gentem Iudæorum, ſtatuit inſigni aliquo munere demereri. Cùmq; vehementer illos infenſos Chriſtianis ſciret, iniecit manus, ait Lucas, vt malis afficeret quoſdam de eccleſia. Trucidato igitur Jacobo fratre Joannis, Petrum, qui illis diebus, vt diximus, Hieroſolymas uenerat, coniecit in carcerem. Qui diuino beneficio, Angeliq; miniſterio eductus, exiens abijt in alium locum: quæ omnia ſecundo anno Claudij contigerunt, ſi quidem Lucas deſcripta famis acerbitate, quæ ſub eo Principe, per vniuerſum orbem laboratum eſt, ſtatim ſubiunxit illud tempus, ſcilicet, quo fames inualuerat, nec illud poſtea accidere potuit, quando vt Joſephus, & Egeſippus ſcribunt, tertio

*Claudij anno, Agrippa ipſe, qui Petrum coniecit in carce-
rem, fato conceſſit. Cuius cùm tam late pateret imperium:
vim furoremq; declinaturus Petrus, ſimul etiam vt Si-
monis ſamaritæ veſtigijs inſiſteret, Romam profectus eſt,
nec eius vlla eſt deinceps in actis Apoſtolorum mentio,
vſque ad tempora conuentus Hieroſolymitani, in quo, de
circumciſione actum eſt, vt ſeptem Petri annos, Lucas ſi-
lentio præterierit. Cùm igitur Romam perueniſſet, per ini-
tia Imperij Claudij, vt Oroſius ſcribit, ſiue quod neq ua-
quam diuerſum eſt, anno ſecundo, vt ait Hieronymus, eiuſ-
modi religionis fundamenta poſuit, vt poſtea ad Romanos
ſcribens Paulus, quos nondum viderat, gratias agat Deo,
quod illorum fides, in vniuerſo mundo nunciaretur. Iam
ſi ab hoc tempore ſupputetur annorum ratio, ad poſtrema
Neronis tempora, quinque & viginti inuenientur, tot nē-
pè, quot ſcribit Hieronymus, vt illius verbis vtar, cathe-
dram ſacerdotalem tenuiſſe. Nec tamen toto eo ſpatio Ro-
mæ permanſit. Inciderunt, namque deinceps ea tempora,
quibus Iudæi tumultuantes, cum in proprium excidium
pręcipites ferrētur, Roma expulſi ſunt, neq; id ego in odiū
Chriſtianorum factum eſſe opinor: fecerat enim idem antea
Tiberius, qui nobis non modo non aduerſatus eſt, ſed Chri-
ſti etiam imaginem habuit in arcano. Cùm enim cōſueſſent
Iudæi vim auri magnam ad templi ornatum, ex omnibus
prouincijs, quotannis Hieroſolymas portare, M. Tullio Ci-
cerone Cos. vt ipſe ait, in oratione pro Flacco, iudicauit Sena-
tus aurum exportari non oportere: quod cùm ſub Tiberio ſe-*

ciſſent,

ciſſent quidam ex Judęis, Roma, Ioſepho & Egeſippo teſtibus, omnes expulſi fuerunt, quos publice odio fuiſſe, præter ea, quæ ſunt apud Trogũ etiã ex Quintiliano conijcimus, Eſt cõditoribus (inquit) vrbiũ infamia, contraxiſſe aliquã perniciosam, cæteris gentẽ, qualis eſt primus Iudaicæ ſuperſtitionis autor. Minime autem mirũ eſt, in tam magna ciuitate, Judæos tumultũ excitare potuiſſe, cũ multi forẽt ex Romanis, illorum ſuperſtitioni addicti. Vnde illud Juuen.

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant.

Quod manifeſtius, ipſe teſtatur Cicero pro Flacco. Sequitur inquit, auri illa inuidia iudaici, hoc nimirum eſt, quod illa turba quæſita eſt, ſcis quanta ſit manus, quãta concordia, quantum valeãt in concionibus, ſummiſſa uoce loquar, tantum vt Judices audiant: Neq; enim deſunt, qui iſtos in me, atque optimum quemq; incitent: nihil igitur mirum ſi ſub Claudio quoque tumultus & nouarum rerum cupidi, non ſecus, atque ſub alijs Jmperatoribus vexati ſunt, maximè cum, vt Tacitus ait, illis ipſis diebus, Cumano procuratore Iudeæ, non tumultum modo, ſed pene etiam iuſtum bellum, in Syria excitarint. Quare a principe, vt ingenij obtuſi, & ſtupidi, ſic pręcipiti iracundia, Roma expulſi fuere, quod Apoſtolorum quoque acta teſtantur. Denique Trãquillus, Judeos inquit, impulſore Chriſto, aſſidue tumultuantes Roma expulit. Cum namque nouum illud nomen ex Judea audiret, vulgoq; iactaretur, nuper Chriſtianorum exortam factionem, inquam ipſe & Dion. & Tacitus ad

co impie inuehuntur, credidit tumultus illos à Chriſto, qui tamen multis iam antè annis abierat excitari. Ut erant ferè omnes ignari eorum, quæ de Chriſto loquerentur; quod probat contra Celſum Origenes, & apud Tertullianum ridiculus ille Ononychites, & quod quidam Galileos Nazarenos quidam, non Chriſtianos appellabant, quin & emendati codices Tranquilli, non Chriſtũ, ſed Chreſtum habent. Cum namque cauſam ignorarent, ſacroſancti nominis, non ἀπὸ τοῦ χρίειν, χριστὸν, ἀλλ᾽ ἀπὸ τοῦ χρηστοῦ, χρηστὸν *dici putabant, quod Lactãtius, in lib. de vera ſapientia, & Tertull. in Apologetico teſtantur. Expulſos etiam à Claudio nõ Chriſtianos, ſed Iudeos illud maxime probat, quod ut Tertullianus ait, & cæteri conſentiunt, non ille, ſed Nero primus, in Chriſtianos deſeuit. Quo nomine Petrus, qui gẽte Iudeus erat, ex Betshayde vico Galileæ, ſimul cum cæteris diſcedere eſt coactus, quod Priſcillæ quoque, et Aquilæ accidiſſe ſcimus, ex Apoſtolorum actis. Eo igitur tempore, Hieroſolymas rurſus adueniens Petrus; quo per totum orbem fame laborabatur, cuius hiſtorici fere omnes meminerunt, Paulum vidit, qui Antiochia in Iudeam, ſimul cum Barnaba profectus erat. Quandoquidem opulentiores Antiocheni, qui nec poſſeſſiones vendiderant, nec largitionibus exhauſerant patrimonia, ea ſubminiſtrabant pauperibus Hieroſolymitanis, quæ tunc Barnabas, Paulusque detulerunt. Id verò circà Claudij annum nonum accidiſſe poteſt, qui duodeuigeſimus fuit à Chriſti morte, quando Paulus contulit cum ipſis Euangelium, ne forte in uanum curreret. Petrus verò, ab*

rò, ab hac die Romam non venit, vſque ad poſtrema Neronis tempora. Vt abfuiſſe poſſit annis plus minus quindecim; in quibus rurſus Antiochiam reuerti, & id accidere potuit, quod eſt in epiſtola ad Galatas. Diſceptatio quoque de circumciſione in conuentu Hieroſolymitano, & quæ de obitu Deiparæ virginis à Dionyſio ſunt tradita. Contra Simonem demum Samaritani rurſus diſputaturus Romam venit, poſtremo Neronis anno, vbi de morte eius, ea ſubſecuta ſunt, quæ conſenſu omnium ſcriptorum memoriæ ſunt cõmendata. Si enim vitæ eius decurſum ſic diſtinxerimus, nihil eſt, vt opinor, quod ſacris literis repugnet, & maximorum, ſanctiſſimorumque auctorum, de illius profectione ad Romanam vrbem, tam piè, quàm verè tuta erit opinio. Supereſt, vt quoniam nihil obſtare diuinos libros aſſertioni noſtræ oſtendimus, auctores quoq; enumeremus, qui in hac nobis cum opinione fuerunt. Enimuerò, non eadem diſſerendi ratio eſt in diſciplinis, & in rerum geſtarum indagatione: in illis enim minimum valet auctoritas, vt, ſi enunciati alicuius veritatem, vel naturæ vim, vel quippiam in diuinis, poſtremò, quid expetendum, fugiendumue ſit, quærimus, tunc neceſſe eſt, vt ratio ſibi, ipſa argumẽta conquirat, a primis, manifeſtiſque initijs proficiſcens, vt conſequentium certa fiat oſtenſio. Cum vero quærimus, vel de hiſtoriæ alicuius veritate, vel de geſtis inſtitutiſq; maiorum, omnis diligentia verſetur, neceſſe eſt, in indagãdis ijs, quæ auctores memoriæ prodiderunt, & ſi inter ipſos contrarium aliquid videatur, tunc diſcuſſioni relinquitur

tur locus, ſi fortè exquiſitis rationibus conuenire poſſint. At ſi id nequit, ſupereſt, vt quid potiſſimum verum ſit inueſtigemus. Quoniam igitur authoritatibus nobis tantum agendum eſt, priusq; illud, quod longè videbatur difficillimum, abſoluimus, conſequens eſt, auctores, qui opinioni noſtræ conſentiunt, enumerare. Et quoniam (vt ſpero) in cauſa admodum facili, & explicata verſabimur, non erit nobis cum aduerſario ſummo iure agendum. Quinetiam cũ quippiam de Iure noſtro conceſſerimus, ita tamen erimus ſuperiores, vt dubitaturus ſit nemo, ſecundum nos iudicare: ſcriptores igitur (vt ita dicam) minorum gentium, aduerſario donabimus quales ſunt Oroſius, Eutropius, Suidas, Platina, Blondus: & in diuinis Rufinus, Beda, Remigius, & eius generis complures. Magnos etiam illos viros, qui auctoritatis ſuæ viribus totam cauſam noſtrã ſinguli ſuſtinere poſſent, Clementem ſcilicet Romanum, Damaſum, Gregorium, Leonemque omittemus. Quoniam, ſi Deo placet, hac demum tempeſtate, eò deuenimus, vt licet viri ſanctiſſimi & grauiſſimi, quoniã tamen Romani Pontifices fuerunt, eo nomine ſuſpecti eſſe poſſint, & Clementis diſputationibus, quibus tantum & Chryſoſtomus, & Leutherius tribuunt, & quas doctrinam verè apoſtolicam cõtinere dicit Ioannes Picus, quasq; à ſe in latinum conuerſas, Hieronymus ait, in interpretatione commentariorum Origenis, in Epiſtolam ad Romanos, licet nunc à Ruffino cõuerſos habeamus, non tuto credi, ſcribit huius nouæ opinionis aſſertor: quaſi non tantum in dogmatis, ſed in rerum

quoque geſtarum fide ſit corruptus, (quanquam in Clementis nomine, hominem errare ſimus oſtenſuri) Leonem vero nuper Lutherus ità ſeuerè accepit, vt magnopere verear, vt denuo in eadem fere cauſa loqui audeat. Jam Ambroſius Mediolanenſis Pontifex, ſilentio quoque pretereundus eſt, qui quoniam ciuis Romanus fuit, nimium patriæ tribuiſſe, et videri, & argui poteſt. Donabimus quoq; ex hac noſtra teſtium affluentia, Auguſtinum, Hieronymū etiā donaturi, niſi in quæſtione hac ita comparatum eſſet, vt ſi ea vera conceſſerimus, quæ hic nouus aſſertor comminiſcitur, ſit omninò vel pudendi erroris, vel impudentiſſimi mendacij, Hieronymus expoſtulandus, ſeu quod æque reprehendendum eſt ſibimet manifeſtiſſime contrarius conuinci poſſit, Ille, inquam Hieronymus, quo nemo fuit in hiſtoriarum veritate indaganda, diligentior, in explicanda eloquentior, cautior in conferenda. Jlle qui modò hoc fabulā, modò illud confictum mendacium (vt erat veritatis aſſertor ingenuus) dicere non verebatur. Jpſius nempè illud eſt, quæ de diuinis ſcripturis teſtimonium non habent, eadē facilitate contemni, quà probari; ipſius quoque in libro de viris Jlluſtribus, Baptizati Leonis, rurſusq; in Daniele, Suſannæ fabula. Hic ipſe Hieronymus, vt ſibi contrarius, vt malos ſequutus auctores, in hac cauſa reprehenditur, Vir certè; vt omnibus latinis, multorum iudicio præferendus, ità fortaſſe cuiuis græco iudicio; doctrina & eloquentia comparandus. Hic, quod ipſe in opere contra Jouinianum teſtatur, annis quadringentis elapſis à Chriſti morte,

te,

te, iam ſenex ſcribebat, ut certum ſit, ad id tempus, quo
primò adoleſcens adhuc Romam venit à morte Petri, qui
annis duodequadraginta poſt Chriſtum uixit, non plus an
nis trecentis fluxiſſe; ut fere adhuc Romæ ueſtigia mortis
Petri impreſſa eſſent. Cùm igitur locum illum in Epiſtola
ad Galatas tractaret, quo ſe ſcribit Paulus in faciē Cephę
» *reſtitiſſe, ſic ait. Sunt qui Cepham non putent Apoſtolum,*
» *ſed alium de LXX. diſcipulis, iſto vocabulo nuncupatū,*
» *& dicunt, nequaquam Petrum, à conuictu gentium ſe po-*
» *tuiſſe ſubtrahere, qui Centurionem Cornelium baptizarat.*
Maximè cùm Lucas, ſcriptor hiſtoriæ, nullam huius diſſen
ſionis faciat mentionem, nec dicat unquam Petrum Antio-
chiæ fuiſſe cum Paulo, & paulò poſt: non mirum eſt inquit,
» *ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Pau-*
» *lus ſuſtinuiſſe ſe replicat, hiſtoriographi licentia prætermiſe-*
» *rit. Denique primum Epiſcopum Antiochenæ eccleſiæ Pe-*
» *trum fuiſſe accepimus, & Romam exinde tranſlatū, quod*
» *Lucas penitus omiſit. Poterat uel hic tantum locus ſilen-*
tium imponere cuilibet, ſecus opinanti, ſed longe expreſſiora
ſunt, quæ in libro de Viris illuſtribus ſcripſit. Vbi cum id
tantùm ageret, curaret que uir, omnium diligentiſſimus, ut
quæ de unoquoque certa erant, affirmaret, notaret que du-
bia, nequaquam ſit uerisimile, aut uulgi tātum opinionem,
aut quod Petrus ait, doctas fabulas ſecutum. Præſertim
cùm id nequaquam de Hieronymo dici poſſit, quod paſſim
nunc in Theologos; nec ſatis ſcio, an falsò iactant, non ſatis
ſcilicet fuiſſe uerſatum hominem in ſacris literis, ut pugnā-

tia,

*tia,conſequentiaq́; non videret. Sic vero ait. Simon Pe- ,,
trus,poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ,& prædica ,,
tionem diſperſionis eorum,qui de circumciſione crediderãt, ,,
in Ponto, Galatia,Capadocia, Aſia,& Bithinia,ſecundo ,,
Claudij anno ad expugnandũ Simonẽ magũ, Romã pergit ,,
ibique vigintiquinq; annis cathedram ſacerdotalẽ tenuit, ,,
vſq; ad vltimum annum Neronis, ideſt quartum deci- ,,
mum,à quo affixus cruci, martyrio eſt coronatus: idem cõ- ,,
tra Luciferianos ſcribens dicit Beatus Cyprianus ad Ste- ,,
phanum,tunc Romanæ vrbis Epiſcopum, qui à beato Pe- ,,
tro vigeſimusſextus fuit: Sed à Hieronymo, ad eiuſdem
ætatis virũ tranſeamus,quo nemo ſanctior, nemo grauior
apud Græcos Ioannem Antiochenum,dico, Conſtantinopo-
litanum Pontificem,ob loquentiam,cognomento Chryſoſto-
mum.hic in epiſtola ad Timotheum poſteriore; vbi Pau-
lus ait: Salutant te Eubolus, & Pudens, & Linus, &
Claudia,apud latinum interpretem ſic habet.Hunc Linum
aiunt quidam, ſecundum poſt Petrum, Romanæ Eccleſiæ
epiſcopum fuiſſe,quo in loco verbum aiunt (de quo tã mul
ta verba Perſuaſor facit,vt etiam ad grammaticos deſcen
dat)præter id quod de re multis iam annis ante præterita,
aliter loqui non poterat:patet etiam,non ad Petri in Roma
na urbe ſacerdotium:ſed quod tunc agebat,ad Lini ſucceſ-
ſionem referendum eſſe.Dubitarique non vtrum Linus ſe
cundus fuerit à Petro Romanæ eccleſiæ Pontifex, ſed an
vnus;idemq́; ille eſſet,de quo Paulus in epiſtola meminit,
& is qui Pontifex Romanus fuit. Theophilactus quoque*

 Bulgariæ

Bulgariæ Pontifex, cuius commentarios, Chryſoſtomi epitomas dixerit, nihil enim ferè apud ipſum eſt, nō à Chryſoſtomo, eadē prorſus repetit verba. Corpus præterea Pauli, de quo æque ac de Petro negat perſuaſor; Romæ quieſcere, idem Chryſoſtomus ait in ea actione, quam habuit contrà obſeruantes Neomenias his verbis. „ Nuper, inquit, cū „ Paulum laudarem, non ſecus geſtiebatis, ac ſi ipſum vidiſ- „ ſetis preſentem. Et quidem corpus eius, in Regina Roma poſitum eſt: vtrumque verò in diſertatione, quod Chriſtus Deus eſt; ſic enim ait, Romæ, quæ omnibus poſthabitis, ad ſepulchra piſcatoris, & coriarij currunt Reges. In commentarijs quoque epiſtolæ ad Romanos, truncatum capite Romæ Paulum fuiſſe ſcribit. Veruntamen ad ſuperiora tempora veniendum eſt, quæ quo fuerint ipſius Petri morti propinquiora, eo minus dubitationis habere potuerunt. Vixit Magni Conſtantini ætate Euſebius, Cæſareæ Pontifex, in indaganda veritate, digerendisque rerum geſtarum temporibus, ita diligens, vt non erubuerit Hieronymus, opus, quod ille χρονικὰ inſcripſit, multis etiam in fine additis, interpretari, quod niſi ſpreta eius obteſtatione in annotatione temporum, innumeris, manifeſtisque mendis ſcateret, non adeò nunc nobis fuiſſet elaborandum. In eo enim, & aduentum Petri ad vrbem Romam, & mortem, ſignatis etiam annis, dilucide poſuit: ſcripſit etiam librum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, in quo & ipſe ſępius de Petro affirmat, et magni nominis autores ſe ſecutum teſtatur. Eadem quoq; ętate Lactantius, qui in poſtrema ſenectute Criſpum Con-

ſtantini

ſtantini filium, liberalibus diſciplinis erudijt, vir omniū Chriſtianorum diſertiſſimus, in libro de vera Sapientia, ſic ait. Diſcipuli vero per prouincias diſperſi, fundamenta Eccleſię vbiq; poſuerunt, facientes & ipſi, in nomine magiſtri Dei magna, & penè incredibilia miracula, quia diſcedens, inſtruxerat eos virtute ac poteſtate, qua poſſet nouę annuntiationis ratio fundari & confirmari, ſed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romę prędicauerunt, & ea prędicatio, in memoriam ſcripta permãſit. Deinde ſubdit. Itaque poſt illorum obitum, cum eos Nero interemiſſet, Iudęorum gentem, & nomen, Veſpaſianus extinxit. Dicamus & hos mentiri, falſamq; vulgi opinionem ſecutos, quorum alter innumeris probatiſſimisq; teſtibus innititur, alter vſque ad ſua tempora prędicationem, in memoriam ſcriptam ait, permanſiſſe. Eadem ferè ætate Alexandrię, Petrus Pont. quem Gręci, ἱερομάρτυρα vocãt, regulas quaſdam edidit ab illis ſeruandas, qui minus conſtantes in martyrio fuiſſent. In earum nona ſic ait: vt gręca interpretemur, Petrus apoſtolis prefectus, ſępe captus, & coniectus in carcerem, et ludibrio habitus, poſtremò Romę affixus eſt cruci: Aequè etiam ſplēdidiſſimus Paulus, in eadem urbe, capitali ſupplicio eſt affectus. Cyprianus pręterea Carthaginenſis Pōtifex, de cuius laudibus extat Nazianzeni Oratio elegantiſſime ſcripta, quam nos latinam fecimus, adeo manifeſtè Romanorum Pontificem Petrum fuiſſe teſtatur, vt impudentiſſimi mendacij ſemet reum cōſtituat, qui id auſus fuerit denegare. ait enim ad Cornelium

,, *ſcribens, Audet & ad Petri cathedram, atque eccleſiam*
,, *principalem, vnde vnitas ſacerdotalis, exorta eſt, à ſchiſ-*
,, *maticis, & prophanis, literas ferre; nec cogitarit eos Roma-*
,, *nos eſſe, quorum fides Apoſtolo prędicante laudata eſt. Sed*
iam propius ad Apoſtolorum tempora accedamus, & eos
authores, qui ſi non ipſi Petrum viderunt, potuerunt qui-
dem certè & locum & genus mortis de illis audire, qui
forte affuerant. Floruerũt ſub Seuero principe, & Antonio,
cognomento Caracalla, Tertullianus Afer; & Alexandri-
nus Clemens, qui cùm ſenes iam ſcriberent, poterant certè
memoriam habere Antonini Pij temporum, qui Seuerum
pręceſſit annis circiter quinquaginta, paulo pluribus diſtãs
à Nerone, vt veriſimile ſit temporibus Pij, aliquos ſu-
perfuiſſe; qui Petrum viderant, quoſque Tertullianus &
cęteri, quos poſtea teſtes accerſemus, alloqui potuerunt.
Tertullianus igitur, vt illius libri teſtantur, vir fuit acer
rimi ingenij, quem & Cyprianus martyr, pręceptorem ſo-
litus eſt appellare. Et Lactantius in omni genere literarum
peritum fuiſſe ſcribit. Hic in libro ad Seuerum (quem in-
,, *ſcripſit Apologeticon) ſic ait. Diſcipuli quoque diffuſi per or*
,, *bem, ex pręcepto Magiſtri Dei paruerunt, qui & ipſe à Iu*
,, *deis inſequentibus multa perpeſſi, vtique pro fiducia ve-*
,, *ritatis, libenter Romę, poſtremò per Neronis ſęuitiam ſan-*
,, *guinem Chriſtianum ſeminauerunt. Video quomodò quidã*
hic ſe iactaturi ſint, quod Petrum & Paulum non nomina
rit. Ad id minime neceſſe erat, ad illos nempe ſcripſit, qui-
bus cum Chriſtianum nomen cognitiſſimum eſſet, nomina

tamen

tamen Apoſtolorum omnino fuiſſent incognita. Ceterũ quid refert, in rei cuiuſpiam notatione: nomine an finitione vtamur? Ita enim deſcribit Petrum & Paulum, vt nemini dubium eſſe poſſit, alios quoſdam intelligi non debere. Eum paruiſſe dicit præcepto magiſtri, multaque perpeſſos a Iudeis inſequentibus, poſtremo interemptos a Nerone. Enim uerò a contentionibus abſiſtamus, & longè manifeſtiorem ex eodem authore citemus locum: ſcribit enim tertio aduerſus Marcionem, libro: Videamus quid Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium, & Petrus & Paulus, ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Clemens uerò Alexandrinus; qui eadem ætate, qua Tertullianus vixit; ille eſt in cuius nomine errauit noſter hic nouæ opinionis aſſertor: credidit namque, eum qui librum ſcripſit, cui nomen ὑποτυπώσεις. Clementem Romanum Pontificem fuiſſe: Quare idcircò eius authoritatem redarguit, quod non ſit tutum illius libris credere, quòd ſuppoſititij ſint, quod falsò Clemẽti aſcripti, q; denique ab hæreticis, magna ex parte deprauati. Qui ſi, vt falsò diſtinguere voluit inter duos Marcos, ſic verè duos Clementes diſtinxiſſet, non vtique in tã manifeſtum incidiſſet errorem. Duo ſiquidem Clementes fuerunt, alter Romanus, & Petri diſcipulus, qui librum ſcripſit Recognitionum, apud quem nihil eorum reperitur, quæ Perſuaſor citat: nec eius nos opera ab Hæreticis, potiſſimumque Eunomianis in quibuſdam, quæ ad dogmata ſpectant corruptos negamus. Alter Alexandrinus, Præceptor Origenis, qui cum alia plurima, tum eum quem iam diximus

librum

librum cōpoſuit à Hieronymo, latinè informationum appel-
latum. Quod opus, ſicut nec alia eiuſdem (extant enim etiā
ad hanc diem complura) corruptum fuiſſe mihi perſuadeo,
nam cum id affirmare voluiſſet Rufinus in opere quod in-
ſcripſit, de adulteratione librorum Origenis, eo potiſſimum
argumento, quòd nequaquam illi credibile videretur eru-
ditum adeo catholicumque virum, vel ſibi contraria ſen-
ſiſſe, vel ea quæ de Deo credere impium eſt, ſcripta reliquiſ-
„ ſe. Hieronymus in hæc fere uerba reſpondet. Si conceditur,
„ vt quicquid in libris omnium reperitur ab alijs corruptū
„ ſit, nihil eorum erit, quorum fertur nominibus, & quomo-
„ do, inquies, in libris eorum vitioſa nonnulla ſunt? Si me
„ cauſas vitiorum neſcire reſpondero, non ſtatim illos hæreti
„ cos iudicabo: fieri enim poteſt, vt ſimpliciter errauerint, uel
„ alio ſenſu ſenſerint, vel certe antequam in Alexādria, qua-
„ ſi Demonium meridianum Arrius naſceretur, innocenter
„ quædam, & minus caute locuti ſunt: & quæ non poſſunt
peruerſorum hominum calumniam declinare. Cum Hiero-
nymo igitur, non modò Clementis Alexandrini ſcripta adul
terina non eſſe opinor, ſed eo magis illis fidem adhibendam
puto, quod Alexandrinus patria, nec ita multum diſtans
à Marci Euangeliſtæ temporibus, ea quæ ſcripſit, ab illis
„ potuit accepiſſe, qui rebus geſtis interfuiſſent. Ait vero: cū
„ Petrus Romæ Euangelium diuulgaret, rogatum Marcū,
„ ea quæ à præceptore dicebantur, excepta publicaſſe, quod
„ cum intellexiſſet Petrus, tantum abfuit, vt grauate tule-
„ rit, vt etiam mirum in modum ſit delectatus. Accedat

nunc

nunc teſtis magno præceptori diſcipulus, longe maximus Origenes, qui in libro tertio explanationum in Geneſim ſcribit, Petrus Pontum ſortitus, & quas in epiſtola ſuas enumerat prouincias Iudæis tantum prædicans circumijt. poſtremo in vrbe Roma commoratus eſt. Verum enimuero, quoniam in re manifeſta longiores eſſe nolumus, difficileque eſt omnes enumerare, qui hoc idem de Petro teſtantur, quatuor poſtremò, curſim citabimus, qui ſi non ſinguli, at certè omnes non minus apud doctos authoritatis habebũt, quàm hic noſter, qui nouam hanc opinionem tutari eſt conatus: non enim puto inferiores futuros tùm eloquentia, tùm ſacrarum literarum cognitione, tùm ſanctitate & moribus, poſtremò etiam ſuperiores propinquitate temporis, quippe qui (vt ita dicam) reſperſam adhuc terram, viderint ſanguine Apoſtolorum. Horum primus Iuſtinus martyr, cognomẽto Philoſophus, in Apologetico ad Antoninũ: ſcripſit enim, & alterum ad gentes: in priore igitur omnia illa, quæ de Simone Samarita à cæteris dicta ſunt, longiſſime proſecutus eſt. Alter Egeſippus vicinus, vt Hieronymus ait, temporum Apoſtolorum, in tertio libro eius operis, quod Ambroſius Mediolanenſis Pontifex latinum fecit, aduentum Petri ad vrbem ſub Nerone diſputationem, cum Simone Samarita, mortem deniq; tã luculenter quàm vere deſcripſit. Accedit tertius Hiraneus, Lugdunenſis Pontifex, Polycarpi ſmirnæi Epiſcopi diſcipulus, qui fuit Apoſtoli Johannis auditor: hic enim diuinaru m ſcripturarum indicem texens, ſic ſcribit. Matthæus hebræis propria

eorum

eorum lingua conſcriptum edidit Euangelium, cum Paulus & Petrus, in vrbe Roma, annunciarent, ibiq; eccleſię fundamenta ſolidarent. Idem Hyginum ait nonum ab Apoſtolo Epiſcopum Romanæ vrbis fuiſſe, in tertio aduerſus hereſes libro. Poſtremus accedat Papias Hieropolitanus Pontifex, Papias inquam, Ioannis Euangeliſtæ auditor, qui ut Euſebius, Hieronymusq; teſtantur, Petrum dixit priorē epiſtolam Romę ſcripſiſſe, in qua tropicè Romam Babiloniā nominauit. Ij ſunt nempè auctores, quorum fidei hæc veritas innititur, hos omnes redarguat neceſſe eſt, qui diù inolitam opinionem voluerit infirmare. Iſtis obijcienda eſt ſacrarum literarum ignorantia, acta Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolas, non ſatis diligenter euoluiſſe dicēdi ſunt. Quorum pleriq; vel in Paulum ediderunt commentarios, vel proprijs commentationibus Reip. Chriſtianę mirum in modum profuerunt, dicendi erunt temporum rationem non habuiſſe, qui vt nos, qua quidque ętate geſtum eſt, ſciamus labore & diligentia ſua, perfecerunt. Ad ſummam penè ea quę viderunt, dicendi ſunt ignoraſſe. Enimuerò ſi hoc temerarium, ſi omnino alienum à Chriſtiana moderatione, ſi denique impium tot ſacris authoribus fidem abrogare diuinis libris, vt ſatis patuit non aduerſantibus, eorum opinioni omnino eſt accedendum. Nec committendum eſt, ut uel odio in Romanum Pontificem, vel in mores Deo dicatorum hominum, ſi fortaſſe à priſca ſeueritate diſceſſerunt, mēdacij alicuius patrocinium aſſumamus, ſtudium magis omne, & cura ad id cōuertenda ſunt, vt vel noſtris mori-

bus caſtigatis, cæteris exemplum vitæ eſſe poſſimus. Cùm pleroſque ſciamus aliquando labentibus, & pene iam euerſis Chriſtianorum rebus, morum magis integritate, quàm aduerſus peccantes cõtumelijs, & opprobrijs tuliſſe opem. Adhibenda eſt quidem ſeueritas orationis, paulo etiam incitatiores adhortationes habendæ, caſtigatio denique vehementior, grauitate coniuncta, & hæc omnia ſi ità prius nos inſtituerimus, vt cùm ardua, cùm difficilia, cum deniq; Chriſtianæ religioni conſentanea nos oſtenderimus deſiderare, nobis ipſis pareamus, decretiſque noſtris, ne cùm vita pugnet oratio. Quod ij mihi facere videntur, qui non pia eruditione, ſed conuicijs & maledictis libros referciũt. Si enim index vitæ morumq; eſt oratio, ſatis patet eos, qui mente effrenata animoque præcipiti ad maledicendum feruntur, interius æſtu tumultuque peſſimorum affectuum laborare. Enimuerò, quoniam diximus, nihil nobis illis perſuaſionibus perſuaſum eſſe, rationem quoque quare id dixerimus, afferre neceſſe eſt.

Diſſuaſio Prima.

P*Rima igitur perſuaſio, diuerſitati, quæ inter authores eſt inniti, videtur. Nos verò, nihil inter illos diuerſum eſſe iam diximus. Quòd ſi maximè eſſet, non tamen illico eſſet conſequens, falſum eſſe, quod aſſerunt. Quot namque hiſtorias legimus, quas qui ſcripſere, non omnino in tẽporibus conſentiunt, cùm de rebus ipſis, nulla ſit ambiguitas: & vt omittamus extera, non nè idem in ſacris hiſto-*

rijs contigit, in quibus, quoniam neque Moſes, neque Ieſus Naue, neque Samuel, neque Eſdras, nec cæteris, qui ſcripſerunt, aut olympiadibus, aut annis, aut alia ſimili ratione, vt græci latiniq́ue ſcriptores annotarunt tempora. Varia deinceps de rerum geſtarum temporibus, authores prodiderunt: Moſen ſcribit Tertullianus annis trecentis ante Troiæ excidium fuiſſe, nongētis Lactātius, aliter alij: in quā multis diſcrepat ab Africano Euſebius, ab vtroque Oroſius. Cùm igitur tàm variæ ſint, tamq; in multis diuerſæ ſententiæ, illud quidem fieri non poteſt, vt plus una vera ſit, nec tamen contra neceſſe eſt, vt falſæ ſint omnes, quoniam non de re geſta, ſed de tempore tantum dubitari contingit. Id vero quod nos quærimus, de prima Petri profectione, ad vrbem Romam, nihil habet controuerſiæ. Hieronymus namq; anno Claudij ſecundo, Oroſius per initia imperij eius eueniſſe ſcribunt, quibus in verbis, quid contrarium ſit, non video. Nam de faſce illo temporum à Perſuaſore citato, & ſi is ego ſum, qui non libenter de ſcriptore aliquo grauius iudicare velim, cùm omnes, quoad ipſorum fieri poteſt, pro communi omnium vtilitate laborent, illud tamen nunc cogor dicere in faſce illo, non ordinis, non temporum, non denique veritatis vllam rationem haberi, & ſi ſingula exequi vellemus, in quibus peccaſſe conuincitur, doctis, vt opinor, ſuperuacuum videri poſſet, apud quos iam eiuſmodi de illo præiudicium factum eſt, vt quoſdam audierim, qui faſcem mendaciorum non temporum appellarent. Picus certè in defenſione Origenis, feſtiuè ſimul, & grauiter

grauiter opus illud exagitat. Nam de libro, qui ſanctorum vitas continet, à Perſuaſore citato, ſuperfluum eſt omnino loqui, prȩter enim eadem cum faſce, illo peccata ſcimus (authore Hieronymo) quod ad Apoſtolos attinet, nihil eſſe ſincerum. Eiuſmodi igitur authores, ſi quis in delitiis habere voluerit, per me habeat, licet nos certè æmulos non habebit. Cęteri verò, qui poſterius ſcripſere, et quos Perſuaſor hic citat, à Hieronymo, Euſebio, Oroſioq; non diſſentiunt, vt ibi mirus ſit authorum conſenſus, vbi hic noſter potiſſimum ſuper eorum diſſenſione innitebatur. Nam, quod ait. Si Petrus Romanorum fuit Pont. dicant, quis in locum ipſius ſit ſuffectus, Nihil eſt, quod facilius explicare poſſim. Clementem enim dicam, & eo potiſſimum authore, qui proximus fuit temporibus Apoſtolorum. Tertullianus inquam in libro de præſcriptionibus hæreticorum, qui cùm aliquot apoſtolicos viros enumeraſſet (ſic enim ipſe diſcipulos Apoſtolorum nominat) qui præceptoribus in pontificatu ſucceſſiſſent, ordinatum ſcribit à beato Petro, Clemẽtem Romanum Epiſcopum. Chryſoſtomus quoq; in eo loco epiſtolæ ad Timotheum quem citauimus: aiunt, inquit ſecũdum à Petro Linũ fuiſſe Romanum Pontificem, ſciẽs ſcilicet priorem illo fuiſſe Clementem. Hieronymus porrò nihil affirmat, pleros q; tamen latinorum, ait Tertulliano acceſſiſſe. Enimuerò ipſemet Clemens in epiſtola ad Iacobum epiſcopum Hieroſolymitanum, ſi illã recipere velimus, illud ipſum, quod Tertullianus ſcribit, demumque totidem ferè verbis repetitum eſt à Simeone, quem Græci Paraphraſten

vocãt. Addã pręterea Eutheriũ prius in lerina Inſula monachum, deinceps Epiſcopũ Lugdunenſem, qui eadẽ ętate, qua Auguſtinus vixit, non minus celebrem eloquentia quàm ſanctitate, qui in epiſtola ad Valerianum ait. Clemẽs vetuſta proſapia ſenatorum; atque etiam ex ſtirpe Cęſarum, omni ſcientia refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus, ad hanc iuſtorum viam tranſit; itaque in ea excellenter effloruit, vt principi quoq; Apoſtolorum ſucceſſor extiterit. Nec in hac partę Gręci à latinis diſcrepant, etiamſi qui dixerunt in exercendo Pontificatu, Linum, Cletumq; pręceſſiſſe. Si quidem omnes conſentiũt, viuente adhuc Petro, qui ferè toto tempore ſui Pontificatus abſens fuit, illos Romanæ eccleſiæ curam geſſiſſe: mortuo deinde Petro, Clementem qui ab illo deſignatus fuerat, ſucceſſiſſe. Hoc Rufinus in prohemio interpretationum ipſiuſmet Clemẽtis recognitionum, complureſq; alij affirmauere. Quòd ſi daremus neſcire nos, quis Petro ſucceſſerit, num idcirco ſtatim ſequeretur Petrum Romæ non fuiſſe? Quæro quis locus hic argumentandi ſit, qualis ſit hæc obiectio? quam ſi conceſſerimus; nihil tamen inferior cauſa noſtra futura ſit. Quod rurſus dicemus de illa nominum Pontificaliũ congerie, de quorum temporibus dubitat Perſuaſor noſter.

Diſſuaſio Secunda.

QVod verò ad ſecundam perſuaſionem attinet, & ſi ſatisfacere poterant, quæ diximus, rurſus tamen quædam repetere non grauabimur. Ità a nobis digeſta ſunt

Petri tempora, ut ſeptem annis dixerimus in Iudæa ſtetiſſe, deinceps profectum Antiochiam, ſumptaque ſacerdotij ſede, eas circuiſſe regiones, quas & ipſe, & Hieronymus enumerant: Undecimo demum anno Hieroſolymam profectum, & inde à fuga carceris Romam perueniſſe anno ſecundo Claudij, quo fit, ut annis circiter quinq; morã traxerit Antiochiæ. Quod uero Platina ait de ſeptennio, ſibimet dilucidè contrarius eſt, idem enim ſecundo Claudij anno, Romam profectum ſcribit. Nec quiſpiam grauis author, quem hactenus legerim, ſeptennium illud approbat. Hieronymus certè, & Euſebius, non definito tempore, quo ibi moram traxerit Antiochiæ, Romam profectum ſcribũt. Mirifica deinde ſequitur Perſuaſoris huius argumẽtatio, quoniam inquit, anno duodeuigeſimo à Chriſti morte, Hieroſolymis erat Petrus, patet illum non antea Romam potuiſſe proficiſci. At uerò iſtud non dicet Hieronymus, qui & ſecundo Claudij anno Romam profectum, & Hieroſolymis, duodeuigeſimo, à Chriſti morte fuiſſe ſcribit, ut niſi impudenter dicere uelimus Hieronymum ſibimet contrarium, neceſſe ſit confiteri Roma Hieroſolymas reuertiſſe. Quòd nos tunc accidiſſe dicimus, cùm ab urbe expulſi fuere Iudæi, liberrima autem ſunt nobis tempora, de Petro iudicandi, ab octauo decimo anno à Chriſti morte, ad ſeptimũ & trigeſimum. Nec enim ulla in actis Apoſtolorum Petri mentio fit, poſt id tempus, in quo quæſtio incidit de circuncifione. Quòd uerò legimus Petrum Romanum Pont. annis uigintiquinque fuiſſe, miror quid in mentem uenerit

rit Perſuaſori opinari conſequens eſſe illum eo interuallo non alio in loco quàm Romæ, moram trahere potuiſſe. Quaſi minus futurus fuerit Romanus Pont. ſi quod Paulo contigit, cura omnium Eccleſiarum ſolicitaretur. At verò aſſiduum non fuiſſe Romæ, Hieronymus quoq; quod Paulo ante diximus teſtatur, vbi ſecundo Claudij anno, Romam profectum dicit, & cathedram annis viginti quinq; tenuiſſe. rurſus autem in Epiſtola ad Galatas, quæſtionem illam de circumciſione, & congreſſum Petri & Pauli Hieroſolymis, reijcit in annum duodeuigeſimum, à Chriſti morte, ſeptimum ſcilicet, ab eo quo primum Romam peruenerat: nihil igitur obſtant ſacræ literæ, quin dicamus, & ſecundo Claudij anno Romam profectum, & poſtremò Neronis qui fuit ab illo quintus, & vigeſimus actũ in crucẽ fuiſſe.

Diſſuaſio Tertia.

QVod de exturbatione Judæorum ab vrbe Roma ſcribunt Lucas & Tranquillus, nequaquam de Chriſtianis intelligi debere manifeſtis, vt opinor, argumentis oſtendimus, quandoquidem vt Tertullianus, cæteriq; teſtantur, primus Nero, Chriſtianos pœnis affici iuſſit, & tunc deniq; per tempora illius calamitatis meminerunt Chriſtianorum Tacitus, Dion, & Tranquillus: cũ antè nulla apud ipſos gentis noſtræ mentio ſit, Petrus vero Priſcilla & Aquila, & quot quot gente erant Judæi, Roma coacti ſunt diſcedere. At ſi edicto Claudij vtriq; comprehenſi eſſent, poterat quidem Trãquillus, vel certe Lucas, vt Judæos,

ſic

ſic & Chriſtianos nominare, Quod vero Perſuaſor ait de
Aquila & Acyla, miror hominem non vidiſſe, quod opinor
omnibus, & lippis notũ et tonſoribus eſſe, vt Flacci utar
verbis, nihil illa inter ſe differre, & alterum latinum, al-
terum græcum eſſe. Cum enim ſecundo nominis Aquilæ ca-
reant græci, elemento ſimilem effectũ, ſpeciemq; eſſe ſcri-
bit Fabius, eius quod ſecundũ eſt in nomine Acyla: qua-
re quod nos dicimus, Quintum, illi κοΐντον Varrone quoq;
id atteſtante in initio libri quinti de lingua latina, Vt pa-
ret apud Joſephum de Cyrino, qui Quirinus, eſt apud lati
nos, licet apud Lucam Cyreneus legatur, & apud Paulũ
in κουάρτῳ qui eſt quartus.

Diſſuaſio Quarta.

NEc ità multum laborandum fuerat, in quarta, vt iſte
opinatur, perſuaſione. Jam enim conceſſimus, Hiero-
nymo teſte, duodeuigeſimo, poſt Chriſti mortem anno, Pe-
trum, Paulumq;, ſimul Hieroſolymis congreſſos: Jllud ue- „
rò mirum eſt, quod ait, Certum eſt totis illis ſeptẽdecim an- „
nis, Hieroſolymis, & in Collimitaneis regionibus, Petrum „
ſeſe cõtinuiſſe, nec nunquam Romam receſſiſſe. Unde iſtud
tibi adeò certum? opinor Petrus dum claudũ curaret, clau-
dus ipſe euaſerat, qui non potuerit tot annorum ſpacio An-
tiochia Romam, rurſusque Roma Hieroſolymas proficiſci,
Quinetiam obiurgationem Pauli, quam iſte anno vigeſi-
mò accidiſſe auguratur, in vigeſimum ſecundum ſi illi com
modũ ſit reijciemus: Policiti enim ſumus, multa nos de iu-

re

re noſtro conceſſuros; At ſi contentioſè agere animus eſſet, poteramus certe, vt Beda ante primum Petri aduentum ad vrbem, omnia hæc accidiſſe contendere. Poteramus etiam cum iis, quos Euſebius recitat, alterum Cepham, alterum Petrum eſſe affirmare. Quid? quod Sophronius ille adeo laudatus à Hieronymo, Petrum, etiam dicit ad Hiſpanias acceſſiſſe, nonnè eodem itinere Romam profectum potuiſſemus aſſerere, quod ſe facturum, Paulus ad Romanos ſcribit? Attamen id omnino vitare eſt animus; quod tantoperè in aliis ducimus reprehendendum, cùm perſpecta ſcilicet iamq; cognita veritate luctari. Accidit igitur hæc Pauli redargutio, non modo poſt id tempus, quo Petrus Roma profectus eſt Hieroſolymas, verumetiam poſt ipſius Pauli, cum Petro, Iacoboque, pacti conuentionem: cuius cùm Lucas nō meminerit, licentia, vt Hieronymus inquit, hiſtoriographi, mentio habetur in epiſtola ad Galatas. Hac igitur ratione, quod Perſuaſori tantoperè iniquum videtur, nulla fiet Veſpaſiano iniuria, cautumq; erit, ne eo nomine à quopiam tanti criminis expoſtulemur.

Diſſuaſio Quinta.

SEquitur difficile illud, & ineluctabile argumentum quod ad Romanos ſcribēs Paulus, Petrum non ſalutarit, omnino parum vrbane, & ab officio diſcedens: ſi quidē tunc Petrus Romæ fuit. Quid vero, peccatumne Pauli confitebimur? qui nec ad Hebræos ſcribens, nominatim Iacobum ſalutauit? Sed dicent, neminē ibi ſalutari: fortaſſe

etiam

etiam Pauli negabunt eſſe epiſtolam. Aliò igitur confugiendum eſt. Nec enim illud dicere audebimus, aut immemorẽ Paulum, aut ab eo Petrum contemptum. Cùm igitur Perſuaſor ipſe confiteatur, poſt ſecundam ad Corinthios, prioremque ad Theſſalonicenſes, epiſtolam ad Romanos ſcriptam fuiſſe, cum iam tertio Corinthum veniſſet, ipſe idem nodum ſoluit, qui ante implicuerat. Satis verò conſtat per Neronis tempora, aut certè poſtremis Claudij annis ſcriptam, in qua ait, Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iaſon. Enimuerò Timotheus iam elapſis viginti, & eo amplius annis à Chriſti morte, adhæſit præceptori; dimiſſo enim conuentu Hieroſolymitano, in quo de circumciſione actum eſt, Paulus profectus eſt Antiochiam, nec multò poſt accidiſſe par eſt, & Perſuaſor ipſe cõcedit, quę de Petri redargutione ſcripta ſunt in epiſtola ad Galatas, ab ipſomet, in vigeſimum annum à Chriſti morte reiecta, nam, vt Apoſtolorum acta narrant, orta inter Barnabam, & Paulum diſceptatione, poſt eum quem diximus conuentum, & digreſſum ab Antiochia, peruenit Paulus Derben, & Lyſtras, vbi erat diſcipulus nomine Timotheus, cui cùm teſtimonium redderent fratres, qui erant Lyſtris, & Iconij, voluit illum Paulus ſecum proficiſci. At verò vigeſimo Anno à Chriſti morte, qui vndecimus fuit Claudij, ſatis oſtenſum eſt, Petrum Romę, non fuiſſe, nec deinde ad annum vſq; trigeſimũ ſeptimũ, qui fuit Neronis tertius decimus. Hîc verò inſtabit Perſuaſor, cùm ſcriberet Paulus ad Romanos, Priſcillam, &

Vu Aquilam,

Aquilam ibi fuiſſe, qui ſimul cum Petro Roma diſceſſerāt, ſed liquet autore Origene, in eiuſdem epiſtolæ commentarijs, iam iterum ipſos illuc reuertiſſe. Ait namq; Paulus, Salutate Priſcillam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ceruicē ſuā ſuppoſuerunt. Sed cùm primùm Roma cum Petro diſcedere ſunt coacti, edicto Claudij, nondum pro Paulo ceruices ſuppoſuerāt, quos tùm demùm Corinthi nactus eſt Paulus, cum Roma profugi in Achaiam peruenerunt, vt Apoſtolorū acta teſtantur: ſi igitur, vt manifeſtè oſtendimus, nō antè decimum Claudij annum ſcripta eſt epiſtola; fortaße & illud conſequens eſt, nec temporibus Claudij fuiſſe datam, cuius edicto Iudei vrbe Roma prohibiti fuere. Quare ſupereſt, vt dicamus Romæ Petrum ea tempeſtate non fuiſſe, qua ex Cechris portu Corinthiaco, epiſtolam per Pheben dedit Apoſtolus ad Romanos. Enimuerò quod Perſuaſor dicit de ordine epiſtolarum Pauli ex Athanaſio, fateor me nūquam opus illud Athanaſij legiſſe, ſed nec Hieronymus, qui omniū fere eius ætatis commentationes enumerat, nec in Athanaſij Epicedio Nazianzenus, nec is, qui fere illius authoritate vtitur Damaſcenus, eiuſmodi commentariorum meminere. Video autem Perſuaſorem crediſiſſe commentarios Theophilacti, qui paſſim conuerſi habentur eſſe Athanaſij, quod falſum eſſe ex authoribus, qui in eo opere citantur, cautus lector animaduertere poterat, cùm quidam illorum poſteriores Athanaſio fuerint. Deuenerūt autem ad manus meas Theophilacti commentarij in totum nouum inſtrumentum

græce ſcripti: in quibus illi quoque ſunt, qui latine ſub nomine Athanaſij circumferũtur ea præcipue de cauſa, quod ità ab interprete ſunt inſcripti accedente etiam Theodori Gazæ authoritate. Quæ res autem errori cauſam dederit, ſatis conſtituere nondum potui.

Diſſuaſio Sexta.

NVlla mihi cum Perſuaſore controuerſia eſt de Archiepiſcopis, & Patriarchis, ſiquidem, nemo quod ſciã, tam ignarus antiquitatis fuit, qui Apoſtolorum temporibus hæc nomina dixerit in Eccleſia extitiſſe, cùm ſupereſſent ipſi ad quos omnia referebantur. Nã quæ fertur Anacleti Epiſtola de eiuſmodi ordinibus fictitium, neſcio quid nobis ſubolere videtur. Sed & quandoq; eoſdem fuiſſe epiſcopos, et presbyteros, Hieronymus in commentarijs epiſtolæ ad Titum dilucidius ad Euagrium, ſcribens nos admonuit ad tollendaq; diſſidia; & regendam multitudinem ſequenti tempore, toto orbe decretum fuiſſe, vt vnus cæteris præeſſet. Quod item opinor poſtea de ijs, quos nunc Archiepiſcopos, & Patriarchas uocant, accidiſſe; ordinatos ſcilicet ad tollendas controuerſias, quæ in vnaquaque prouincia oriebantur. Hieronymus enim contra Luciferianos, & Bizantinæ, & Piceni, prouinciarum Epiſcopos nominat. Illud vero mihi commune eſt cum Perſuaſore, quòd iam diximus Petrum eo tempore Romæ non fuiſſe, quo ad Romanos ſcripſit Apoſtolus, Quòd verò Epiſcopum Romanum quempiam Narciſſum nominat, vix mihi perſuadere poteſt eadẽ cre-

dediſſe, quæ ſcripſit. Diu enim credidi dum hæc legerem, Petro vrbis Romæ ſacerdotio deiecto, & velut redacto in ordinem, vel Apoſtolum quempiam, vel aliquẽ ex ijs qui qui proxime ad Apoſtolos authoritate accedebant ſuffectũ iri: in vrbe enim totius orbis longe principe, & omniũ pene gentium victrice & rerum domina, quo ex omnibus regionibus infinita illa hominũ multitudo confluebat, vbi ſtatim ab ipſa Chriſtiani nominis prædicatione conuentus pro copia ciuitatis ampliſſimi ſunt inſtituti, vbi deniq; futurũ erat, vt primò aduerſus impetum, gladios, cruces, igneſq; Neronis non verbis iam, ſed ceruicibus & ſanguine decertarent, conſentaneum eſt parem tanto oneri, & non ſolum moribus & ſanctitate, ſed loco etiam, & authoritate inter cæteros præcipue ordinatũ. At hic noſter Narciſſum quendam expiſcatus eſt, vt duplicem iam de Narciſſo fabulam habeamus, Quem nec Ambroſius omnino affirmare audet preſbyterum fuiſſe, ſed tanquam vagum quendam, & vt ita dicam, erronem deſcribit. Mirum præterea cùm adeo exacte omnes Romani Pontifices, à doctiſſimis, diligentiſſimiſq; viris enumerati ſint, illi ſaltem faſciculo temporũ, aut ſupplemẽto alicui χρονικῶν Narciſſum, nec inter tot ſomnia aliquando obſeruatum. Quatuor certè inſignes eccleſias videmus, dum adhuc fides adoleſceret celebrari, & eæ potiſſimum fuere quæ in ſplendidioribus, amplioribuſq; ciuitatibus congregatæ erant. Rationi quoq; conſentaneũ eſt, quo plures mortales confluebant, ibi cæteris honoratiores fuiſſe præfectos. Quare qui fuere Pontifices eo ordine,

quo

quo ſibi ſingulatim ſucceſſerunt, à maioribus noſtris memoriæ ſunt commendati. Quod non item de cæteris accidit, ſic Hieroſolymis, poſt Iacobũ, Simeon iuſtus, Marcus, Caſſianus, Publius, Alexandriæ, quæ ea tempeſtate vt Strabo, Ioſephus, & Marcellinus teſtantur, poſt Romam principem locum in vniuerſo orbe obtinebat, Marcus, Annianus, Abilius, Cerdos, Antiochia autem, vbi primum Chriſtiani appellati ſunt, poſt Apoſtolos Euodius, Ignatius, Eros: ſimilis quoq; cura fuit Romanos Pontifices recenſere, & eò diligentius, quò plus cæteris omnibus, vrbs ipſa præſtabat. Cùm igitur numerent, Petrum, Clementem, Linum, & qui ſequuntur, quis iſtius Narciſſi unquàm nomen audiuit? Rogò quę noua hæc fingendi licentia eſt, hiſtoriasq; euertendi, vt quicquid nobis in mentem venerit, etiã contra receptas ſanctorum opiniones, ne quicquàm diſſidentes a ſacris literis, illico verum eſſe contendamus? Hac certe ratione, nemo erit, qui non ſibi ex cubiculo hiſtoriã poſſit proferre: ſed videamus, Perſuaſor hic, quibus argumentis utitur, Chriſtum inquit, prędicabat Narciſſus, Audio non Romæ, ſi credis Ambroſio, Agè vero Romæ etiam prædicarit, quaſi non cæteri idem facerẽt. Andronicus, quem inſignem inter Apoſtolos, & ante ſe in Chriſto fuiſſe, Paulus ſcribit. Vrbanus illius auditor, cæterique complures, quos longùm eſt enumerare. Dicamus & quempiam illorũ, vel certè, ſi ita libuerit, omnes ſimul Romanos Pontifices fuiſſe, dum Petrus exturbetur, turba non deerit eorum, qui Pontifices dici poſſint.

Diſſuaſio

Diſſuaſio Septima.

QVod adhuc maxima, cum animi tranquillitate à me factum eſt, vt maledictis & calumnijs temperarem, id vſq; ad calcem diligentiſſime me obſeruaturum eſſe confido, quando nullo odio Perſuaſoris, aut ſtomacho, ſed ueritatis amore, ad ſcribendum acceſſi. Enimuerò ſi vnquam locus fuit, in quo conuicijs agendum eſſet, hic potiſſimùm occurrebat, vbi adeò maniféſtè verbis Lucæ contradicit, vt omninò ipſorum alterum mendacij reum oporteat conſtituere. Ait namq; Judæos, qui Romæ Pauli orationem audiuerunt, aliquos quidem crediſſe, aliquos verò renuiſſe credere. Hactenùs rectè. Quod verò ſubdit, & nunquã antea audita auribus audientes, adinuicẽ tumultuabantur. Illud certè omninò apud Lucã nõ legi. Quinimò, id quod magis contrarium videri poſſit. De hæreſi autem hac, notum eſt nobis, inquiunt, quod vbiq; contradicitur: quomodo ergo nobis notum, ſi antea inaudita? Nonne illud præterea certum eſt, Paulum cùm ad Romanos ſcriberet, quorũ fidem annunciari dicit, in vniuerſo mundo, plerosque eſſe omni ſcientia, vt cæteros admonere poſſent, id potiſſimum tentaſſe, vt Judæos, gentilesq;, (qui crediderant) inuicẽ conciliaret? Nempè illi Judæi erant, qui audito Petro crediderant. Illa omnis Romana eccleſia fidem ſecundũ Deũ acceptam, referebat Petro: Et ſi enim authore Clemente, anno à Christi morte ſeptimo, Barnabas Romæ Christum nunciauerat, conſtat tamen, ad pauciſſimos eius prędicationem

nem perueniſſe. Nam quod ait Perſuaſor, ſi ita dixerimus, conſequens eſſe, vt Petrus temere in alienas poſſeſſiones inuaſerit. Iam facilis obuiaq; eſt reſponſio, quàm obiectio ipſa leuis et inconſiderata. Si enim Perſuaſor recte meminiſſet, quo tempore dicant authores Petrum Romam profectum, rurſusq́; quo tempore pactũ inierit, vt Paulus inter gentes, ipſe vero Iudæis prædicaret, illud ipſum poſterius integro ſeptennio inuenietur. Aliud enim vndecimo, duodeuigeſimo, aliud anno contigit à Chriſti morte. Nec ſi ſecus eſſet, ſtatim mihi videretur pactum illud ita intelligi oportere, vt vtriq; non licuerit, ubicunq; cõmodum accidiſſet annunciare: ſed ut præcipua cura eſſet Pauli in gentibus, Petri autem inter Iudæos. Alioquin circumſcriptis ſibi quibuſdam veluti cancellis, Petrus ipſe cæteris longe inferior inueniretur, quibus aliquo pacto interdictum non erat, vbi libuiſſet prædicare. Nonne & ipſa Babilon & Arabia, vbi annunciaſſe Petrum dixit ſe credere Perſuaſor, gentium erat, non Iudæorum? Quin & Paulus deinde in ſinagogis, & Iudæa, publice annunciauit. Notum eſt præterea, quod Petrus dixerit in actis. Vos ſcitis, quod ab antiquis diebus, Deus in vobis elegit per os meum, vt audirent gentes verbum Euangelij. Num pactum Apoſtoli inirent, quod diuinis decretis eſſet contrarium, vt Petrus Iudæis ſolum, non etiam alienigenis Chriſtum annunciarent?

Diſſuaſio

eorum lingua conſcriptum edidit Euangelium, cum Paulus & Petrus, in vrbe Roma, annunciarent, ibiq; eccleſię fundamenta ſolidarent. Idem Hyginum ait nonum ab Apoſtolo Epiſcopum Romanæ vrbis fuiſſe, in tertio aduerſus hereſes libro. Poſtremus accedat Papias Hieropolitanus Pontifex, Papias inquam, Ioannis Euangeliſtæ auditor, qui ut Euſebius, Hieronymusq; teſtantur, Petrum dixit priorē epiſtolam Romę ſcripſiſſe, in qua tropicè Romam Babiloniā nominauit. Ij ſunt nempè auctores, quorum fidei hæc veritas innititur, hos omnes redarguat neceſſe eſt, qui diù inolitam opinionem voluerit infirmare. Iſtis obijcienda eſt ſacrarum literarum ignorantia, acta Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolas, non ſatis diligenter euoluiſſe dicēdi ſunt. Quorum pleriq; vel in Paulum ediderunt commentarios, vel proprijs commentationibus Reip. Chriſtianę mirum in modum profuerunt, dicendi erunt temporum rationem non habuiſſe, qui vt nos, qua quidque ętate geſtum eſt, ſciamus labore & diligentia ſua, perfecerunt. Ad ſummam penè ea quę viderunt, dicendi ſunt ignoraſſe. Enimuerò ſi hoc temerarium, ſi omnino alienum à Chriſtiana moderatione, ſi denique impium tot ſacris authoribus fidem abrogare diuinis libris, vt ſatis patuit non aduerſantibus, eorum opinioni omnino eſt accedendum. Nec committendum eſt, ut uel odio in Romanum Pontificem, vel in mores Deo dicatorum hominum, ſi fortaſſe à priſca ſeueritate diſceſſerunt, mēdacij alicuius patrocinium aſſumamus, ſtudium magis omne, & cura ad id cōuertenda ſunt, vt vel noſtris mori-

bus

bus caſtigatis, cæteris exemplum vitæ eſſe poſſimus. Cùm pleroſque ſciamus aliquando labentibus, & pene iam euerſis Chriſtianorum rebus, morum magis integritate, quàm aduerſus peccantes cõtumelijs, & opprobrijs tuliſſe opem. Adhibenda eſt quidem ſeueritas orationis, paulo etiam incitatiores adhortationes habendæ, caſtigatiõ denique vehementior, grauitate coniuncta, & hæc omnia ſi ita prius nos inſtituerimus, vt cùm ardua, cùm difficilia, cùm deniq; Chriſtianæ religioni conſentanea nos oſtenderimus deſiderare, nobis ipſis pareamus, decretiſque noſtris, ne cùm vita pugnet oratio. Quod ij mihi facere videntur, qui non pia eruditione, ſed conuicijs & maledictis libros referciũt. Si enim index vitæ morumq; eſt oratio, ſatis patet eos, qui mente effrenata animoque præcipiti ad maledicendum feruntur, interius æſtu tumultuque peſſimorum affectuum laborare. Enimuerò, quoniam diximus, nihil nobis illis perſuaſionibus perſuaſum eſſe, rationem quoque quare id dixerimus, afferre neceſſe eſt.

Diſſuaſio Prima.

PRima igitur perſuaſio, diuerſitati, quæ inter authores eſt inniti, videtur. Nos verò, nihil inter illos diuerſum eſſe iam diximus. Quòd ſi maxime eſſet, non tamen ilico eſſet conſequens, falſum eſſe, quod aſſerunt. Quot namque hiſtorias legimus, quas qui ſcripſere, non omnino in tẽporibus conſentiunt, cùm de rebus ipſis, nulla ſit ambiguitas: & vt omittamus extera, nonne idem in ſacris hiſto-

rijs contigit, in quibus, quoniam neque Moſes, neque Jeſus Naue, neque Samuel, neque Eſdras, nec cæteri, qui ſcripſerunt, aut olympiadibus, aut annis, aut alia ſimili ratione, vt græci latiniq́ue ſcriptores annotarunt tempora. Varia deinceps de rerum geſtarum temporibus, authores prodiderunt: Moſen ſcribit Tertullianus annis trecentis ante Troiæ excidium fuiſſe, nongētis Lactātius, aliter alij: in quā multis diſcrepat ab Africano Euſebius, ab vtroque Oroſius. Cùm igitur tàm variæ ſint, tamq́; in multis diuerſæ ſententiæ, illud quidem fieri non poteſt, vt plus una vera ſit, nec tamen contra neceſſe eſt, vt falſæ ſint omnes; quoniam non de re geſta, ſed de tempore tantum dubitari contingit. Jd vero quod nos quærimus, de prima Petri profectione, ad vrbem Romam, nihil habet controuerſiæ. Hieronymus namq; anno Claudij ſecundo, Oroſius per initia imperij eius eueniſſe ſcribunt; quibus in verbis, quid contrarium ſit, non video. Nam de faſce illo temporum à Perſuaſore citato, & ſi is ego ſum, qui non libenter de ſcriptore aliquo grauius iudicare velim, cùm omnes, quoad ipſorum fieri poteſt, pro communi omnium vtilitate laborent, illud tamen nunc cogor dicere in faſce illo, non ordinis, non temporum, non denique veritatis vllam rationem haberi, & ſi ſingula exequi vellemus, in quibus peccaſſe conuincitur, doctis, vt opinor, ſuperuacuum videri poſſet, apud quos iam eiuſmodi de illo præiudicium factum eſt, vt quoſdam audierim, qui faſcem mendaciorum non temporum appellarent. Picus certè in defenſione Origenis, feſtiuè ſimul, & grauiter

grauiter opus illud exagitat. Nam de libro, qui ſanctorum vitas continet, à Perſuaſore citato, ſuperfluum eſt omnino loqui, præter enim eadem cum faſce, illo peccata ſcimus (authore Hieronymo) quod ad Apoſtolos attinet, nihil eſſe ſincerum. Eiuſmodi igitur authores, ſi quis in delitiis habere voluerit, per me habeat, licet nos certè æmulos non habebit. Ceteri verò, qui poſterius ſcripſere, et quos Perſuaſor hic citat, à Hieronymo, Euſebio, Oroſioq; non diſſentiunt, vt ibi mirus ſit authorum conſenſus, vbi hic noſter potiſſimum ſuper eorum diſſenſione innitebatur. Nam, quod ait Si Petrus Romanorum fuit Pont. dicant, quis in locum ipſius ſit ſuffectus, Nihil eſt, quod facilius explicare poſſim. Clementem enim dicam, & eo potiſſimum authore, qui proximus fuit temporibus Apoſtolorum. Tertullianus inquam in libro de præſcriptionibus hæreticorum, qui cùm aliquot apoſtolicos viros enumeraſſet (ſic enim ipſe diſcipulos Apoſtolorum nominat) qui præceptoribus in pontificatu ſucceſſiſſent, ordinatum ſcribit à beato Petro, Clementem Romanum Epiſcopum. Chryſoſtomus quoq; in eo loco epiſtolæ ad Timotheum quem citauimus: aiunt, inquit ſecũdum à Petro Linũ fuiſſe Romanum Pontificem, ſciẽs ſcilicet priorem illo fuiſſe Clementem. Hieronymus porrò nihil affirmat, pleros q; tamen latinorum, ait Tertulliano acceſſiſſe. Enimuerò ipſemet Clemens in epiſtola ad Jacobum epiſcopum Hieroſolymitanum, ſi illã recipere velimus, illud ipſum, quod Tertullianus ſcribit, demumq́ue totidem fere verbis repetitum eſt à Simeone, quem Græci Paraphraſten

vocāt. Addā pręterea Eutheriū prius in lerina Inſula monachum, deinceps Epiſcopū Lugdunenſem, qui eadē ętate, qua Auguſtinus vixit, non minus celebrem eloquentia quàm ſanctitate, qui in epiſtola ad Valerianum ait. Clemēs vetuſta proſapia ſenatorum; atque etiam ex ſtirpe Cęſarum, omni ſcientia refertus, omniumque liberalium artium peritiſſimus, ad hanc iuſtorum viam tranſit; itaque in ea excellenter effloruit, vt principi quoq; Apoſtolorum ſucceſſor extiterit. Nec in hac parte Gręci à latinis diſcrepant; etiam ſi qui dixerunt in exercendo Pontificatu, Linum, Cletumq; pręceſſiſſe. Si quidem omnes conſentiunt, viuente adhuc Petro, qui ferè toto tempore ſui Pontificatus abſens fuit, illos Romanæ eccleſiæ curam geſſiſſe: mortuo deinde Petro, Clementem qui ab illo deſignatus fuerat, ſucceſſiſſe. Hoc Rufinus in prohemio interpretationum ipſiuſmet Clemētis recognitionum, compluresq; alij affirmauere. Quòd ſi daremus neſcire nos, quis Petro ſucceſſerit, num idcirco ſtatim ſequeretur Petrum Romæ non fuiſſe? Quæro quis locus hic argumentandi ſit; qualis ſit hæc obiectio? quam ſi conceſſerimus, nihil tamen inferior cauſa noſtra futura ſit. Quod rurſus dicemus de illa nominum Pontificaliū congerie, de quorum temporibus dubitat Perſuaſor noſter.

Diſſuaſio Secunda.

QVod verò ad ſecundam perſuaſionem attinet, & ſi ſatisfacere poterant, quæ diximus, rurſus tamen quædam repetere non grauabimur. Ità a nobis digeſta ſunt*

Petri tempora, ut ſeptem annis dixerimus in Iudæa ſtetiſſe, deinceps profectum Antiochiam, ſumptaque ſacerdotij ſede, eas circuiſſe regiones, quas & ipſe, & Hieronymus enumerant: Undecimo demum anno Hieroſolymam profectum, & inde à fuga carceris Romam perueniſſe anno ſecundo Claudij, quo fit, ut annis circiter quinq; morã traxerit Antiochiæ. Quod uero Platina ait de ſeptennio, ſibimet dilucidè contrarius eſt; idem enim ſecundo Claudij anno, Romam profectum ſcribit. Nec quiſpiam grauis authors, quem hactenus legerim, ſeptennium illud approbat. Hieronymus certè, & Euſebius, non definito tempore, quo ibi moram traxerit Antiochiæ, Romam profectum ſcribũt. Mirifica deinde ſequitur Perſuaſoris huius argumẽtatio, quoniam inquit, anno duodeuigeſimo à Chriſti morte, Hieroſolymis erat Petrus, patet illum non antea Romam potuiſſe proficiſci. At uerò iſtud non dicet Hieronymus, qui & ſecundo Claudij anno Romam profectum, & Hieroſolymis, duodeuigeſimo, à Chriſti morte fuiſſe ſcribit; ut niſi impudenter dicere uelimus: Hieronymum ſibimet contrarium, neceſſe ſit confiteri Roma Hieroſolymas reuertiſſe, Quod nos tunc accidiſſe dicimus, cùm ab urbe expulſi fuere Iudæi, liberrima autem ſunt nobis tempora, de Petro iudicandi, ab octauo decimo anno à Chriſti morte, ad ſeptimũ & trigeſimum: Nec enim ulla in actis Apoſtolorum Petri mentio fit, poſt id tempus, in quo quæſtio incidit de circunciſione. Quòd uerò legimus Petrum Romanum Pont. annis uigintiquinque fuiſſe, miror quid in mentem uenerit

rit

rit perſuaſori opinari conſequens eſſe illum eo interuallo non alio in loco quàm Romæ, moram trahere potuiſſe. Quaſi minus futurus fuerit Romanus Pont. ſi quod Paulo contigit, cura omnium Eccleſiarum ſolicitaretur. At verò aſſiduum non fuiſſe Romæ, Hieronymus quoq;, quod Paulo ante diximus teſtatur, vbi ſecundo Claudij anno, Romam profectum dicit, & cathedram annis vigintiquinq, tenuiſſe. rurſus autem in Epiſtola ad Galatas, quæſtionem illam de circumciſione, & congreſſum Petri & Pauli Hieroſolymis, reijcit in annum duodeuigeſimum, à Chriſti morte, ſeptimum ſcilicet, ab eo quo primum Romam peruenerat: nihil igitur obſtant ſacræ literæ, quin dicamus, & ſecundo Claudij anno Romam profectum, & poſtremò Neronis qui fuit ab illo quintus, & vigeſimus actũ in crucẽ fuiſſe.

Diſſuaſio Tertia.

QVod de exturbatione Judæorum ab vrbe Roma ſcribunt Lucas & Tranquillus, nequaquam de Chriſtianis intelligi debere manifeſtis, vt opinor, argumentis oſtendimus, quandoquidem vt Tertullianus, cæteriq; teſtantur, primus Nero, Chriſtianos pœnis aſſici iuſſit, & tunc deniq; per tempora illius calamitatis meminerunt Chriſtianorum Tacitus, Dion, & Tranquillus: cũ antè nulla apud ipſos gentis noſtræ mentio ſit. Petrus verò Priſcilla & Aquila, & quot quot gente erant Judæi, Roma coacti ſunt diſcedere. At ſi edicto Claudij vtriq; comprehenſi eſſent, poterat quidem Trãquillus, vel certe Lucas, vt Judæos,

ſic & Chriſtianos nominare, Quod vero Perſuaſor ait de Aquila & Acyla, miror hominem non vidiſſe, quod opinor omnibus, & lippis notũ et tonſoribus eſſe, vt Flacci utar verbis, nihil illa inter ſe differre, & alterum latinum, alterum græcum eſſe. Cum enim ſecundo nominis Aquilæ careant græci, elemento ſimilem effectũ, ſpeciemq; eſſe ſcribit Fabius, eius quod ſecundũ eſt in nomine Acyla: quare quod nos dicimus, Quintum, illi κοΐντον Varrone quoq; id atteſtante in initio libri quinti de lingua latina, Ut paret apud Joſephum de Cyrino, qui Quirinus, eſt apud latinos, licet apud Lucam Cyreneus legatur, & apud Paulũ in κουάρτῳ qui eſt quartus.

Diſſuaſio Quarta.

NEc ità multum laborandum fuerat, in quarta, vt iſte opinatur, perſuaſione. Jam enim conceſſimus, Hieronymo teſte, duodeuigeſimo, poſt Chriſti mortem anno, Petrum, Paulumq;, ſimul Hieroſolymis congreſſos: Jllud uerò mirum eſt, quod ait, Certum eſt totis illis ſeptẽdecim annis, Hieroſolymis, & in Collimitaneis regionibus, Petrum ſeſe cõtinuiſſe, nec nunquam Romam receſſiſſe. Unde iſtud tibi adeò certum? opinor Petrus dum claudũ curaret, claudus ipſe euaſerat, qui non potuerit tot annorum ſpacio Antiochia Romam, rurſusque Roma Hieroſolymas proficiſci, Quinetiam obiurgationem Pauli, quam iſte anno vigeſimo accidiſſe auguratur, in vigeſimum ſecundum ſi illi commodũ ſit reijciemus: Policiti enim ſumus, multa nos de iu-

re

re noſtro conceſſuros, At ſi contentioſè agere animus eſſet, poteramus certe, vt Beda ante primum Petri aduentum ad vrbem, omnia hæc accidiſſe contendere. Poteramus etiam cum ijs, quos Euſebius recitat, alterum Cepham, alterum Petrum eſſe affirmare. Quid? quod Sophronius ille adeo laudatus à Hieronymo, Petrum, etiam dicit ad Hiſpanias acceſſiſſe, nonnè eodem itinere Romam profectum potuiſſemus aſſerere, quod ſe facturum, Paulus ad Romanos ſcribit? Attamen id omnino vitare eſt animus, quod tantoperè in alijs ducimus reprehendendum, cùm perſpecta ſcilicet iamq; cognita veritate luctari. Accidit igitur hæc Pauli redargutio, non modo poſt id tempus, quo Petrus Roma profectus eſt Hieroſolymas, verumetiam poſt ipſius Pauli, cum Petro, Jacoboque, pacti conuentionem: cuius cùm Lucas nõ meminerit, licentia, vt Hieronymus inquit, hiſtoriographi, mentio habetur in epiſtola ad Galatas. Hac igitur ratione, quod Perſuaſori tantoperè iniquum videtur, nulla fiet Veſpaſiano iniuria, cautumq; erit, ne eo nomine à quopiam tanti criminis expoſtulemur.

Diſſuaſio Quinta.

SEquitur difficile illud, & ineluctabile argumentum quod ad Romanos ſcribẽs Paulus, Petrum non ſalutarit, omnino parum vrbane, & ab officio diſcedens: ſi quidẽ tunc Petrus Romæ fuit. Quid vero, peccatumne Pauli confitebimur? qui nec ad Hebræos ſcribens, nominatim Jacobum ſalutauit? Sed dicent, neminẽ ibi ſalutari: fortaſſe

etiam

etiam Pauli negabunt eſſe epiſtolam. Aliò igitur confugiendum eſt. Nec enim illud dicere audebimus, aut immemorē Paulum, aut ab eo Petrum contemptum. Cùm igitur Perſuaſor ipſe confiteatur, poſt ſecundam ad Corinthios, prioremque ad Theſſalonicenſes, epiſtolam ad Romanos ſcriptam fuiſſe, cum iam tertio Corinthum veniſſet, ipſe idem nodum ſoluit, qui ante implicuerat. Satis verò conſtat per Neronis tempora, aut certè poſtremis Claudij annis ſcriptam, in qua ait, Salutant vos Timotheus cooperarius meus, & Lucius, & Iaſon. Enimuerò Timotheus iam elapſis viginti, & eo amplius annis à Chriſti morte, adhæſit præceptori, dimiſſo enim conuentu Hieroſolymitano, in quo de circumciſione actum eſt, Paulus profectus eſt Antiochiam, nec multò poſt accidiſſe par eſt, & Peruſaſor ipſe cōcedit, quę de Petri redargutione ſcripta ſunt in epiſtola ad Galatas, ab ipſomet, in vigeſimum annum à Chriſti morte reiecta, nam, vt Apoſtolorum acta narrant, orta inter Barnabam, & Paulum diſceptatione, poſt eum quem diximus conuentum, & digreſſum ab Antiochia, peruenit Paulus Derben, & Lyſtras, vbi erat diſcipulus nomine Timotheus, cui cùm teſtimonium redderent fratres, qui erant Lyſtris, & Iconij, voluit illum Paulus ſecum proficiſci. At verò vigeſimo Anno à Chriſti morte, qui vndecimus fuit Claudij, ſatis oſtenſum eſt, Petrum Romę, non fuiſſe, nec deinde ad annum vſq; trigeſimū ſeptimū, qui fuit Neronis tertius decimus. Hîc verò inſtabit Perſuaſor, cùm ſcriberet Paulus ad Romanos, Priſcillam, &

Vu Aquilam,

Aquilam ibi fuiſſe, qui ſimul cum Petro Roma diſceſſerāt, ſed liquet autore Origene, in eiuſdem epiſtolæ commentarijs, iam iterum ipſos illuc reuertiſſe. Ait namq; Paulus, Salutate Priſcillam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ceruicē ſuā ſuppoſuerunt. Sed cùm primùm Roma cum Petro diſcedere ſunt coacti, edicto Claudij, nondum pro Paulo ceruices ſuppoſuerāt, quos tùm demùm Corinthi nactus eſt Paulus, cum Roma profugi in Achaiam peruenerunt, vt Apoſtolorū acta teſtantur: ſi igitur, vt manifeſtè oſtendimus, nō antè decimum Claudij annum ſcripta eſt epiſtola; fortaße & illud conſequens eſt, nec temporibus Claudij fuiſſe datam, cuius edicto Iudei vrbe Roma prohibiti fuere. Quare ſupereſt, vt dicamus Romæ Petrum ea tempeſtate non fuiſſe, qua ex Cēchris portu Corinthiaco, epiſtolam per Pheben dedit Apoſtolus ad Romanos. Enimuerò quod Perſuaſor dicit de ordine epiſtolarum Pauli ex Athanaſio, fateor me nūquam opus illud Athanaſij legiſſe, ſed nec Hieronymus, qui omniū fere eius ætatis commentationes enumerat, nec in Athanaſij Epicedio Nazianzenus, nec is, qui fere illius authoritate vtitur Damaſcenus, eiuſmodi commentariorum meminere. Video autem Perſuaſorem crediciſſe commentarios Theophilacti, qui paſſim conuerſi habentur eſſe Athanaſij, quod falſum eſſe ex authoribus, qui in eo opere citantur, cautus lector animaduertere pòterat, cùm quidam illorum poſteriores Athanaſio fuerint. Deuenerūt autem ad manus meas Theophilacti commentarij in totum nouum inſtrumentum

græce

græce ſcripti: in quibus illi quoque ſunt, qui latine ſub nomine Athanaſij circumferũtur ea præcipue de cauſa, quod ità ab interprete ſunt inſcripti accedente etiam Theodori Gazæ authoritate. Quæ res autem errori cauſam dederit, ſatis conſtituere nondum potui.

Diſſuaſio Sexta.

N*Vlla mihi cum Perſuaſore controuerſia eſt de Archiepiſcopis, & Patriarchis, ſiquidem, nemo quod ſciã, tam ignarus antiquitatis fuit, qui Apoſtolorum temporibus hæc nomina dixerit in Eccleſia extitiſſe, cùm ſupereſſent ipſi ad quos omnia referebantur. Nã quæ fertur Anacleti Epiſtola de eiuſmodi ordinibus fictitium, neſcio quid nobis ſubolere videtur. Sed & quandoq; eoſdem fuiſſe epiſcopos, et presbyteros, Hieronymus in commentarijs epiſtolæ ad Titum dilucidius ad Euagrium, ſcribens nos admonuit ad tollendaq; diſſidia, & regendam multitudinem ſequenti tempore, toto orbe decretum fuiſſe, vt vnus cæteris præeſſet. Quod item opinor poſtea de ijs, quos nunc Archiepiſcopos, & Patriarchas uocant, accidiſſe, ordinatos ſcilicet ad tollendas controuerſias, quæ in vnaquaque prouincia oriebantur. Hieronymus enim contra Luciferianos, & Bizantinæ, & Piceni, prouinciarum Epiſcopos nominat. Illud vero mihi commune eſt cum Perſuaſore, quòd iam diximus Petrum eo tempore Romæ non fuiſſe, quo ad Romanos ſcripſit Apoſtolus, Quòd verò Epiſcopum Romanum quempiam Narciſſum nominat, vix mihi perſuadere poteſt eadẽ cre-*

didiſſe, quæ ſcripſit. Diu enim credidi dum hæc legerem, Petro vrbis Romæ ſacerdotio deiecto, & velut redacto in ordinem, vel Apoſtolum quempiam, vel aliquē ex ijs qui qui proxime ad Apoſtolos authoritate accedebant ſuffectū iri: in vrbe enim totius orbis longe principe, & omniū pene gentium victrice & rerum domina, quo ex omnibus regionibus infinita illa hominū multitudo confluebat, vbi ſtatim ab ipſa Chriſtiani nominis prædicatione conuentus pro copia ciuitatis ampliſſimi ſunt inſtituti, vbi deniq; futurū erat, vt primò aduerſus impetum, gladios, cruces, ignesq; Neronis non verbis iam, ſed ceruicibus & ſanguine decertarent, conſentaneum eſt parem tanto oneri, & non ſolum moribus & ſanctitate, ſed loco etiam, & authoritate inter cæteros præcipue ordinatū. At hic noſter Narciſſum quendam expiſcatus eſt, vt duplicem iam de Narciſſo fabulam habeamus, Quem nec Ambroſius omnino affirmare audet presbyterum fuiſſe, ſed tanquam vagum quendam, & vt ita dicam, erronem deſcribit. Mirum præterea cùm adeo exacte omnes Romani Pontifices, à doctiſſimis, diligentiſſimisq; viris enumerati ſint, illi ſaltem faſciculo temporū, aut ſupplemēto alicui χωνικῶν Narciſſum, nec inter tot ſomnia aliquando obſeruatum. Quatuor certè inſignes eccleſias videmus, dum adhuc fides adoleſceret celebrari, & eæ potiſſimum fuere quæ in ſplendidioribus, amplioribusq; ciuitatibus congregatæ erant. Rationi quoq; conſentaneū eſt, quo plures mortales confluebant, ibi cæteris honoratiores fuiſſe præfectos. Quare qui fuere Pontifices eo ordine,

quo

quo ſibi ſingulatim ſucceſſerunt, à maioribus noſtris memo riæ ſunt commendati. Quod non item de cæteris accidit, ſic Hieroſolymis, poſt Iacobũ, Simeon iuſtus, Marcus, Caſſianus, Publius, Alexandriæ, quæ ea tempeſtate vt Strabo, Ioſephus, & Marcellinus teſtantur, poſt Romam principem locum in vniuerſo orbe obtinebat, Marcus, Annianus, Abilius, Cerdos, Antiochia autem, vbi primum Chriſtiani appellati ſunt, poſt Apoſtolos Euodius, Ignatius, Eros: ſimilis quoq; cura fuit Romanos Pontifices recenſere, & eò diligentius, quò plus cæteris omnibus, vrbs ipſa præſtabat. Cùm igitur numerent, Petrum, Clementem, Linum, & qui ſequuntur, quis iſtius Narciſſi unquàm nomen audiuit? Rogò quę noua hæc fingendi licentia eſt, hiſtoriasq; euertendi, vt quicquid nobis in mentem venerit, etiã contra receptas ſanctorum opiniones, ne quicquàm diſſidentes a ſacris literis, illico verum eſſe contendamus? Hac certe ratione, nemo erit, qui non ſibi ex cubiculo hiſtoriã poſſit proferre, ſed videamus, Perſuaſor hic, quibus argumentis utitur, Chriſtum inquit, prędicabat Narciſſus, Audio non Romæ, ſi credis Ambroſio, Agè vero Romæ etiam prædicarit, quaſi non cæteri idem faceret. Andronicus, quem inſignem inter Apoſtolos, & ante ſe in Chriſto fuiſſe, Paulus ſcribit. Urbanus illius auditor, cæterique complures, quos longùm eſt enumerare. Dicamus & quempiam illorũ, vel certè, ſi ita libuerit, omnes ſimul Romanos Pontifices fuiſſe, dum Petrus exturbetur, turba non deerit eorum, qui Pontifices dici poſſint.

Diſſuaſio

Diſſuaſio Septima.

QVod adhuc maxima, cum animi tranquillitate à me fa ctum eſt, vt maledictis & calumnijs temperarem, id vſq; ad calcem diligentiſſime me obſeruaturum eſſe con fido, quando nullo odio Perſuaſoris, aut ſtomacho, ſed ueri tatis amore, ad ſcribendum acceſſi. Enimuerò ſi vnquam locus fuit, in quo conuicijs agendum eſſet, hic potiſſimùm oc currebat, vbi adeò manifeſtè verbis Lucæ contradicit, vt omninò ipſorum alterum mendacij reum oporteat conſtitue re. Ait namq; Judæos, qui Romæ Pauli orationem audiue runt, aliquos quidem credidiſſe, aliquos verò renuiſſe cre- dere. Hactenùs rectè. Quod verò ſubdit, & nunquã an- tea audita auribus audientes, adinuicē tumultuabantur. Illud certè omninò apud Lucã nõ legi. Quinimò, id quod magis contrarium videri poſſit. De hæreſi autem hac, no- tum eſt nobis, inquiunt, quod vbiq; contradicitur: quomo do ergo nobis notum, ſi antea inaudita? Nonne illud præte- rea certum eſt, Paulum cùm ad Romanos ſcriberet, quorũ fidem annunciari dicit, in vniuerſo mundo, pleroſque eſſe omni ſcientia, vt cæteros admonere poſſent, id potiſſimum tentaſſe, vt Judæos, gentilesq;, (qui crediderant) inuicē conciliaret? Nempè illi Judæi erant, qui audito Petro cre- diderant. Illa omnis Romana eccleſia fidem ſecundũ Deũ acceptam, referebat Petro: Et ſi enim authore Clemente, anno à Chriſti morte ſeptimo, Barnabas Romæ Chriſtum nunciauerat, conſtat tamen, ad pauciſſimos eius prędicatio nem

nem perueniſſe. Nam quod ait Perſuaſor, ſi ita dixerimus, conſequens eſſe, vt Petrus temere in alienas poſſeſſiones inuaſerit. Iam facilis obuiaq; eſt reſponſio, quàm obiectio ipſa leuis et inconſiderata. Si enim Perſuaſor recte meminiſſet, quo tempore dicant authores Petrum Romam profectum, rurſusq; quo tempore pactũ inierit, vt Paulus inter gentes, ipſe vero Iudæis prædicaret, illud ipſum poſterius integro ſeptennio inuenietur. Aliud enim vndecimo, duodeuigeſimo, aliud anno contigit à Chriſti morte. Nec ſi ſecus eſſet, ſtatim mihi videretur pactum illud ita intelligi oporteré, vt vtriq; non licuerit, ubicunq; cõmodum accidiſſet annunciare: ſed ut præcipua cura eſſet Pauli in gentibus, Petri autem inter Iudæos. Alioquin circumſcriptis ſibi quibuſdam veluti cancellis, Petrus ipſe cæteris longe inferior inueniretur, quibus aliquo pacto interdictum non erat, vbi libuiſſet prædicare. Nonne & ipſa Babilon & Arabia, vbi annunciaſſe Petrum dixit ſe credere Perſuaſor, gentium erat, non Iudæorum? Quin & Paulus deinde in ſinagogis, & Iudæa, publice annunciauit. Notum eſt præterea, quod Petrus dixerit in actis. Vos ſcitis, quod ab antiquis diebus, Deus in vobis elegit per os meum, vt audirent gentes verbum Euangelij. Num pactum Apoſtoli inirent, quod diuinis decretis eſſet contrarium, vt Petrus Iudæis ſolum, non etiam alienigenis Chriſtum annunciarent?

Diſſuaſio

Diſſuaſio octaua, nonam decimam & vndecimam continens.

QVod quatuor deinceps capitibus perſuadere nititur, paucis omninoq; iiſdem verbis diſſuaderi poteſt. Iam enim dedimus ab eo tempore quo ſub Claudio expulſi fuere Judæi, Romam, Petrum non reuertiſſe, vſque ad poſtrema Neronis tempora. Quare nec quando Paulus à Iudęa deductus eſt Romę fuit. Accidit enim aduentus Pauli, per initia Regni Neronis. Si quidem Lucæ hiſtoriam vſque ad quartum illius annum perueniſſe dicit Hieronymus; nec tamen ità diu Romę permanſit, profectus ad occidentis partes: minimè igitur mirum, ſi in epiſtolis quas Romę conſcripſit, nulla prorſus de Petro mentio habeatur.

Duodecima, & tertiadecima Diſſuaſio.

QVo tempore Paulus Romam ab Hiſpaniis, & aliis occidentis partibus reuerſus fuerit, ſi modo illuc profectus eſt, ſcriptores non adeo conſtanter affirmāt, vt tutum ſit quippiam certum aſſerere. Coniecturis tamen aſſequimur, circiter poſtremum Neronis annum id accidiſſe. Prima autem Pauli defenſio, eo tempore contigit, vt ipſemet Perſuaſor affirmat, quo primum ex Judæa Romam deductus eſt. Cùm autem dixerimus, ea tempeſtate abfuiſſe Petrum, ſuperuacaneum eſt quærere, cur Paulo, coram Nerone non affuerit.

Decima quarta diſſuaſio.

DIcat per me Romana colluuies (ſic enim appellat Perſuaſor) Petrum à ſecundo Claudij anno, vſque ad poſtremũ Neronis, aſſiduũ Romæ fuiſſe: tantũ enim abeſt, vt colluuiem illam diſcutiã, vt etiã me neſcire fatear, quos hoc nomine, admodum certè contumelioſo Perſuaſor velit intelligi, Hieronymus certè, qui vt puto ex illa colluuie nõ fuit, idem non dicet, qui ſecundo Claudij anno Romã profectum, & octauo decimo, à Chriſti morte, quod ſępe iã diximus, Hieroſolymis fuiſſe ſcribit. At quanã inquiet aliquis, paſtoris hęc erat diligentia, tot annis à grege abeſſe? illud ſcilicet nequaquam animaduertens, non ſponte, ſed Claudij edicto coactum diſceſſiſſe. Nullum igitur illi periculum imminebat, nè abſentis locum occuparet alius, quando & Linus, & Cletus, ſacrorũ procurationẽ habebant, & ęmulus aberat Narciſſus, nec minus Romanorũ erat Epiſcopus Hieroſolymis, quàm Romę. Num quid enim non Athanaſius eo tempore Alexandrinorũ Epiſcopus fuit, quo Arij factione, impietate Conſtantij coactus eſt in exilium proficiſci? quorum ſententijs, cũ noluiſſet Liberius Romanus Pontifex ſubſcribere, ipſe quoq; (vt Ammianus ait) in inſulas eſt deportatus. At de Athanaſio ſcribit Naziãzenus, quod non exilium, ſed peregrinatio illa fuerit, nẽpè quod aliquãdiù exul pro fide, demũm reuertens, totius Ægypti humeris ſit reportatus. Nomquid non item Euſebius Pontifex Vercellenſis erta, cùm eadẽ actus tẽpeſtate, ab occidente in

orientem delatus eſt. Ille inquam Euſebius, ad cuius redi tum Hieronymus ſcribit, veſtes lugubres, lætis vniuerſam Italiam commutaſſe. Numquid non Hilarius Pictauo rum erat Pontifex, cum à propria ſede exul, vniuerſam Galliam diſceſſu ſuo afflictã & conſternatã reliquit? Quod ſi omnino, abſentes Pontifices dicendi non ſunt, videamus ne illi trecenti decem & octo à Conſtantino magno euocati tantiſper Epiſcopi non fuerint, quoad Niceę pro Chriſtia na republica conſtituenda ſunt commorati: idcircoq́, nihil eo nomine potuerint ſtatuere. Porrò, ſi Epiſtola ad Timotheum poſterior, anno Neronis quarto decimo ſcripta fuit, quo tẽpore nos diximus Petrum Romæ fuiſſe, nec illius nomine ſalutem dicit Paulus diſcipulo, mirũ videtur Perſuaſori, mihi verò nequaquã. Vt enim mirũ fortaſſe confiteremur, ſi cùm aliunde Romam ſcriberet, nõ ſalutaſſet Petrũ qui princeps in ea eccleſia erat, ſic cũ Roma aliò ſcribit, non neceſſe eſt omnium qui Romæ ſunt nomine ſalutẽ aſcribere. Prius namq; illud niſi faceret, alienun ab officio poſſet videri. At vero alieno nomine ſalutare ità demum cõſueuimus, cúm ab ipſis, quorũ nomine ſalus eſt aſcribẽda, id accepimus in mandatis. Niſi fortaſſe Paulum per preconẽ annunciaſſe credimus, quotieſcunque literas daturus erat, vt illis omniũ nomina aſcriberẽtur. Pudet, pudet pro fecto in puerilibus, leuibusq; nè dicã coactis, coniecturis refellendis operã ludere. Si enim ſola antiquitate teſte vti vellemus, maximũ robur haberet, ſacris etiã literis atteſtantibus. Quò enim propius aberat à Petri obitu, eò certius,

tius,

ti us, quæ vera erãt, ſcire poterat, quę deinceps per manus tradita ad nos vſq; deuenere. Nunc vero, cũ ad lõgiſſimi temporis perſuaſionẽ ſanctiſsimi quoq; & antiquiſſimi authores accedant, ſimile eſt huic opinioni contradicere, & quod de Gigantibus Poetæ fingunt, pugnare cum Dijs.

Decima quinta Diſſuaſio.

QVoad Epiſtolas Senecę et Pauli attinet, credo vtiq; dicenti Hieronymo, aliquando extitiſſe eas, quæ veræ germanę q; putarentur: At quæ nunc circumferuntur, neutrius eſſe magnopere cõtenderim, ſi tamẽ ibi ſit contendendũ, vbi nemin ẽ alicuius vel ingenij, vel iudicij virũ, ſecus atq; nos opinaturũ eſſe confido, eaq; potiſſimũ coniectura, quæ plurimũ ſemper apud doctiſſimos quoſque valuit, ſtili ſcilicet, & elocutionis. Si enim lectioni mi ſtum debet eſſe iudiciũ, qui Senecam, qui Apoſtolũ paulò diligentius legerit, iſtud ipſum, vt puto, ſtatim nõ verebitur affirmare. Quare non timebo id quod aliqui hac demum ætate in ijs quæ Hieronymi nomine inſcribebantur, quod humaniorũ literarũ profeſſores, in Dialogis Platonis in Rhetoricis ad Herenniũ, in problematis Alexandri, in Luciani Dialogis, in epiſtolis Phalaridis, quod olim Ariſtophanes in eo opere, quod Heſiodi dicebatur, quod denique vt ait Fabius identidẽ ſeueri illi ueteres fecerũt, ut libros qui falsò viderentur inſcripti, familia ſummouerũt, et ego nunc facere, vt paucas, breues q; epiſtolas ab eorũ, quorũ nomine ſcriptæ ſunt, elocutione penitus diuerſas, ipſorũ ne-

quaquam eſſe pronunciem: præſertim cum adeo grauis hæc cauſa ſit, vt pene Paulo abſtulerit epiſtolam ad Hebreos, quod ſtilus non Pauli, ſed Clementis eſſe videretur. Nolim tamen Perſuaſorē idcirco hæc dicta eſſe opinari, quod aliter non potuerim, ictū illius declinare. Nam etſi illorum eſſe cōcedimus, quorū nomine inſcribuntur, nihil ea propter ſit noſtra cauſa deterior: quandoquidē ex Tacito certū eſt Senecā duobus ſaltem annis ante Neronis mortem fato cōceſſiſſe. Hieronymus quoq; in libro de viris illuſtribus, Seneca, inquit, biennio antequā Petrus & Paulus coronarētur martyrio, à Nerone interfectus eſt: nos vero poſtremo denique Neronis anno, Romā Petrū aduenisſe iā diximus, nec tamē ſi Romæ fuiſſet, eo tēpore quo ſcriptæ fingūtur, protinus neceſſe eſſet Petri mentionem fieri. Quod ſatis oſtendimus, cum de epiſtola ad Timotheum loqueremur.

Sexta decima Diſſuaſio.

E*X recentioribus quendam, moribus atque doctrina, hac ætate celebrē, eius cādoris eſſe ex ijs quæ ſcripſit, & quæ grauiſſimi teſtes retulerunt nobis eſt perſpectum, vt moribus ſuis cæteros fingens, non facile ſibi perſuadere poſſit aliquos fuiſſe, qui à ſe ſcripta, ſub aliorum nomine publicarent, quod vt modeſte ipſe credit, vtinam ita vere nobis perſuaderi poſſit. Recte enim Nazianzenus inquit, eum qui male facere paratus non ſit, non temere etiam id de alijs opinari. Minime igitur mirandum, ſi vir candoris ingenui, Petri & Pauli vitas ab eo ſcriptas credidit,*

didit, cuius nomine erant inſcriptæ: licet eiuſmodi non ſint, vt Petri ſucceſſoris non authoritate tantum, ſed doctrina etiam & ſanctitate dignas etiã ſuſpicemur. Quare nõ ſolũ id quod Perſuaſor ſentimus, ſed eo etiam nomine præclare de illius iudicio iudicamus. At ſi vt Lini & Dionyſij ſuppoſitas vitas recte intellexit, ſic eodẽ iudicio cauiſſet, ne argumento vteretur, quod cõtra ſe poſſet retorqueri, nequaquam tam longus fuiſſet in ijs enarrandis, quæ Joſephus ſcripſit. Mirũ inquit, quod qui libẽter Chriſtianos nominat: Petrũ Romæ occiſum nõ dixerit. Quare par eſt credere Hieroſolymis trucidatũ eadẽ tẽpeſtate, qua Iacobus, et Annianus, quorũ in vigeſimo antiquitatũ Joſephus mentionẽ facit. At vero illud magis mirandũ, ſi Petrus Hieroſolymis trucidatus eſt, vbi & Iacobus, cur illius, ſicut & Jacobi obitum Ioſephus nõ deſcribat. Nec id quidem aduertit Perſuaſor, cum tãta Chriſtianorum ędes extiterit, vt ẽt apud Romanos, authore Tacito, orta ſit miſeratio: eius tamen rei Joſephum omnino nõ meminiſſe. Pereuntibus inquit, addita ludibria, vt ferarũ tergis contecti interierint, aut crucibus affixi, aut flãmis traditi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis ſunt adusti. Sumpſerat nẽpe Joſephus Judeorum res, non Romanorũ narrandas. Quod vero ſcribit Perſuaſor de filijs, vxore, & ſocru Petri, licet bene latine, & verbis ſanè bonis ſibi loqui videatur, nondũ plane intelligere potui, quid ſibi velit: auguror tamẽ ea ętate ſibi Petrum confinxiſſe, vt ad Neronis poſtremum annum peruenire non potuerit. Nos vero ſi qua Sybilla nobis

in explicanda ſententia acceſſerit, tum demum, cum ea declarata fuerint: reſponſionem accommodabimus. Interim, cum nihil ea de re certum acceperimus, Perſuaſori lapidem hunc relinquimus commouendum.

Decimaſeptima & decimaoctaua diſſuaſio

B*Ene habet, tandem aperuit Perſuaſor eam quam de Petri morte haberet opinionem, nec eã ipſam Phrygis, aut Myſi alicuius teſtimonio ſubniſam, ſed Hieronymi, inquit, literarum ſyderis. Illius inquã Hieronymi, qui nõ ſemel tantũ, ſed iterum, & ſæpius Romæ Petrũ fuiſſe, & à Nerone trucidatũ ſcripſit: Illius inquam, qui cum nuper ipſius Perſuaſoris ſententia mendax eſſet, & ſibi contrarius, in celeſte ſydus repente eſt immutatus. Nẽpe quod tã dẽ adhibitis fidiculis, & eculeo, viſus eſt Perſuaſori aliquid cõfiteri, ijs qui ſæpius ante dixerat cõtrariũ, & repugnans, ſed Hieronymi verba audiamus: Paulus occiſus, crucifixus Petrus. Vbi nã rogo Hieronyme? nũ Hieroſolymis? minime id quidẽ, eſſem enim hac ratione mihimetipſi cõtrarius, ſed Romæ ſub Nerone, poſtquã de ciuitate in ciuitatẽ, & de Iudæa à Iudæis expulſi ad gentium populum trãſmigrarũt: ſed hæc fortaſſe ita intelligi debere negat Perſuaſor. Accedat rurſus ipſe Hieronymus declarator verborũ ſuorũ, qui in epiſtola ad Galatas, in libro de viris Illuſtribus, et pleriſq; in alijs locis, nõ per uerborũ inuolucra, & quæ interprete indigeant, ſed manifeſte Romæ dicit iugulatum Paulum, crucifixum Petrũ. Sed nimirũ nihil eſt,*

contra

contra ſemetipſum tam munitum tanquè armatum quàm mendaciũ, quam veridiſſimulatio. Extorſit nẽpe ueritas ipſa ab imprudẽte Perſuaſore, vt quẽ prius, ſi nõ verbis, re certe ipſa tã male acceperat, nunc, ut uere eſt, literarum ſydus appellaret, vt uerũ illud quod nos aſſeruimus, eius teſtimonio innitatur, qui etiã aduerſarij verbis tãtopere ſit cõmẽdatus, ut nemo deinde credere poſſit eum mentitum, cui etiã aduerſarij tã magnificum titulum adhibere nõ vereantur. Jllud inſuper quod ex Chryſoſtomo citat, etiã ſi ipſe negaret, nos vtiq; verum eſſe contẽderemus. Apoſtolos ſcilicet ventura prædixiſſe, trucidatosq; Hieroſolymis, ut maiorẽ minorẽq; Jacobum: quare in re non dubia teſtibus vtitur minime neceſſarijs: Lyrani vero nobis nõ vacat, nec plane ſi uacaret, liberet excutere verba, quẽ iã ſæpius Perſuaſor ipſe tã acerbe inſectatus eſt, vt nobiſcum ne, an cum ipſo ſit, magnopere non curemus: pręcipue cum idẽ ipſe Lyranus ſępius dicat Petrum Paulumq; Romę ſub Nerone occiſos. Sed ſi nunquã id dixiſſet, aduerſareturq; omnino opinioni noſtrę, ſexcenti ſupereſſent quos eidẽ opponerẽ, Vincentius, ſcilicet, Gallus, Iacobus Varagineus, Ioan. Beleth, & eius generis complures, vt quod vulgo in prouerbio eſt, cum Bitho Bacchuis.

Abſoluta prorſus quęſtione, cuius gratia laborẽ hunc ſuſcepimus, liberum nobis erat finem facere, ni me mouiſſent quædã ni ea parte operis, quã Perſuaſor cauillos inſcripſit, iã ſcilicet præuidens, & prope modum diuinãs quid a quoque contradicendum eſſet. Quod an illi commode ceciderit

aliorum

aliorum erit iudicium. Ibi de duobus Marcis in ſacris literis mentionẽ haberi magnoperę contendit. Quæ uidelicet multiplicatio, certiſſimum iam perfugium facta eſt omnium difficultatum. Si nuper tres inuenimus Magdalenas; olim autem duos Cephas, duos Ioannes, nos quoque in latinum cõuerſa Nazianzeni oratione elegantiſſima, ex unico Cypriano duos factos oſtendimus, nunc vero ſi Marcus etiam Marcum peperit, vt Plauti verbis vtar, omnes conduplicauimus. Enimuero mea quidem ſententia vnicus Marcus extitit, gẽte Iudæus, diſcipulus apoſtolorum, primus Alexandriæ Pontifex, qui Romæ auctore Clemente, in informationum libro, conſcripſit Euãgelium: Ariſtarchus vero nuſquam in diuinis libris cognomen eſt Marci, vt Perſuaſor ait, ſed hominis proprium nomen, fuit ſiquidem vt apoſtolica acta teſtantur gente Macedo, patria Theſſalonicen. qui ſimul cum Paulo à Iudæa Romam ductus eſt captiuus, vbi Ariſtarchus tantum, non etiam Marcus appellatur. Quod vero in epiſtola ad Philemonem eſt Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas: credo vtique Perſuaſorem credere ſicut Marci Ariſtarchum, ſic etiam Demæ cognomen eſſe Lucam. At vero quicunquẽ vel prima rudimenta grammatices græce attigerit, facile intelliget apud Paulum, Ariſtarchum cognomen non eſſe factũ: namque eſſet per articulum, vt græcis conſuetudo eſt, expreſſior ſignificatio. Sed tantum abeſt, vt Marci cognomen ſit Ariſtarchus, vt illud ipſum nomen Marcus, ſit Ioannis cognomen, vt Lucas ait, ἐπικαλουμένου μάρκου

μάρκον dixiſſet igitur, μάρκος, ὁ ἀρίσαρχος vel certe μάρκος ὃς ἐπονομάζεται ἀρίσαρχος poſtremo vulgacum ad verbum ὅτι ἄλλω quo ferè in ſimilibus græci uti conſueuere, Paulo nõ excidiſſet, ſed in epiſtola ad Coloſſenſes, & Ariſtarchum nomen eſſe ſui cõcaptiui & alium eſſe a Marco aperte his verbis declarat: ſalutat vos Ariſtarcus cõcaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ. Mirum præterea eſt, vbi nam apud Philonem Perſuaſor legerit Marcum Alexandriæ Chriſti nomen annunciaſſe: tantum enim abeſt, vt apud illũ, vel Chriſti, vel Marci nomẽ inueniatur, vt fuerint qui ea quæ à Philone dicta ſunt, affirmarint de Chriſtianis intelligi non debere, ſed de Eſſeorum ſecta, de quibus ſimilia Joſephus ſcripſit in libro de antiquitatibus, atq; Philo in libro de ſupplicibus: eius opinionis fuit Porphyrius. Nec defuere qui de his intelligerent, de quibus tam multa in legibus Moſeos, & qui à Judæis Nazarei appellantur: ſunt & qui in Chriſtum credentes ſuſpicantur ibi intelligi, ſed eos qui legem Moſeos in figuris obſeruabant. Euſebius tamen Pamphili, & ceteri Chriſtianorum qui de illis meminerunt, id de Marco, & ea quæ ſub ipſo fuit eccleſia, vti profecto ſunt, dicta intellexere. Porro congreſſum aliquãdo Petro Philonem, vt non ſummopere contendam, ſic non vehementer negauerim, quippe qui ſciam eius rei auctorem eſſe Hieronymum, & cum ſatis pateat congredi potuiſſe qui gentis ſuæ legatus diu Romæ moratus eſt. non abſimile, & illud peccatum eſt, quod reprobatis omnino ijs, quæ ſub Lini nomine ſcripta paſſim leguntur, de

Petro & Paulo, breuiter, & velut aliud agens. Perſuaſor adiunxit, quod idem ſentirem, & de Ægeſippo, paucisque adiectis omnino vt par eſt credere, latere volens, curſu pertranſijt, quaſi veſpa dimiſſo aculeo. Credo etiam ſi palam auſus eſſet Ægeſippi hiſtoriam reprobare voluit, vt ſimul interpretem illius Ambroſium & qui eius vtitur teſtimonio Hieronymum, & Euſebium reprobaret, cum pluresque alios maximi nominis. Cum vero dubium non ſit pleroſque antiquiores Ægeſippo eiuſdem rei mētionem feciſſe, conſequens eſt uerum non eſſe, quod Perſuaſor ait, confictam fabulam poſt Ægeſippum. Equidem opinor illo potiſſimum argumento, hominem motum eſſe, vt falſam narrationem illam crederet, quia ſcilicet diligentiſſimus hyſtoriarum inueſtigator: poſſem, ait, probare nullum ſacellum, nec aliam baſilicam ad aliquot annorum centurias: ſic enim ait ipſe Romæ, & locis ei adiacentibus exedificatam fuiſſe, adderet ſaltem Chriſtianorum, quaſi vero ſacelli alicuius, aut baſilicæ, vel Ægeſippus ipſe vel confecta Lini hiſtoria mentionem faciat. Platina autem ætate ſua extitiſſe ait, vt hodieque extat in memoriam illius rei geſtæ, quādo Chriſtus Petro obuius fuit, edificatum ſacellum, vt vero prorſus non dubito per Ægiſippi tempora Romæ Chriſtianorum ſacras ædes nuſquā fuiſſe, ſic illud mihi ſit veriſimile, loca vbi Paulus, Petruſque, capitali ſupplicio fuere affecti, inſigni publicoque aliquo monimento fuiſſe ſignata, vt fere ea loca eſſe conſueuerunt, in quibus de damnatis ſupplicium ſumitur. Declarant hoc nē

pe

pe verba illa Caij antiqui ſcriptoris, vt ait Euſebius, contra Cataphrygas diſputantis. Ego inquit habeo trophea apoſtolorum, quæ oſtendam: ſi enim procedas via Triumphali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Hoſtienſi, inuenies trophea defixa, quibus ex vtraque parte ſtatutis, Romana communitur eccleſia. Quod vtique tunc dixit, cũ nundum Romæ Chriſtianorum eſſent templa conſtituta. Supereſt tantum feſtiua fabula de ægiptia Babilone, adeoque à veriſimilitudine longe diſtans, vt mihi veriſimile fiat, Perſuaſorem cum nequaquam id quod ſcribebat, crederet, inde tantum quæſiſſe, vt teſtatum relinqueret, ſe non omnino Coſmographiæ fuiſſe expertem. Qua quidem in fabula, nihil neceſſe erat Volaterranos, aut Cęlios tam anxie inquirere: nemo namque vt opinor, negaturus fuit, Babiloniam Ægyptiam extare, Cuius cum & Antoninus & Ptolomeus meminerint, originem etiam ex Diodoro ſcimus, conditam namque dicit à captiuis Babilonijs Seſoſtri Regi in Ægypto ſeruientibus, à quo cum defeciſſent, bellum quæ intuliſſent Ægyptijs, poſtremo ędificandæ ciuitati locum acceperunt, haud procul à Nylo, eamque à patriæ ſuæ nomine appellarunt Babyloniam: Ioſephus vero, in ſecundo de antiquitatibus libro poſterius conditam ſcribit in ruinis Lyci vrbis, à Cambyſe deuaſtatę, eoque prima die contendiſſe hebręos cũ ęgyptum eſſent deſerturi: Qua in re ne fortaſſe aliquando ſimilitudinem nominum decipi nos contingat, ſciendum eſt, non de ea Lyco Ioſephum locutum, quæ cis Nilũ in ea parte Ægy-

pti eſt, vbi aſperrimi montes Thebaidem à Septentrione finiunt, & à qua Lycopolytes nomos, vel vt latine loquamur, præfectura appellata eſt, ſed de Lyco altera, quę trãs nilum fuit arabiam verſus, vbi poſtmodum Babiloniam condiderunt. Quod ſatis patet ex ratione itineris Iudęorum, qui ex Goſen diſcedentes ea autem auctore Hieronymo Thebaidos pars eſt trans Nilum ad Orientem, & ex Rameſſe quę poſtea, eodem teſte, Pagus Arſenoïtes fuit in littore rubri maris, verſus Paleſtinam cęperunt iter, & ad ſeptentrionẽ proficiſcentes eò deuenerunt, vbi Nilus primo ſcinditur in vertice eius partis Ægypti, quam Grę ci deltam vocant, vbi poſtmodum condita fuit Babilonia, facile vera coniectura aſſequi poſſumus cuiuſmodi fuerint eius vrbis primordia, cuius egena deuaſtataque manus, aut certè ſeruilis, & eiecta, adhuc præſſa tot ęrumnis, & calamitatibus fundamenta iecerit: iam infelicibus etiam auſpicijs, vt per tria prope annorum millia, nulla frequentia indigenarũ, nullo aduenarum commercio ad iuſtam vrbis magnitudinẽ potuerit excreſcere. Per Strabonis namque tempora non ciuitas, non oppidum erat, ſed quod ipſe ait, φρούριον ἔρυμνον, arx videlicet munita quæ Romanorum pręſidio tantum tenebatur vnica ibi diſpoſita cohorte, quod eſſet Arabię, Ægyptoque contermina: ſiquidem Nilus, cui appoſita eſt, vt plerique dicunt, Arabiam Ægyptumque diſterminat, diu quoque in eadem rerum & hominum egeſtate perdurauit, donec per tempora Chriſtianę calamitatis paulo ante exorta Mahometica

impietate,

impietate, rurſus in ſeruorum recidit ſeruitutem, iactiſq; tum demum fundamentis ibi maximi Imperij mira incrementa accipiens ex ruinis præcipue proximarum ciuitatum Melpheos, & Heliopoleos, in eam creuit amplitudinem, vt & murorum ambitu, & populorum frequentia cæteris omnibus longo interuallo vrbs ipſa præponenda ſit: nuper autem euerſa ſeruili tyrannide per Selinum Turcharum Imperatorem, maximam quoque partem priſtini ſplendoris amiſit, Cairum autem nunc appellant, non quod ibi olim Carre fuerint, vt Platina, Blonduſque crediderunt, nec quod idem nomen illud ſit cum nomine Babiloniæ, vt Perſuaſori video perſuaſum eſſe, ſed quod inter ſtatum vt periti eius linguæ dicunt, bonum rectumque ſignificat, cum contra Babilon ſignificet, confuſionem: enimuero ſi Perſuaſori quoque dediſſemus nunquam Romæ fuiſſe Petrum, nulla tamen veri eſſet ſimilitudo, cur crederemus ex Babilonia ſcripſiſſe, aut ibi diutius traxiſſe moră. ommitto quod licet Babilonicæ Eccleſię nomine ſalutem aſcribat, non tamen continuo neceſſarium eſt Babiloniæ quoque ſcriptam Epiſtolam: Poteſt nanque & de abſente Eccleſia illud intelligi, quod Pauli teſtimonio conuincemus. ſalutant vos inquit, ad Romanos, omnes Eccleſiæ Chriſti, nunquid nam Paulus aut tunc erat, aut olim fuerat apud omnes Eccleſias? rurſus in priore ad Corinthios: ſalutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ, cum Philippis ſcripta ſit epiſtola, quæ vrbs fuit Macedoniæ, nunc autem euerſa. in poſteriore vero, ſalutant vos omnes ſan-

cti,

cti, cum pauci fortaſſe admodum tunc eſſent cum Paulo: dixiſſet certe Petrus, ſi in Babilone Ægyptia tunc fuiſſet, Salutat vos quæ mecum eſt Eccleſia, velut interim Paulus, qui mecum ſunt ſancti, niſi & qualis tunc eſſet Romæ diuinorum humanorumque confuſio eo potiſſimum vocabulo ſignificare voluiſſet, tacito proprio Romæ nomine, ne forte exceptis literis, incitarentur in Eccleſiam Romanorum animi. Quod & Paulus fecit, ſcribens ſe ex ore Leonis liberatum, niſi ridicule non Neronem, ſed id animal, quod nomen ſignificat, velimus intelligere. ommitto præterea quod Papias Apoſtoli Joannis auditor, Romam dixit figurate pro Babilonia apud Petrum intelligi. At uero cum non multum a Strabonis ætate diſtent Petri tempora, credo equidem Perſuaſorem opinatum Petrum humanitate ductum in Ægyptum perrexiſſe, vt milites Romanos, qui illic in præſidio erant, ad Chriſtum cõuerteret, ex quibus illa demum conflata ſit Eccleſia, cuius nomine ſalutem aſcribit: cum enim vndique ſolitudines eſſent, magno iudicio is qui tanquam operarius in ſegetem miſſus fuerat, non frequentia populorum celebrem aliquam regionem, ſed arcem hanc in deſertis munitam ſibi elegit, vt ductum quiſpiam dicat, deſiderio viſendarum Pyramidum. Cum vero ſciamus vbi Paulus prædicarit, viciſſim quoque ſcimus quibus perſuaſerit fidem, quod item de Jacobo, Thoma, Joanne, & alijs poſſumus dicere. At vero Petrus ipſe, qui primus Chriſtum dei filium confeſſus eſt, cui ſoli dictum legimus, vt oues agnoſque paſceret

ret, qui ſe electum dicit, ut per os eius gentes agnoſcerent ueritatem: quæro quidnam in hac ſolitudine tam longo temporis ſpatio fecerit? Antiochia certe prior illius pontificia ſedes Euodium Egnatium, & ne plura proſequar ab illorum diſciplina, Chriſoſtomum nominabit, Clementem Dionyſium, Didimum, Athanaſyum, Petrum, Cyrillum, Alexandriæ; uere autem Petri ſedes Romana ciuitas, inſtituente Petro, non minus in Eccleſiæ primordijs ſanctiſſimis doctiſſimiſq; hominibus referta fuit, quàm ante Chriſtum cognitum in diſciplina militari Clariſſimis Imperatoribus. Quoniam uero in operis peroratione omnino mihi non admonendus ſolum, ſed increpandus etiam Perſuaſor eſſe uidetur, pollicituſq; ſum, me non ſeuerè, non acriter, non auſterè, cum ipſo acturum eſſe, ſed leniter, ſed urbane, excitandus mihi eſſe uidetur à ſuperis aliquis ex apoſtolorum familia, qui à Chriſto ſibi conceſſa libertate utens, optimam cauſam paulo uehementiori oratione tueatur. Exiſtat igitur potiſſime ipſe Petrus, cuius negocium agitur, qui grauitate illa digna principe apoſtolorũ, tanquã è ſublimi aliquo ſuggeſtu totius orbis aduocata concione, non minore eloquentia, quàm ui efficaciaq; orationis, ſemetipſum cauſamque ſuam defendat, oblituſque pauliſper incredibilis illius iucunditatis, qua iam tot ſeculis fruitur, dignam dolore maximo, dignam tanta contumelia, uocem emittat, ſic igitur, ut opinor, aget, ſic loquetur. Ita ne ego de uniuerſo hominum genere promeritus ſum, non modo cum ſquallore, cathenis, & carcere, quæ quidem perpeſſu

grauia

grauia & aſpera videntur, ſed cum immaniſſimis hoſtibus, cum crudeliſſimo totius orbis tyranno, cum flammis, gladijs, crucibus denique die, nocteq; decertans, ut nunc deniq; à loco graduq; deiectum in horridas aſperaſq; ſolitudines, velut capite damnatum relegaretis? Nonne ſatis magno impetu arcem totius orbis fulmen illud prædicationis noſtræ concuſſit, vt qui inde ſecutus eſt fragor, omnibus notus eſſe videatur? Nónne præclare teſtata, inſcriptaq; ſanguine noſtro victoriæ trophea reliquimus, quæ fixa nunc etiam, immotaque perſiſtere, nemo hactenus auſus fuerat denegare? ô, fruſtra ſuſcepti mei labores, fruſtraq; ſuperata tormenta. ego cum genus humanum, quod afflictũ perditumq; iacebat, à Deo Opt. Max. excitandum ſuſcepiſſem, ad eam potiſſimum partẽ primas cogitationes meas conuerti, quæ non modo plus cæteris teterrimo morbo laborabat, ſed quæ in reliquas quoq, crudeliſſima peſtis illius venenum fundere poſſe videbatur. Ego cum portentum illud ex Samaria profectum, velut Hydram Herculis ſingulari certamine aggreſſus, maximis uiribus pſtrauiſſem, ego deniq; cum ſalutis vexillum in vrbe totius orbis longe principe, atq; adeo in ipſo Capitolio erexiſſe, mihi unquã hoc vſu ſperarem venturum, vt quos ſudore, quos ſanguine meo maxime conſeruatos volueram, ab illis potiſſimum ex ea ſede, quam proprio mihi ſanguine paraſſem, tãto cum ſcelere deturbarer? Parumprofecto nobis erat, quod impia quadam excogitata doctrina, gentem Bohemorum olim hoſtibus meis infeſtiſſimam, nunc in memetipſum tanto cum

impetu

impetu commouiſſetis; Quòd ferociſſimos Saxoniæ populos, Præcipuos nominis mei cultores, nefarijs quibuſdam perſuaſionibus, à me alienaſſetis, Quod faces denique ſicuti Alecto illa, per vniuerſam Germaniam atque adeo per totum orbem circumferentes amiciſſimos mihi populos in me quotidie inflammari niteremini? Niſi etiam, à Sanctiſſimis illis Romanæ vrbis penetralibus, ab aditu ipſo templi mei, ab vrbe ipſa, quam expurgandam ſimul, & conſeruandam, Chriſtus mihi tradiderat, nunc demum me expellere, tanto cum populorum tumultu conaremini: & quonam rogo, me ex tanta hominum celebritate eiectum relegabitis; an potiſſimum in Babyloniam & illam quidem non Arabiæ tantum, ſed totius impietatis arcem atque perfugium? Quidnam interroganti Chriſto reſponſurus ſum, me per tot annos egiſſe, quot vos me loca illa inhabitaſſe contenditis? Quod nam adiumentum teneris adhuc Chriſtianę reipublicę incunabulis pręſtitiſſe nullus certe ad hanc diem Babylonius, nullus Arabs auditus eſt, non modo pro Chriſto depugnaſſe, ſed Chriſtiani etiam nominis non inimiciſſimus: ſiccine uobis veriſimile fit, illius quam vos confingitis Babylonicę eccleſię à me poſita fuiſſe fundamenta, ſic Arabiam me optimis, & inſtitutis, & moribus conſtitutam, ſtabilitamque reliquiſſe; vt ſax illa totius orbis peſtis pernicies que religionis Chriſtianę, ex illa potiſſimum regione exierit, quam ego regendam gubernandamq; ſuſcepiſſem? Et ex qua nihil vnquam non

 modo

modo pietati Apoſtolicę conſentaneum, ſed niſi omnino tetrum, impium, ſceleſtum, deteſtandumque prodiſſe non dubitamus.

FINIS.

Regiſtrum.

ab ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo
Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Omnia ſunt folia integra, præter b, quod eſt dimidium.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M D LXXIII.
Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.